MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80130-6

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

CICERO, MARCUS TULLIUS

TITLE:

ORATIONES VI

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1830

Master Negative #
91-80130-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CM
IE30

Orationes • 1830

Cicero, Marcus Tullius.
...Orationes VI pro Sulla, pro Sextio, pro Milone, pro Archia P., pro Ligario et pro rege Deiotaro, in usum scholarum edidit Aug. Matthiae. Lipsiae, Vogel, 1830.
vi, 401 p. 21 cm.

75955

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/9/91 INITIALS EIZ
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Cicero.
Orationes
6 + 7

Class 87CM IE30
Columbia College Library
Madison Av. and 49th St. New York.
BOUGHT, MAY 6, 1887, FROM THE LIBRARY OF
CHARLES SHORT, M.A., LL.D.
Professor of Latin in Columbia College
1868 to his death, 1886.

Contents

1. Cicero, M. T. Orationes 6. Mat-
thiae. 1830.

2. ——— Orationes 7. "
1831.

Chas. Short,
1848.

M. TULLII CICERONIS

ORATIONES VI

PRO

SULLA, PRO SEXTIO,

PRO MILONE, PRO ARCHIA P., PRO LIGARIO

ET

PRO REGE DEIOTARO.

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

AUG. MATTHIAE.

LIPSIAE 1830,

SUMTIBUS FR. CHR. GUIL. VOGEL.

K.m.dec.13.1917

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAROLO CHRIST. WUESTEMANNO,

SEREN. SAXONIAE DUCI ALTENBURGICO A CONSILIIS LEGATIONUM SECRETIS ORDINIS SAXONICI MERITORUM CIVILIUM ET VIMARIENSIS FALCONIS ALBI EQUITI

REI SCHOLASTICAE ET BONARUM LITTERARUM PRUDENTISSIMO ET IMPIGERRIMO FAUTORI

HOC

SUMMAE OBSERVANTIAE ET PIETATIS DOCUMENTUM

D. D. D.

EDITOR.

79837

6.7. Bd

16 APR '88

PRAEFATIO.

Tandem aliquando dissolvi nomen, quod inde ab anno 1818 susceperam: deterrebat enim molestia, quam e notis superiorum interpretum legendis, conferendis, ponderandis et in brevem summam contrahendis percipi necesse esset, quamque iam antea expertus eram; saepe etiam a sententia aliorum discedendum mihi esse videbam, dissensionisque causas multis saepe verbis explicandas. Cessi tandem precibus et admonitionibus honestissimi bibliopolae, nonnullis aliorum etiam conviciis excitatus. Consilium autem in his orationibus explicandis tenui idem, quod in septem orationibus servatum idoneis iudicibus satis probaveram, ita ut interpretationis potissi-

mum rationem haberem, ea, quae ad criticam pertinerent, tum demum apponerem, quum ea observationes ad linguae Latinae leges vel Ciceronis consuetudinem illustrandam idoneas haberent, reliqua, Viris doctis tantum scripta, ad calcem voluminis reiicerem. De reliquis non habeo quod moneam; de consilii enim mei ratione satis multa in praefatione prioris voluminis dixisse me arbitror.

Scrib. Altenburgi m. Martio anni MDCCCXXX.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRO P. SULLA.

SUMMARIUM SCHUETZII.

P. Cornelius Sulla A. U. 687 cum P. Autronio Paeto conſul deſignatus a L. Torquato filio lege Calpurnia de ambitu accuſatus et confulatu deiectus eſt. Eorum loco A. U. 688 confulatum gefferunt L. Aurelius Cotta et L. Manlius Torquatus, illius adoleſcentis pater. Itaque Cic. de Fin. II, 19 hic *adoleſcentulus dicitur conſulatum Pub. Sullae eripuiſſe et ad patrem transtuliſſe.* Tum Sulla denuo A. 691. Silano et Murena coſſ. accuſatus eſt ab eodem Torquato filio, quod coniurationis Catilinariae focius fuiſſet. Et quoniam bis coniuratum erat a Catilina, Hortenſius et Cicero P. Sullae defenſionem ſic inter ſe partiti ſunt, ut ille eum a prima, Cicero autem ab altera coniuratione abfuiſſe demonſtraret.

In exordio Cicero ſe ipſum defendit, quod cauſam Sullae contra Torquatum ſuſceperit; id quod accuſator ei vitio verterat. Non enim ſe ſolum, ſed alios quoque clariſſimos viros eius cauſae favere; Hortenſium non dubitaſſe, quin innocentem defenderet; aliorum etiam, qui ſalvum Sullam velint, ſummorum virorum ſtudio ac dignitate hoc

iudicium celebrari. Eos, qui vero coniuraverint nec a se, nec ab aliis fuisse defensos. Et quum duas Torquatus coniurationes constituerit, unam quae Lepido et Volcatio coss. facta esse dicatur, alteram quae Cicerone consule fuerit, adversus prioris coniurationis crimen Sullam defensum esse ab Hortensio, qui eius coniurationis suspiciones propius cognoverit, et particeps consiliorum Torquati patris fuerit. Sibi igitur has esse partes impositas, ut Sullam a crimine maximae coniurationis se consule factae defenderet c. 1—4. Et quod Torquatus mirari se dixerat, quod Cicero Autronio defuerit, Sullam defendat, ostendit utriusque causam prorsus diversam esse. c. 5. 6. Deinde quod Torquatus se regnum Ciceronis ferre posse negaverat, eumque peregrinum appellaverat, Cicero se nec regem esse nec peregrinum docet. c. 7—9. Deinde ipsum Torquatum reprehendit, quod suppressa voce et leniter de coniuratione, de supplicio P. Lentuli magna et queribunda voce dixisset; quum nihil magis alienum sit ab eo, qui alterum coniurationis accuset, quam videri coniuratorum poenam mortemque lugere. Tum illud vel maxime reprehendendum esse dicit, quod Torquatus arbitretur plebi Romanae res eas non probari, quas se consule omnes boni pro salute communi gesserint. Itaque excurrit in laudes rerum a se in consulatu adversus Catilinam gestarum, idque se coactum a Torquato, quod in se esset oratione sua invectus, facere ostendit c. 10—12.

Tum accedit ad ipsam causam et Torquati criminationes diluendas. Primum ille dixerat ab Allobrogibus nominatum esse Sullam. Cicero demonstrat in eorum iudicio nihil esse,

quod sit in Sullam criminosum, c. 13. Deinde Torquatus dixerat, Ciceronem aliter ac dictum fuerit in tabulas publicas retulisse; quam calumniam Cicero graviter retundit c. 14—17. Tum refutat id quod ille dixerat, Sullam ab eius Cornelii, qui inter socios Catilinae fuerat, filio accusari c. 18 et gladiatores ab eo ad caedem et tumultum emptos esse, ubi ostenditur Sullam hos ad munus edendum emisse c. 19. Porro Torquatus dixerat Sittium a Sulla in ulteriorem Hispaniam missum, ut eam provinciam perturbaret. Cui Cicero respondet, Sittium ante coniurationis suspicionem profectum esse ob necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta c. 20. Iam vero quod Torquatus subiecerat, Pompeianos h. e. oppidi Pompeiorum incolas esse a Sulla impulsos, ut ad coniurationem Catilinariam accederent, id cuiusmodi sit negat Cicero se intelligere posse. Neque enim coniurasse Pompeianos, neque Sullam eos a colonis disiunxisse, ut hoc discidio facto posset eos in sua potestate habere. Tum quod Torquatus obiecerat, L. Caecilium c. 21 Sullae fratrem, in eius gratiam legem ferre voluisse de minuenda ambitionis poena; Cicero demonstrat hanc legem paucos dies propositam, ferri coeptam nunquam esse c. 22. 23. Denique quod Torquatus ex epistola Ciceronis ad Pompeium de suis rebus gestis scripta crimen aliquod in P. Sullam quaesiverat, id nullam prorsus vim habere ostendit c. 24.

Iam criminibus dissolutis Cicero de Sullae vita et moribus dicit, eiusque animum in rem publicam, constantiam vitae, dignitatem, liberalitatem, moderationem in rebus

privatis, ſplendorem in publicis collaudat, excuſat etiam vulnus damnatione de ambitu acceptum c. 25—27.

Et quoniam Torquatus quaeſtiones ac tormenta ſervorum minatus erat, Cicero ſe quidem in iis nihil periculi ſuſpicari, tormenta tamen plerumque veritati loci nihil relinquere, et quaeſtionem potius de vita Sullae, quam quaeſtionem de ſervis per tormenta habendam eſſe oſtendit, c. 28. Magnum vero Sullae praeſidium eſſe debere in virorum conſularium auctoritatibus et ſuo ipſius teſtimonio c. 29. 30.

Poſtremo teſtatur deos ſe integro animo ac libero P. Sullae cauſam defendere c. 31 eumque iudicum manſuetudini et humanitati commendat c. 31.

Abſolutum eſſe P. Sullam conſtat. Anno 699 enim Gabinium de ambitu accuſavit. Epp. ad Q. Fratr. III, 3.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRO P. SULLA.

Maxime vellem, iudices, ut P. Sulla et antea dignitatis ſuae ſplendorem obtinere, et poſt calamitatem acceptam modeſtiae fructum aliquem potuiſſet percipere. Sed quoniam ita tulit caſus infeſtus, ut ampliſſimo honore quum communi ambitionis invidia, tum ſingulari Autronii odio everteretur, et in his priſtinae fortunae reliquiis miſeris et afflictis tamen haberet quosdam, quorum animus ne ſupplicio quidem ſuo ſatiare poſſet, quamquam ex huius incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam

c. I. §. 1. *dignitatis ſuae ſpl. obt.* conſulatu adminiſtrando. *poſt calamitatem acceptam*, quum ambitus crimine damnatus eſſet.

modeſtiae fr. percip. ut, quam modeſtia, modeſto ferendo calamitatem iudicii, dignitatem retinuiſſet (infr. §. 15), eam conſervaret, nec eam nova accuſatione de coniuratione facta amitteret.

ambitio h. l. pro ambitu; ſed lenius vocabulum poſuit, ne in Sullam ambitus crimen conferre videretur. *Autronii odio*, quo Autronium omnes proſequebantur. De ablativis duobus diverſa vi praeditis vid. ad or. pro Mur. §. 87.

miſeris et afflictis quamvis miſerae et afflictae eſſent. vid. ad Catil. III §. 10.

moleſtiam capio. Sic *dolorem capere* Brut. 1. *laetitiam cap.* ad Famil. III, 9. (64. 4. cf. ad Att. IV, 17. XIV. 16.) *voluptatem cap.* ad Fam. V, 2. (epp. V, 6) Verr. V, 14, 37. Tuſc. IV, 31, 66. ad Famil. V, 10. quos locos citat Sylvius.

facile patior. Vid. ad Cicer. epiſt. 92, 7. ed. II.

misericordiamque, notam omnibus quondam, nunc quasi intermissam agnoscerent, improbi ac perditi cives, redomiti atque victi, praecipitante republica, vehementem me fuisse atque fortem, conservata, mitem ac misericor-
2 dem faterentur. Et quoniam L. Torquatus, meus familiaris ac necessarius, iudices, existimavit, si nostram in accusatione sua necessitatem familiaritatemque violasset, aliquid se de auctoritate meae defensionis posse detrahere, cum huius periculi propulsatione coniungam defensionem officii mei. Quo quidem genere non uterer orationis, iudices, hoc tempore, si mea solum interesset: multis enim mihi locis et data facultas est et saepe dabitur de mea laude dicendi; sed, ut ille, iudices, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de huius praesidiis deminuturum putavit, sic hoc ego sentio, si mei facti rationem vobis constantiamque huius officii ac defensionis probavero, causam quoque me P. Sullae probaturum.

3 Ac primum abs te illud, L. Torquate, quaero, cur me a ceteris clarissimis viris ac principibus civitatis in

---

redomiti, denuo domiti, Sulla absoluto, quem condemnari voluerant.

vehementem, severum. vid. infr. §. 8. 87. Catil. II, §. 13.

§. 2. *necessitatem*, i. e. necessitudinem, ut antea *meus necessarius*, i. e. necessitudine mecum coniunctus. Gell. XIII, 3. *necessitas sane pro iure officioque observantiae affinitatisque infrequens est, quamquam qui ob hoc ipsum ius affinitatis familiaritatisve coniuncti sunt, necessarii dicuntur. Reperi tamen in oratione C. Caesaris, necessitatem dictam pro necessitudine, id est iure affinitatis. Verba haec sunt: Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.* Ursinus et Muretus var. l. II. 18. comparant locum Demosth. pro corona p. 228, 5. *εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ αὐτοῦ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἂν ἀπελογούμην· ἐπειδὴ δ' οὐκ ἐλάττω λόγον τἄλλα διεξιὼν ἀνήλωκε καὶ τὰ πλεῖστα κατεψεύσατό μου, ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω καὶ δίκαιον ἅμα βραχέα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ τούτων πρῶτον εἰπεῖν, ἵνα μηδεὶς ὑμῶν τοῖς ἔξωθεν λόγοις ἠγμένος ἀλλοτριώτερον τῶν ὑπὲρ τῆς γραφῆς δικαίων ἀκούῃ μου.* quae cum loco infr. §. 35 comparat Manutius.

officii ac defensionis. Est ἓν διὰ δυοῖν· Si vobis probavero, me in hoc officio defensionis mihi constare etc.

hoc officio atque in defensionis iure fecernas: quid enim est, quamobrem abs te Q. Hortensii factum, clarissimi viri atque ornatissimi civis, non reprehendatur, reprehendatur meum? nam si initum est consilium a P. Sulla inflammandae civitatis, huius exstinguendi imperii, delendae urbis, mihi maiorem hae res dolorem, quam Q. Hortensio, mihi maius odium afferre debent, meum denique gravius esse iudicium, qui adiuvandus in his causis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deferendus esse videatur? Ita, inquit: tu enim investigasti, tu patefecisti II coniurationem. Quod quum dicit, non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curasse, ut id omnes viderent, quod 4 antea fuisset occultum. Quare ista coniuratio, si patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi. Quem quum videas, hoc honore, auctoritate, virtute, consilio praeditum, non dubitasse, quin innocentem P. Sullam defenderet, quaero, cur, qui aditus ad causam Hortensio patuerit, mihi intercluſus esse debuerit. Quaero illud etiam, si me, qui defendo, reprehendendum putas esse, quid tandem de his existimes summis viris et clarissimis civibus, quorum studio et dignitate celebrari hoc iudicium, ornari causam, defendi huius innocentiam vides: non enim una est ratio defensionis ea, quae posita est in oratione; omnes, qui adsunt, qui laborant, qui salvum volunt, pro sua parte atque auctoritate defendunt. An 5 vero, in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina

---

§. 3. *gravius*, id est, verius et maioris momenti, et cui potius credendum sit. *Sylv. qui*, qualis ingenii vir.

c. II. §. 4. *non dubitasse, quin — defend.* Vid. ad or. pro l. Manil. §. 49.

celebrari. Venerant non ut patroni causam acturi, sed ut advocati reum sua praesentia suaque auctoritate sublevaturi. *Manut.*

§. 5. *subselliis*, rei Sullae. *Id. quorum* ad *ornam. ac lum. reip.* relatum, non magis durum est, ut videbatur Ern. quam quod legitur Manil. II, 4. *Equitibus Rom. honestissimis viris, afferuntur ex Asia quotidie litterae, quorum magnae res aguntur etc.* Schütz. censet, Ciceronem sibi nimium derogaturum fuisse, si aliorum clarorum virorum opera se ad consulatum perveniſse dixisset, ideoque *quorum* ad *subsellia* refert. At defensionum labores, qui significantur verbis *multis meis ac magnis laboribus et periculis*, per se non sufficiunt ad consulatum mandandum, nisi accesserit virorum potentium opera et studium. *Subselliorum*

reipublicae viderem, in his me apparere nollem, quorum ego opera illum in locum atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris multis meis ac magnis laboribus et periculis adscendissem? Atque, ut intelligas, Torquate, quem accuses, si te id offendit, quod ego, qui hoc genere quaestionis defenderim neminem, non desim P. Sullae, recordare de ceteris, quos adesse huic vides; intelliges, et de hoc et de ceteris iudicium meum
6 et horum par atque unum fuisse. Quis nostrum adfuit Varguntеio? nemo, ne hic quidem Q. Hortensius, praesertim qui illum solus antea de ambitu defendisset: non enim iam se ullo officio cum illo coniunctum arbitrabatur, quum ille, tanto scelere commisso, omnium officiorum societatem diremisset. Quis nostrum Ser. Sullam, quis P., quis M. Laecam, quis Cornelium defendendum putavit? quis his horum adfuit? nemo. Quid ita? quia ceteris in causis etiam nocentes viri boni, si necessarii sunt, deserendos esse non putant, in hoc crimine non solum levitatis est culpa, verum etiam quaedam contagio

---

autem, vel alius cuiusvis rei inanimae *operam* qui dixerit, inveni neminem. Garaton. praetulit id quod est in Franc. sec. et ed. prima, *opo quorum ego.*

hoc genere quaest. de maiestate accipientem *Manutium* refutat Ferratius apud Garaton. ad argum. et quaestionem habitam esse e lege Lutatia de vi ex or. pro Coel. c. 1 et 29 docet. *Maiestatis* enim lege, inquit, tenebantur, qui hostium duces, accepta pecunia, liberaverant, ut C. Verres. in Verr. 1, 5, qui legiones sollicitaverant, ut C. Stalenus pro Cluent. 36. qui exercitum hostibus prodiderant, ut C. Antonius apud Dionem; qui in alienam provinciam contra S. C. et legem populi legiones duxerant, ut A. Gabinius ad Quint. fr. III, 1 sqq. qui tribuno pl. intercedenti non obtemperaverant, ut C. Cornel. apud Asconium.

§. 6. *Varguntеio.* vid. ad Catil. 1 §. 9 ut et de Cornelio. *Serv. et Publium Sullas*, Servii filios inter coniuratos nominat etiam Sallust. Catil. 17. Servium autem illum patrem Sullae dictatoris fratrem fuisse, nostrum Sullam eiusdem *propinquum*, ut appellatur de offic. II, 8 contra quam Dio Cass. narrat XXXVI, 27 recte ad h. l. ostendit Garaton.

his horum defendit Goerenz ad Cic. Fin. IV extr. Mihi *his* h. l. plane inutile videtur.

nocentes. de offic. II, 14, 51 *nec tamen habendum est religioni, nocentem aliquando, modo nefarium impiumque, defendere; vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas.*

sceleris, si defendas eum, quem obstrictum esse patriae parricidio suspicere. Quid Autronio, nonne sodales, 7
non collegae fui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non hi omnes, qui sunt in republica principes, defuerunt? imo etiam testimonio plerique laeserunt? Statuerant, tantum illud esse maleficium, quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet. Quamobrem quid est, quod III
mirere, si cum iisdem me in hac causa vides adesse, cum quibus in ceteris intelligis abfuisse? nisi vero me unum vis ferum, praeter ceteros, me asperum, me inhumanum existimari, me singulari immanitate et crudelitate praeditum. Hanc mihi tu si propter res meas ge- 8
stas imponis in omni vita mea personam, Torquate, vehementer erras; me natura misericordem, patria severum, crudelem nec patria, nec natura esse voluit. Denique istam ipsam personam vehementem et acrem, quam mihi tum tempus et respublica imposuit, iam voluntas et natura ipsa detraxit: illa enim ad breve tempus severitatem postulavit, haec in omni vita misericordiam lenitatemque desiderat. Quare nihil est, quod ex tanto 9
comitatu virorum amplissimorum me unum abstrahas; simplex officium atque una est bonorum omnium causa; nihil erit, quod admirere posthac, si in ea parte, in qua hos animadverteris, me videbis: nulla est enim in republica causa mea propria; tempus agendi fuit magis mihi proprium, quam ceteris, doloris vero et timoris et periculi fuit illa causa communis: neque enim princeps

---

§. 7. *obstrictum. Obstringi* et *obligari* scelere dicuntur, quibus necessitas est imposita poenam sceleri commisso propositam ferendi. Sic *parricidio obstringi* de off. III, 21, 83. *Potest cuiquam esse utile foedissimum et teterrimum parricidium* patriae? *quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus parens nominetur.* Cf. Phil. XI, 12, 29. *quos locos in Promuls.* adscripsit Zinzerling. in ed. Graev.

c. III. §. 8. *abfuisse*, i. e. non defendisse, ut infr. c. V, 14. Cf. Wopkens. lect. Tull. 1, 6.

§. 9. *simplex offic.* unum idemque, non multiplex, ut nemo civis bonus quemquam ex coniuratis defenderit.

admirere i. e. mirere, ut infr. c. VII, 22. X, 31 de quo usu Garaton. citat Wopkens. lect. Tull. II, 1. Burmann. ad Phaedr. I, 12, 5.

causa mea propria. Vid. ad Cicer. epist. CVIII §. 1. Pro eo mox est *praecipuum* et §. 12.

tunc ad ſalutem eſſe potuiſſem, ſi eſſe alii comites noluiſſent. Quare neceſſe eſt, quod mihi conſuli praecipuum fuit praeter alios, id iam privato cum ceteris eſſe commune. Neque ego hoc partiendae invidiae, ſed communicandae laudis cauſa loquor; oneris mei partem
10 nemini impertio, gloriae bonis omnibus. In Autronium teſtimonium dixiſti, inquit; Sullam defendis. Hoc totum eiusmodi eſt, iudices, ut, ſi ego ſim inconſtans ac levis, nec teſtimonio fidem tribui convenerit, nec defenſioni auctoritatem. Sin eſt in me ratio reipublicae, religio privati officii, ſtudium retinendae voluntatis bonorum, nihil minus accuſator debet dicere, quam a me defendi Sullam, teſtimonio laeſum eſſe Autronium: videor enim non ſolum ſtudium ad defendendas cauſas, verum opinionis aliquid et auctoritatis afferre; qua et moderate ego utar, iudices, et omnino non uterer, ſi ille me non
IV coëgiſſet. Duae coniurationes abs te, Torquate, conſti-
11 tuuntur, una, quae Lepido et Volcatio conſulibus, patre tuo conſule deſignato, facta eſſe dicitur, altera, quae me conſule; harum in utraque Sullam dicis fuiſſe. Patris tui, fortiſſimi viri atque optimi conſulis, ſcis, me conſiliis non interfuiſſe; ſcis, me, quum mihi ſummus tecum uſus eſſet, tamen illorum expertem temporum et ſermonum fuiſſe, credo, quod nondum penitus in republica verſabar, quod nondum ad propoſitum mihi finem honoris perveneram, quod mea me ambitio et forenſis labor
12 ab omni illa cogitatione abſtrahebat. Quis ergo intererat veſtris conſiliis? omnes hi, quos vides huic adeſſe, et in primis Q. Hortenſius; qui quum propter honorem ac dignitatem atque animum eximium in rempublicam, tum propter ſummam familiaritatem ſummumque amorem in patrem tuum, tum communibus, tum praecipuis patris

---

c. IV. §. 11. *Lepido et Volcatio Coſſ.* vid. ad Catil. I §. 15. Eo anno praetor fuit Cicero. Tullum alibi etiam Volcatium vocat, ut pro Planc. 21. epp. fam. I, 1. ad Att. VII, 3. XII, 21 quos locos laudat Garaton. qui nomina conſulum, quibus illos ſolerent homines in familiari ſermone appellare, poſita eſſe, *Lepidi* autem cognomen pro nomine *Aemilii* uſurpari ſolitum eſſe, ut plures gentis Aemiliae familiae, Paulli, Lepidi, Scauri, diſtinguerentur.

patris tui, qui conſul fuit anno 688 cum L. Aurelio Cotta biennio ante Ciceronem coſ.

ad finem honoris, ſummum honorem, conſulatum.

tui periculis commovebatur. Ergo iſtius coniurationis crimen defenſum ab eo eſt, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et conſilii veſtri fuit et timoris. Cuius in hoc crimine propulſando quum eſſet copioſiſſima atque ornatiſſima oratio, tamen non minus inerat auctoritatis in ea, quam facultatis. Illius igitur coniurationis, quae 13
facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata eſſe dicitur, ego teſtis eſſe non potui: non modo enim nihil comperi, ſed vix ad aures meas iſtius ſuſpicionis fama pervenit. Qui vobiscum in conſilio fuerunt, qui vobiscum illa cognorunt, quibus ipſis periculum tum conflari putabatur, qui Autronio non adfuerunt, qui in illum teſtimonia gravia dixerunt, hunc defendunt, huic adſunt, in huius periculo declarant, ſe non crimine coniurationis, ne adeſſent ceteris, ſed hominum maleficio deterritos eſſe. Mei conſulatus autem tempus et crimen maximae coniurationis a me defendetur. Atque inter nos partitio non eſt fortuito, iudices, nec temere facta, ſed, cum videremus, eorum criminum nos patronos adhiberi, quorum teſtes eſſe poſſemus, uterque noſtrum id ſibi ſuſcipiendum putavit, de quo aliquid ſcire ipſe atque exiſtimare potuiſſet. Et, quoniam de criminibus ſupe- V
rioris coniurationis Hortenſium diligenter audiſtis, de 14
hac coniuratione, quae me conſule facta eſt, hoc primum attendite.

Multa, quum eſſem conſul, de ſummis reipublicae periculis audivi, multa quaeſivi, multa cognovi; nullus umquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullae litterae pervenerunt, nulla ſuſpicio. Multum haec vox fortaſſe deberet valere eius hominis, qui conſul inſidias reipublicae conſilio inveſtigaſſet, veritate aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet, quum ipſe nihil audiſſe de P. Sulla, nihil ſuſpicatum eſſe diceret. Sed ego nondum utor hac voce ad hunc defendendum; ad purgandum me potius utor, ut mirari Torquatus deſinat, me, qui

---

§. 12. *defenſum*, propulſatum a Sulla. Vid. or. pro S. Roſcio §. 1.

c. V. §. 14. *veritate* membrorum aequandorum cauſa addidit Cicero. Eſt pro ad veritatem, vere, quum et antea *conſilio* et poſt *magnitudine an.* id ſignificent, cuius opo illa effecta erant.

nihil audiſſe ſc. ſe. vid. ad or. pro S. Roſc. §. 61 pro Mur. §. 7.

15 Autronio abfuerim, Sullam defendere. Quae enim Autronii fuit cauſa? quae Sullae eſt? ille ambitus iudicium tollere ac diſturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione atque concurſu; Sulla, ſi ſibi ſuus pudor ac dignitas non prodeſſet, nullum auxilium requiſivit. Ille damnatus ita ſe gerebat, non ſolum conſiliis et ſermonibus, verum etiam adſpectu atque vultu, ut inimicus eſſe ampliſſimis ordinibus, infeſtus bonis omnibus, hoſtis patriae videretur; hic ſe ita fractum illa calamitate atque afflictum putavit, ut nihil ſibi ex priſtina dignitate ſu-
16 pereſſe arbitraretur, niſi quod modeſtia retinuiſſet. Hac vero in coniuratione, quid tam coniunctum, quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quae tanta ſocietas ullis inter ſe rerum optimarum, quanta ei cum illis ſceleris, libidinis, audaciae? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod ſine eodem illo Catilina facinus admiſit? quum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem ſolitudinemque non quaereret, ſed ne mediocri quidem ſermone et congreſſu coniungeretur.
17 Illum Allobroges, maximarum rerum veriſſimi indices, illum multorum litterae ac nuntii coarguerunt; Sullam interea nemo infimulavit, nemo nominavit. Poſtremo, eiecto ſive emiſſo iam ex urbe Catilina, ille arma miſit cornua, tubas, falces, ſigna, ille relictus intus, exſpectatus foris, Lentuli poena compreſſus, convertit ſe aliquando ad timorem, numquam ad ſanitatem; hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit, ubi neque homines fuiſſe putantur huius affines ſuſpicionis, et locus eſt ipſe non tam ad inflammandos calamitoſorum animos, quam ad conſolandos accommodatus.
VI Propter hanc igitur tantam diſſimilitudinem hominum atque cauſarum diſſimilem me in utroque praebui.
18 Veniebat enim ad me, et ſaepe veniebat, Autronius,

§. 15. *ambitus iudic. tollere*, quum ambitus crimine damnatus conſulatu excidiſſet, hunc vero coniuratione cum Catilina facta, tamen invadere cogitaret.

§. 16. *quod flagitium — admiſit.* Cf. Catil. II, 4, 7.

§. 17. *eiecto sive emiſſo.* Cf. Catil. II in.

neque — et. Cf. Catil. II, 10, 22 pro Mil. 23, 61. Heuſing. ad offic. p. 161 not. *r.*

non tam ad inflamm. etc. propter exiguam loci frequentiam.

multis cum lacrymis ſupplex, ut ſe defenderem, et ſe meum condiſcipulum in pueritia, familiarem in adoleſcentia, collegam in quaeſtura commemorabat fuiſſe; multa mea in ſe, nonnulla etiam ſua in me proferebat officia. Quibus ego rebus, iudices, ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipſi fecerat inſidias, deponerem, ut iam immiſſum eſſe ab eo C. Cornelium, qui me in ſedibus meis, in conſpectu uxoris meae ac liberorum meorum trucidaret; obliviſcerer. Quae ſi de uno me cogitaſſet, qua mollitia ſum animi ac lenitate, numquam mehercule illius lacrymis ac precibus reſtitiſſem. Sed, quum mihi patriae, quum 19
veſtrorum periculorum, quum huius urbis, quum illorum delubrorum atque templorum, quum puerorum infantium, quum matronarum ac virginum veniebat in mentem, et quum illae infeſtae ac funeſtae faces univerſumque totius urbis incendium, quum tela, quum caedes, quum civium cruor, quum cinis patriae verſari ante oculos atque animum memoria refricare coeperat, tum denique ei reſiſtebam, neque ſolum illi hoſti ac parrici-

c. VI. §. 18. *in ſedibus meis*, in domo mea. Vid. infr. XVIII extr. Catil. I, 4, 9. Sed vix dubito, quin legendum ſit *in aedibus meis*, quas voces ſaepe inter ſe confuſas eſſe docet Garaton. ad or. pro Flacc. c. 25. Nec tuetur receptam ſcripturam locus Livii V, 42. *ceteros in ſedibus ſuis trucidatos*, ibi enim de pluribus ſermo. In divin. in Caecil. c. 5 recte Manut. legendum coni. *in meis urbibus, aedibus, delubris.* Satis antiquum autem vitium eſſe, apparet ex imitatione declamatoris pro domo 58 *me in ſedibus meis collocatis.*

mollitia animi eſt quae facile movetur in utramque partem, ut calamitate alterius ad miſeri-cordiam, impudentia ad iram vel indignationem. Eadem vocatur *mollitudo.* Orat. III, 40. Hinc *mollis animus et ad accipiendam et ad deponendam offenſionem* ad Att. I, 17. Alias in vitio ponitur.

§. 19. *animum memoria refricare.* Proprie refricatur memoria, ut Phil. III, 7. *refricare memoriam pulcherrimi facti*, i. e. renovare. Similis eſt enallage, qua *terra manare ſanguine* dicitur, pro *ſanguis manare in terra.* Sic proprie *nota inuritur alicui*, ſed pro Cluent. 49, 129 eſt: *is cenſoriae ſeveritatis nota non inuretur.* Cf. Phil. XIII, 19, 40. Honores proprie continuantur in familia, ſed pro Flacc. II, 25 *familia honoribus continuata permanſit.*

dae, ſed his etiam propinquis illius, Marcellis, patri et filio, quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii ſuavitatem obtinebat, neque me arbitrabar ſine ſummo ſcelere poſſe, quod maleficium in aliis vindicaſſem,
20 idem in illorum ſocio, quum ſcirem, defendere. Atque idem ego neque P. Sullam ſupplicem ferre, neque eosdem Marcellos pro huius periculis lacrymantes adſpicere, neque huius M. Meſſallae, hominis neceſſarii, preces ſuſtinere potui: neque enim eſt cauſa adverſata naturae, nec homo, nec res miſericordiae meae repugnavit; nusquam nomen, nuſquam veſtigium fuerat, nullum crimen, nullum indicium, nulla ſuſpicio. Suſcepi cauſam, Torquate, ſuſcepi, et feci libenter, ut me, quem boni conſtantem ſemper, ut ſpero, exiſtimaſſent, eundem ne improbi quidem crudelem dicerent.

VII Hic ait ſe ille, iudices, regnum meum ferre non
21 poſſe. Quod tandem, Torquate, regnum? conſulatus, credo, mei; in quo ego imperavi nihil, ſed contra patribus conſcriptis et bonis omnibus parui. Quo in magiſtratu non inſtitutum eſt a me, iudices, regnum, ſed non permiſſum. An tum, in tanto imperio, tanta poteſtate, non dicis fuiſſe regem, nunc privatum regnare dicis? quo tandem nomine? „Quod, in quos teſtimonia dixiſti, inquit, damnati ſunt, quem defendis, ſperat ſe abſolutum iri.“ Hic tibi ego de teſtimoniis meis hoc reſpon-

---

Marcellis. vid. ad Catil. I 8, 19.

§. 20. *Suscepi cauſam T. ſuscepi.* Plura huius figurae exempla attulit Garaton. ad or. pro Mil. 26 p. 178. *ſuscipere* vid. id. ad Mil. 24, 66. in voc.

c. VII. §. 21. *regnum meum.* Fam. VII, 24. *olim, quum regnare exiſtimabar.* IX, 18. *amiſſo regno forenſi.* Quint. X, 112. *Quare non immerito ab hominibus aetatis ſuae regnare in iudiciis dictus eſt.*

An tum. Solenne est in tali argumentatione, ut duo membra iuxta ſe ponantur, tanquam re ipſa coniuncta, quum tamen inter ſe opponantur pro An, quum tum non — dicas me fuiſſe regem, nunc dicis? vid. ad Manil. I 2. Catil. I §. 3. Cf. infra II, 32 *me* autem in ſqq. facillime ſuppletur.

non permiſſum, Catilinae eiusque ſociis, qui regnaſſent, niſi Cicero conatus eorum repreſſiſſet. Si legeretur, *ſed repreſſum*, (quod legitur in Palat. nono, ab explicatore, puto) ſignificaret, regnum iam fuiſſe penes Catilinam, ſed coërcitum a Cic. et *non permiſſum* melius reſpondet verbis *non inſtitutum-*

deo, ſi falſum dixerim, te in eosdem dixiſſe, ſin verum, non eſſe hoc regnare, quum verum iuratus dicas, probare. De huius ſpe tantum dico, nullas a me opes P. 22
Sullam, nullam potentiam, nihil denique praeter fidem defenſionis exſpectare. „Niſi tu, inquit, cauſam recepiſſes, numquam mihi reſtitiſſet, ſed indicta cauſa profugiſſet.“ Si iam hoc tibi concedam, Q. Hortenſium, tanta gravitate hominem, ſi hos tales viros non ſuo ſtare iudicio, ſed meo, ſi hoc tibi dem, quod credi non poteſt, niſi ego huic adeſſem, hos adfuturos non fuiſſe, uter tandem rex eſt, isne, cui innocentes homines non reſiſtunt, an is, qui calamitoſos non deſerit? At hic etiam, id quod tibi neceſſe minime fuit, facetus eſſe voluiſti, quum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem eſſe dixiſti. Mitto iam de rege quaerere; illud quaero, peregrinum cur me eſſe dixeris: nam, ſi ita ſum, non tam eſt admirandum, regem eſſe me, quia, ut tu vis, etiam peregrini reges Romae fuerunt, quam conſulem Romae fuiſſe peregrinum. „Hoc dico, inquit, 23
te eſſe ex municipio.“ Fateor, et addo etiam, ex eo municipio, unde iterum iam ſalus huic urbi imperioque miſſa eſt. Sed ſcire ex te pervelim, quamobrem, qui ex municipiis veniant, peregrini tibi eſſe videantur: nemo enim iſtud M. illi Catoni ſeni, quum plurimos haberet inimicos, nemo T. Coruncanio, nemo M'. Curio, nemo huic ipſi noſtro C. Mario, quum ei multi inviderent, obiecit umquam. Equidem vehementer laetor, eum eſſe me, in quem tu, quum cuperes, nullam contumeliam iacere potueris, quae non ad maximam partem

---

te in eosdem dixiſſe, ideoque idem feciſſe, quod quia ego fecerim, regnare a te dicor. *probare*, facere ut iudices verum teſtimonium habeant.

§. 22. *Si tibi hoc concedam.* Vid. ad or. pro Sext. 20, 45.

id quod tibi neceſſe minime fuit. Iocus eſt in Torquatum, cuius ingenio facetiae non conveniebant. *Ern.*

me tertium peregrinum regem. Sic Catilina apud Salluſt. Cat. 31. Ciceronem *inquilinum civem urbis Romae* vocat.

§. 23. *iterum*, quum C. Marius Arpinas primum eam ſervaſſet, deletis Cimbrorum et Teutonum copiis.

Catoni — Coruncanio, Tuſculanis. Coruncanius primus e plebe Pontifex maximus factus eſt, iuris ſcientia et prudentia civili clarus. *M'. Curio* Dentato, qui de Samnitibus et Pyrrho triumphavit.

VIII civium conveniret. Sed tamen te a me pro magnis cauſis noſtrae neceſſitudinis monendum eſſe etiam atque etiam puto. Non poſſunt omnes eſſe patricii; ſi verum quaeris, ne curant quidem, nec ſe aequales tui propter
24 iſtam cauſam abs te anteiri putant. Ac, ſi tibi nos peregrini videmur, quorum iam et nomen et honos inveteravit et huic urbi et hominum famae ac ſermonibus, quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri neceſſe erit, qui iam ex tota Italia delecti tecum de honore et de omni dignitate contendunt! quorum cave tu quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum ſuffragiis obruare. Qui ſi attulerint nervos et induſtriam, mihi crede, excutient tibi iſtam verborum iactationem et te ex ſomno ſaepe excitabunt nec patientur, ſe abs te,
25 niſi virtute vincentur, honore ſuperari. Ac ſi, iudices, ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium fileretur: eſt enim ipſe a materno genere municipalis, honeſtiſſimi ac nobiliſſimi generis, ſed tamen Aſculani. Aut igitur doceat, Picentes ſolos non eſſe peregrinos, aut gaudeat ſuo generi me meum ante non ponere. Quare neque me peregrinum poſthac dixeris, ne gravius refutere, neque regem, ne derideare; niſi forte regium tibi videtur, ita vivere, ut non modo homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ulli

---

c. VIII. *pro m. cauſis n. neceſſitudinis*, pro magna noſtra neceſſitudine, quia in neceſſit. cauſa poſita eſt, cur eum monendum putet. Divin. in Caec. 2. *ſi mihi cum Siculis cauſa tantae neceſſitudinis non intercederet.* Quint. 15, 48 iunguntur *cauſae et neceſſitudines veteres.* epp. fam. XIII, 19 pro neceſſitudine ſtatim poſt dicit cauſam.

ne curant quidem, quia tum patricii nihil admodum praecipui iuris habebant, quum honores etiam plebeiis paterent. *Ern.*

§. 24. *delecti* ſunt nobiliſſimi, ut pro Sext. 49, 104. *delecti et principes* iunguntur, ut iam expl. Ern. in cl., qui citat Vatin. 9. extr.

§. 25. *hoc vitium* peregrinitatis, quod Torquato certe, peregrinos vocanti municipales, vitium videtur, etſi verum eſt peregrinos qui proprie dicuntur, proprie ſic dictos ad honores adſpirare non poſſe. Vid. Ern. clav. *fileretur*, i. e. fileri deberet.

me meum ante non ponere pro me meum non anteponere. Sic de off. III, 17, 71. *mala bonis ponit ante.*

non modo homini nemini. Vid. ad Muren. §. 8.

ſervias: contemnere omnes libidines, non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere, in ſenatu ſentire libere, populi utilitati magis conſulere, quam voluntati, nemini cedere, multis obſiſtere. Si hoc putas eſſe regium, me regem eſſe confiteor; ſin te potentia mea, ſi dominatio, ſi denique aliquod dictum arrogans aut ſuperbum movet, quin tu id potius profers, quam verbi invidiam contumeliamque maledicti. Ego tantis a me IX
beneficiis in republica poſitis, ſi nullum aliud mihi prae- 26
mium a ſenatu populoque Romano niſi honeſtum otium poſtularem, quis non concederet? ſibi haberent honores, ſibi imperia, ſibi provincias, ſibi triumphos, ſibi alia praeclarae laudis inſignia; mihi liceret eius urbis, quam conſervaſſem, conſpectu tranquillo animo et quieto frui? Quid, ſi hoc non poſtulo, ſi ille labor meus priſtinus, ſi ſollicitudo, ſi officia, ſi operae, ſi vigiliae deſerviunt amicis, praeſto ſunt omnibus, ſi neque amici in foro requirunt ſtudium meum, neque respublica in curia, ſi me non modo rerum geſtarum vacatio, ſed neque honoris, neque aetatis excuſatio vindicat a labore, ſi volun-

---

c. IX. §. 26. *ſibi habere aliquid* dicuntur, qui id cum nemine communicant. Cat. m. 16, 58. *ſibi igitur habeant arma.* Lael. 5, 18 *quare ſibi habeant ſapientiae nomen.* Hinc etiam formula divortii, qua res ſuas ſibi habere iubetur uxor Phil. II, 28. Cum hoc l. ſchol. Ambroſianus, a Maio editus, comparat fragm. orationis C. Gracchi. *Si vellem apud vos verba facere et a vobis poſtulare, quum genere ſummo ortus eſſem, et quum fratrem propter vos amiſiſſem, nec quisquam de P. Africani et Ti. Gracchi familia, niſi ego et puer reſtaremus, ut pateremini hoc tempore me quieſcere, ne a ſtirpe genus noſtrum interiret, et ut aliqua propago generis noſtri reliqua eſſet, haud ſcio an lubentibus a vobis impetraſſem.*

Operae pro ſing. opera, ut Mur. 9, 21. Cf. Verr. V, 47 in. Sed Cicero nomen plurale ponit, etſi nulla multitudinis notio in eo ineſt, quum nomina alia pluralia adiuncta ſunt, ut h. l. *vigiliae.* Vid. Bremi ad Cic. de fin. I, 8. p. 45.

requirunt. vid. ad or. pro l. Man. §. 6.

rerum geſt. vacatio, i. e. *vacatio* ſ. liberatio a labore quocunque, ob res geſtas data, ſicut Leg. I, 3. *aetatis vacatio.* Alibi genitivus deſignat rem, a qua quis liber eſt, ut *vacatio militiae, non modo rerum geſt. vacatio, ſed neque honoris* etc. Vid. Ramsh. gramm. lat. §. 181 p. 536 d. ſq.

tas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus, si mihi ne ad ea quidem, quae pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis? Tamen hoc regnum appellabitur? cuius vicarius qui velit esse, inveniri nemo potest. Longe
27 abest a me regni suspicio. Si quaeris, qui sint Romae regnum occupare conati, ut ne replices annalium memoriam, ex domesticis imaginibus invenies: res enim gestae, credo, meae me nimis extulerunt, ac mihi nescio quos spiritus attulerunt. Quibus de rebus tam claris, tam immortalibus, iudices, hoc possum dicere, me, qui e summis eripuerim periculis urbem hanc et vitam omnium civium, satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundarit.
28 Etenim, in qua civitate res tantas gesserim, memini, et in qua urbe verser, intelligo; plenum forum est eorum hominum, quos ego a vestris cervicibus depuli, iudices, a meis non removi; nisi vero paucos fuisse arbitramini, qui conari aut sperare possent, se tantum imperium posse delere. Horum ego faces eripere de manibus et gladios extorquere potui, sicut feci, voluntates vero conscelleratas ac nefarias nec sanare potui, nec tollere. Quare non sum nescius, quanto periculo vivam in tanta multitudine improborum, quum mihi uni cum omnibus improbis aeternum videam bellum esse susceptum.

---

cuius vicarius qui velit esse, qui velit in eius locum succedere, i. e. suscipere idem onus, eadem facere. Sic Mur. 37 successorem suum in consulatu Murenam vocat *vicarium suae diligentiae*. *Ern.* Verr. IV, 37, 81. *si hoc, quod abs te postulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere, succedam ego vicarius tuo muneri.* Cf. Rosc. Am. 38, 111.

§. 27. *replices.* Leg. III, 14, in. *replicare memoriam temporum.*

ex domesticis imaginibus, M. Manlium significat, qui, deiectis ex Capitolio Gallis, postea, quum in suspicionem regni veniisset, de rupe Tarpeia deturbatus est. *Manut.* Vid. Liv. VI, 14, 1qq.

credo ironice. vid. infr. §. 88. ad or. pro Rosc. §. 52. Catil. I, §. 5.

si ex hoc — redundarit. Cf. Catil. III, c. 12. Similem sententiam significare videtur etiam Catil. III. §. 28.

§. 28. *nisi vero.* vid. ad or. pro S. Rosc. §. 82.

Quod si illis meis praesidiis forte invides, et si ea tibi x
regia videntur, quod omnes boni omnium generum 29
atque ordinum suam salutem cum mea coniungunt, consolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni maxime sunt infensae et adversae; qui me non solum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios et furorem conscelleratum repressi, sed eo etiam magis, quod nihil iam se simile me vivo conari posse arbitrantur. At vero quid ego miror, si quid ab improbis de 30
me improbe dicitur, quum L. Torquatus primum ipse his fundamentis adolescentiae iactis, ea spe proposita amplissimae dignitatis, deinde L. Torquati, fortissimi consulis, constantissimi senatoris, semper optimi civis filius, interdum efferatur immoderatione verborum? qui quum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset, tantum modo ut vos, qui ea probatis, exaudire possetis, de supplicio P. Lentuli, de carcere magna et queribunda voce dicebat. In quo 31
primum illud erat absurdum, quod, quum ea, quae leviter dixerat, vobis probare volebat, eos autem, qui circum iudicium stabant, audire nolebat, non intelligebat, ea, quae clare diceret, ita illos audituros, quibus se venditabat, ut vos quoque audiretis, qui id non probabatis. Deinde alterum iam oratoris vitium, non videre, quid quaeque causa postulet. Nihil est enim tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuset, quam videri coniuratorum poenam mortemque lugere. Quod quum is tribunus plebis facit, qui unus videtur ex illis

---

c. X. §. 29. *illis meis praesidiis*, bonorum omnium studiis. *Manut.*

§ 30. *tantum modo ut, tantum, τοσοῦτον*, dicens, ut. Vid. Heinr. et Beier. ad or. pro Tull. p. 12.

§. 31. *leviter* i. e. *suppressa* vel, ut pro Flacc. 28, *submissa voce*, ut Catull. 84, 8. *audierant eadem haec leniter* (sine asperitate aspirationis) *et leviter* (i. e. voce non illa vehementi et elata, qua gaudebat Arrius, ut locum optime expl. Garaton.) Sic *leviter dicere* est apud Ovid. Heroid. III, 80. ubi vid. Burmann.

qui — accuset. vid. ad or. pro S. Roscio §. 4.

is tribunus pl. Metellum Nepotem intelligit Manut., de quo Cic. ad Famil. V, 2. L. Calpurnium Bestiam, quem inter coniuratos nominat Sallust. Catil. 17. Garatonus ad argum. p. 260 sq.

ad lugendos coniuratos relictus, nemini mirum est: difficile est enim tacere, quum doleas; te si quid eiusmodi facis, non modo talem adolescentem, sed in ea causa, in qua te vindicem coniurationis velis esse, vehe-
32 menter admiror. Sed reprehendo tamen illud maxime, quod isto ingenio et prudentia praeditus, causam reipublicae non tenes, qui arbitrere, plebi Romanae res eas non probari, quas, me consule, omnes boni pro salute com-
XI muni gesserunt. Ecquem tu horum, qui adsunt, quibus te contra ipsorum voluntatem venditabas, aut tam scelerato statuis fuisse, ut haec omnia perire voluerit, aut tam miserum, ut et se perire cuperet et nihil haberet, quod salvum esse vellet? An vero clarissimum virum generis vestri ac nominis nemo reprehendit, qui filium suum vita privavit, ut in ceteris firmaret imperium, tu rempublicam reprehendis, quae domesticos hostes, ne ab
35 iis ipsa necaretur, necavit? Itaque attende iam, Torquate, quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei. — Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam; adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magnopere laetor; erigite mentes auresque vestras, et me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Ego consul, quum exercitus perditorum civium, clandestino scelere conflatus, crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparasset, quum ad occasum interitumque reipublicae Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus

---

§. 32. *causam reip.* vid. ad or. pro l. Man. §. 2.

c. XI. *fuisse ut — voluerit — cuperet — haberet.* Perf. actionem significat ad id solum tempus restrictam, qua coniurationis particeps factus sit, imperfecta continuam animi affectionem. Cf. ad Rosc. 44, §. 127.

clarissimum virum, T. Manlium Torquatum, qui filium securi percussit, quod iniussu suo cum hoste pugnasset. De forma dicendi *An vero* etc. vid. supra ad VII, 21.

§. 33. *quam ego defugiam* i. e. quam non recusem, quo minus ea, quae, me consule, in opprimenda coniuratione gesta sunt, ea me auctore omnia gesta esse dicantur, ut explicat Muret. ad Terent. Eunuch. II, 4, 105. *Quam* enim non tantum est *quam valde*, sed etiam *quam parum* vel potius *quam non*, sicut *quantus, tantus* non solum significat *quam magnum, tam magnum*, sed etiam *quam* vel *tam exiguam*, vid. ad Manil. §. 14.

esset constitutus, meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempublicam liberavi; ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi. An 54
me existimasti haec iniuratum in iudicio non esse dicturum, quae iuratus in maxima concione dixissem? Atque XII
etiam illud addam, ne qui forte incipiat improbus subito te amare, Torquate, et aliquid sperare de te; atque, ut idem omnes exaudiant, clarissima voce dicam: harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute communi suscepi et gessi, L. ille Torquatus, quum esset meus contubernalis in consulatu atque etiam in praetura

---

meis consiliis etc. Cf. Catil. III. §. 1. II. c. 7 in.

sine tumultu etc. Catil. II, 13, 28. III, 10, 23.

quinque homin. compreh. Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario. *Novem* hominum poenam commemorat Catil. III, 6, 15. *Confossis* non proprie accipiendum, sed pro interfectis. Sic et *iudiciis confossi et iugulati* occurrunt. *Ern.*

incensione urbem. Cf. Catil. IV, 1, 2.

arcem regum. Catil. IV, 6, 11. *arcem omnium gentium* vocat, i. e. perfugium. Sic Catil. IV, §. 2. *curiam summum auxilium omnium gentium* vocat. Offic. II, 8, 26. *regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus.*

§. 34. *in maxima concione*, de qua ad Fam. V, 2, 15. 16. Metellus Nepos *pridie Kal. Jan. — abeuntem magistratu concionis habendae potestate privavit; cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. Num quum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret, magna voce iuravi verissimum pulcherrimumque iusiurandum, quod populus idem magna voce me vere iurasse iuravit.* in Pis. 3, 6. *Ego, quum in concione, abiens magistratu, dicere a trib. pl. prohiberer, quae constitueram, quumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret, sine ulla dubitatione iuravi, remp. atque hanc urbem mea unius opera esse salvam.*

c. XII. *meus contubernalis.* Ita tunc mos erat, ut adolescentes quotidiano convictu et sermone clarorum hominum administrandae reip. scientiam perciperent. Sic L. Gellius C.

fuiſſet, auctor, adiutor, particeps exſtitit, quum princeps, quum auctor, quum ſignifer eſſet iuventutis; parens eius, homo amantiſſimus patriae, maximi animi, ſummi conſilii, ſingularis conſtantiae, quum eſſet aeger, tamen omnibus rebus illis interfuit, numquam eſt a me digreſſus, ſtudio, conſilio, auctoritate unus adiuvit plurimum, quum
35 infirmitatem corporis animi virtute ſuperaret. Videsne, ut eripiam te ex improborum ſubita gratia et reconciliem bonis omnibus? qui te et diligunt et retinent retinebuntque ſemper, nec, ſi a me forte deſciveris, idcirco te a ſe et a republica et a tua dignitate deficere patientur. Sed iam redeo ad cauſam, atque hoc vos, iudices, teſtor: mihi de memetipſo tam multa dicendi neceſſitas quaedam impoſita eſt ab illo. Nam, ſi Torquatus Sullam ſolum accuſaſſet, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, niſi eum, qui accuſatus eſſet, defenderem; ſed quum ille tota illa oratione in me eſſet invectus et quum initio, ut dixi, defenſionem meam auctoritate ſpoliare voluiſſet, etiam ſi dolor meus reſpondere non cogeret, tamen ipſa cauſa hanc a me orationem flagitaſſet.

Carbonis in conſulatu contubernalis fuit, ut eſt in Bruto (c. 27). Sic M. Coelius Q. Pompeio procos. contubernalis in Africam eſt profectus, ut in oratione pro ipſo (c. 30) *Manut.*

auctor, qui Ciceronis conſilia approbavit et exemplum aliis praebuit, iuventuti exemplo ſuo praeivit. Honorificentius cauſae ſerviens de Torquato loquitur. Orell. ed. *actor*, quia auctorem ſuorum conſiliorum a Tullio conſule contubernalem adoleſcentem nominari parum ſit credibile. Num vero magis credibile erat, eum *actorem* nominari? quod voc. cum *auctor* coniungitur pro Sext. 28, 61.

parens eius. Garaton. comparat de Fin. II, 19, 62. de Torquato patre: *qualis ille vel conſul vel civis quum ſemper, tum poſt conſulatum fuit? quo quidem auctore nos ipſi ea geſſimus, ut omnibus potius, quam ipſis nobis conſuluerimus.*

iuventutis, equeſtris ordinis.

§. 35. *flagitaſſet.* Debebat dici: *quum ille invectus eſſet, et — voluiſſet, ipſa cauſa flagitavit.* Sed tempus accommodavit ad *etiamſi dolor meus reſpondere non cogeret.* De Plusquamp. Coni. poſt Imperf. vid. ad Catil. II, §. 3.

Allobrogibus, nominatum Sullam eſſe dicis. Quis XIII
negat? ſed lege indicium, et vide, quemadmodum no- 36
minatus ſit. L. Caſſium dixerunt commemoraſſe, cum ceteris Autronium ſecum facere. Quaero, num Sullam dixerit Caſſius? nusquam; ſeſe aiunt quaeſiſſe de Caſſio, quid Sulla ſentiret. Videte diligentiam Gallorum; qui vitam hominum naturamque non noſſent, ac tantum audiſſent, eos pari calamitate eſſe, quaeſiverunt, eſſentne eadem voluntate? Quid tum? Caſſius ſi reſpondiſſet idem ſentire et ſecum facere Sullam, tamen mihi non videretur in hunc id criminoſum eſſe debere. Quid ita? quia, qui barbaros homines ad bellum impelleret, non debebat minuere illorum ſuſpicionem et purgare eos, de quibus illi aliquid ſuſpicarentur. Non reſpondit tamen 37
una facere Sullam. Etenim eſſet abſurdum, quum ceteros ſua ſponte nominaſſet, mentionem Sullae facere nullam, niſi admonitum et interrogatum; niſi forte verisimile eſt, P. Sullae nomen in memoria Caſſio non fuiſſe. Si nobilitas hominis, ſi afflicta fortuna, ſi reliquiae priſtinae dignitatis non tam illuſtres fuiſſent, tamen Autronii commemoratio memoriam Sullae retuliſſet; etiam, ut arbitror, quum auctoritates principum coniurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Caſſius, et quum ſciret exteras nationes maxime nobilitate moveri, non prius Autronium, quam Sullam nominaſſet. Iam vero 38
illud probari minime poteſt, Gallos, Autronio nominato, putaſſe, propter calamitatis ſimilitudinem ſibi aliquid de Sulla eſſe quaerendum, Caſſio, ſi hic eſſet in eodem ſcelere, ne quum appellaſſet quidem Autronium huius

---

c. XIII. §. 36. *L. Caſſium.* vid. Catil. III, 4, 9.

qui — non noſſent. vid. ad Roſc. §. 4. Sic etiam paulo poſt *qui barbaros homines ad bellum impelleret*, i. e. qui impellebat et quum impelleret. — *eos pari calamitate eſſe*, quia pariter damnati erant de ambitu. Infra eſt *afflicta fortuna.*

ſi — tamen. vid. ad Catil. III, §. 7.

quia, qui barb. Salluſt. Catil. 40 *praeterea Gabinium arceſſit* Umbrenus, *quo maior auctoritas ſermoni ineſſet; eo praeſente coniurationem aperit, nominat ſocios, praeterea multos cuiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior eſſet.*

§. 37. *niſi forte.* vid. ad or. pro S. Roſc. §. 82.

afflicta fortuna, quum de ambitu damnatus eſſet cum Autronio.

in mentem venire potuiſſe. Sed tamen quid reſpondit de Sulla Caſſius? Se neſcire certum. „Non purgat," inquit. Dixi ante: ne ſi argueret quidem tum denique, quum
39 eſſet interrogatus, id mihi criminoſum videretur. Sed ego in iudiciis et in quaeſtionibus non hoc quaerendum arbitror, num purgetur aliquis, ſed num arguatur: etenim quum negat ſe ſcire Caſſius, utrum ſublevat Sullam, an ſatis probat ſe neſcire? „Sublevat apud Gallos." Quid ita? ne indicent? Quid? ſi periculum eſſe putaſſet, ne illi umquam indicarent, de ſeipſo confeſſus eſſet? „Neſcivit." Credo, iudices, celatum eſſe Caſſium de Sulla uno: nam de ceteris certe ſciebat, et ea domi eius pleraque conflata eſſe conſtabat. Qui negare noluit eſſe in eo numero Sullam, quo plus ſpei Gallis daret, dicere autem falſum non auſus eſt, neſcire dixit. Atqui hoc perſpicuum eſt, quum is, qui de omnibus ſcierit, de Sulla ſe ſcire negarit, eandem vim eſſe negationis huius, quam ſi extra coniurationem hunc eſſe ſe ſcire dixiſſet: nam, cuius ſcientiam de omnibus conſtat fuiſſe, eius ignoratio de aliquo purgatio debet videri. Sed iam non quaero, purgetne Caſſius Sullam; illud mihi tantum ſatis eſt, contra Sullam nihil eſſe in iudicio.

XIV Excluſus hac criminatione Torquatus rurſus in me
40 irruit, me accuſat; ait me aliter, ac dictum eſt, in tabulas publicas retuliſſe. O dii immortales! (vobis

---

§. 38. *tum denique* i. e. tum demum, niſi quod *denique* gravius eſt, ut recte monuit Goerenz. ad Cic. de legg. p. 117. Orat. II, 30, 131. *Sed hi loci ei demum oratori prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus vel uſu, quem aetas denique affert, vel auditione* etc. ib. 85, 346. *Ea enim denique virtus eſſe videtur praeſtantis viri, quae eſt fructuoſa aliis, ipſi autem laborioſa* etc.

§. 39. *de ſe ipſo*, non mutandum cum Ern. in *de ſe ipſe*: nam opponitur, quum de Sulla confiteretur.

neſcire dixit pro neſcire ſe dixit. vid. ad Roſc. §. 61. Mur. §. 7.

qui de omnibus ſcierit. vid. ad Roſc. §. 23.

c. XIV. *aliter, ac dictum eſt.* Debebat dici *al. ac dictum ſit*, ut ex Ambroſ. edidit Orell. Sed ſatis nunc conſtat, Ciceronem in ſententiis orationi obliquae inſertis indicativo uti, fortaſſe ut ipſa loquentis verba uſurparet, ſicut h. l. dixerat Torquatus, *al. ac dictum eſt, in tab. publ. retuliſti. Sit* pro *eſt* a correctore ſcribi, non mirum; qui *ſit* ſcriptum repererit, pro eo *eſſe* ſcripſiſſe, minus probabile.

enim tribuam, quae veſtra ſunt; nec vero poſſum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentiſſima tempeſtate reipublicae mea ſponte diſpexerim) vos profecto animum meum tum conſervandae patriae cupiditate incendiſtis; vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam ſalutem reipublicae convertiſtis; vos denique in tantis tenebris erroris et inſcientiae clariſſimum lumen praetuliſtis menti meae. Vidi ego hoc, iudices, niſi recenti memoria ſenatus 41
auctoritatem huius indicii monumentis publicis teſtatus eſſem, fore, ut aliquando, non Torquatus, neque Torquati quispiam ſimilis (nam id me multum fefellit) ſed ut aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hoſtis, aliter indicata haec eſſe diceret, quo facilius, vento aliquo in optimum quemque excitato, poſſet in

---

tantum — dare, ut — diſpexerim, i. e. ut diſpexiſſe me dicam. Sic ſaepe omiſſis verbis dicendi vel exiſtimandi, infinitivus iis adiunctus in verbum finitum mutatur, ut Fin. I, 5, 13. *illuc quidem adduci vix poſſum, ut ea, quae ſenſerit ille, tibi non vera videantur*, pro *ut credam, tibi ea non vera videri.* (quomodo etiam legendum videtur de prov. conſul. 16, 39 deletis verbis *ad ſuſpicandum.* Pro eo, omiſſis verbis *ut dicam, ut credam*, ſimm. infinitivus ſequitur Leg. II, 3, 6, *ut iam videar adduci, hanc quoque, quae te procrearit, eſſe patriam tuam*, pro *ut credam hanc eſſe patr.* Cf. ad Att. XI, 16) ad Famil. V, 4. in. *litterae Quinti fratris — tantum ſpei dederant, ut in te non minus auxilii, quam in tuo collega, mihi conſtitutum fuerit*, i. e. mihi conſtitutum fuiſſe exiſtimarem. Fin. II, 22, 72. *id enim volumus, id contendimus, ut officii fructus ſit ipſum officium* pro ut doceamus, off. fructum eſſe ipſum off. Hinc illa *mors ut malum non ſit, efficies* Tuſc. I, 8, 16. pro mortem ut malum non eſſe putem, quomodo locutus eſt ib. §. 15. *perfice ut ne moriendum quidem eſſe miſerum putem.* Orat. I, 58, 248. *De me autem ipſo, cui uni tu concedis, ut — cauſis ſatis facere poſſim* pro ut cauſis ſatisfacere exiſtimer. Cf. Lael. 5, 18. pro Sext. 7, 15 *devinxerat facturum* pro dev. ut iuraret ſe facturum. Cf. ib. 24 in.

§. 41. *teſtatus eſſem*, i. e. teſtatam feciſſem, ut indicium plus auctoritatis haberet. Nam auctoritas eſt ea vis rei, qua alios ad credendum permovet.

Torquati quispiam ſimilis, qualis eſſe tamen poterat. Vid. ad Catil. I, §. 15. Beier. tamen ad offic. T. I. p. 237, legendum cenſebat *quisquam.*

vento aliquo, rumore ad invidiam faciendam hominibus

malis reipublicae portum ſuorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in ſenatum indicibus, conſtitui ſenatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, reſponſa
42 perſcriberent. At quos viros? non ſolum ſumma virtute et fide, cuius generis in ſenatu facultas maxima, ſed etiam quos ſciebam memoria, ſcientia, conſuetudine et celeritate ſcribendi facillime, quae dicerentur, perſequi poſſe, C. Coſconium, qui tum erat praetor, M. Meſſallam, qui tum praeturam petebat, P. Nigidium, App. Claudium. Credo eſſe neminem, qui his hominibus ad vere referendum aut fidem putet, aut ingenium defuiſſe.
XV Quid deinde? quid feci? quum ſcirem, ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen cuſtodia more maiorum continerentur, non occultavi, non continui domi, ſed deſcribi ab omnibus ſtatim librariis, dividi paſſim et pervulgari atque edi populo Romano imperavi; diviſi toti Italiae, emiſi in omnes

---

probis idoneo, quique eos evertere poſſet; ductum ab ea vi venti, qua mare perturbat et navigantes evertit. Cluent. 28. *Quintius, homo maxime popularis, qui omnes rumorum et concionum ventos colligere conſueſſet*, i. e. ea, quae in rumoribus et concionibus eſſent ad invidiam faciendam accommodata. vid. Ern. Clav. Ad rem Graevius citat Ariſtot. de rep. V, 6. *γίγνονται δὲ μεταβολαὶ τῆς ὀλιγαρχίας καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ζῶντες ἀνελῶς· καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ, ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον.*

§. 42. *Scientia* h. l. eſt eius, qui didicit arte e dictis alterius ea, quae rem et cauſam continent, diſcernere a ceteris et in brevem ſummam redigere, unde poſt ad eamdem rem *ingenium* commemorat: neque enim eſt id cuiusque ingenii. *Ern.* At tabularum, in quibus dicta alterius in brevem ſummam redacta, ſuſpecta eſt fides. Crediderim itaque potius *ſcientiam* eſſe notarum ſ. ſiglorum in ſcriptura compendiaria, ut Plut. Cat. min. 23 Ciceronem *τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαι, ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν.*

ad vero referendum, in tabulas.

c. XV. *ita in tab. publ. relatum, ut* etc. i. e. in tab. quidem relatum, ſed tabulas illas — contineri. Verr. III, 43, 103. *ita cetera de oratione mea tollam, ut tamen in cauſa relinquam.* Hac formula Quintil. imprimis delectatur. *Privata cuſtodia*, conſulum et aliorum magiſtratuum.

deſcribi — atque edi imperavi. Sic Catil. I, 11, 27. Verr. IV.

provincias, eius indicii, e quo ſalus oblata eſſet omnibus, expertem eſſe neminem volui. Itaque dico locum in 43
orbe terrarum eſſe nullum, quo in loco populi Romani nomen ſit, quin eodem perſcriptum hoc indicium pervenerit. In quo ego tam ſubito et exiguo et turbido tempore multa divinitus, ita ut dixi, non mea ſponte, providi, primum, ne qui poſſet tantum aut de reipublicae aut de alicuius periculo meminiſſe, quantum vellet, deinde, ne cui liceret umquam reprehendere illud indicium aut temere creditum criminari, poſtremo, ne quid iam a me, ne quid ex meis commentariis quaereretur, ne aut oblivio mea aut memoria videretur nimia, ne denique aut negligentia turpis, aut diligentia crudelis putaretur. Sed tamen abs te, Torquate, quaero, 44
quum indicatus tuus inimicus eſſet, et eſſet eius rei frequens ſenatus et recens memoria teſtis, tibi, meo familiari et contubernali, prius etiam edituri fuerint indicium ſcribae mei, ſi voluiſſes, quam in codicem retuliſſent: quum videres aliter fieri, cur tacuiſti, paſſus es, non mecum aut cum familiari meo queſtus es, aut, quoniam tam facile inveheris in amicos, iracundius ac vehementius expoſtulaſti? Tu, quum tua vox numquam ſit audita, quum, indicio lecto, deſcripto, divulgato, quieveris, tacueris, repente tantam rem enuntiare audeas, et in eum locum te deducas, ut ante, quam me commutati indicii coargueris, te ſummae negligentiae tuo iudicio

---

extr. V, 27, 68. 69. 34. 88. 41, 106. 56 extr.

§. 43. *locum eſſe nullum, quo in loco.* Locis ad Roſc. §. 28 allatis adde divin. in Caec. 1, 2. Verr. IV, 11, 26. et cf. Bremi ad ll. de fin. I, p. 61. Ellendt ad Brut. 18 §. 69 Kritz ad Sall. Catil. p. 260.

ne qui poſſet tantum — meminiſſe, tantum ſe meminiſſe dicere.

oblivio nimia eſt, quum quis nonnulla etiam graviora oblivíſcitur et omittit, ne noceat amico cuidam; *memoria nimia*, quum quis omnia, etiam leviora, vel adeo falſa meminit, ut inimico noceat.

§. 44. *edituri fuerint, ſi voluiſſes.* Nam *edituri fuerunt*, ſi Torqu. voluiſſet. Vid. ad Sext. 38, 81.

Tu audeas — deducas, tanquam quod vix credi poſſit, cum indignatione, ut Catil. II, 8, 18. *Tu — ornatus et copioſus ſis et dubites* — Cf. de offic. III, 17, 68.

XVI convictum esse fateare? Mihi cuiusquam salus tanti
45 fuisset, ut meam negligerem? per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? quemquam denique ego iuvarem, a quo et crudeles insidias in rempublicam factas, et in me potissimum consulem constitutas putarem? Quod si iam essem oblitus severitatis et constantiae meae, tamne amens eram, ut, quum litterae posteritatis causa repertae sint, quae subsidio oblivioni esse possent, ego recentem putarem memoriam cuncti
46 senatus commentario meo posse superari? Fero ego te, Torquate, iamdudum fero, et nonnumquam animum incitatum ad ulciscendam orationem tuam revoco ipse et reflecto; permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, concedo amicitiae, tribuo parenti. Sed, nisi tibi aliquem modum tute constitueris, coges oblitum me nostrae amicitiae habere rationem meae dignitatis. Nemo umquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non praeverterim. Sed mihi hoc credas velim: non iis libentissime soleo respondere, quos mihi videor facillime
47 posse superare. Tu, quoniam minime ignoras consuetu-

---

c. XVI. §. 46. *cedo amicitiae*, amicitia tua quasi victus facio quod ea postulat i. e. ignosco tibi propter amicitiam, quae inter nos fuit. Sic usurpatur etiam *concedere* Cluent. 69, 195. *iudices peccata liberûm parentum misericordiae; concesserunt dare* (ut pro Ligar. 12, 37) *condonare, tribuere, permittere* (ut pro Sext. 33. extr.)

praeverterim, occuparim, praevenerim ante quam suspicionem illam explicaret. Notandum autem *nemo me perstrinxit, quem non praeverterim*, quae legitima est consecutio, ubi post sententiam negantem sequitur *qui non* vel *quin* cum verbo actionem designante, quae eodem, quo prior, temporis articulo conclusa est. Or. II, 38, 161. *Carneades numquam in suis illis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit.* Ibid. III, 33, 135 *nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non cum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit.* Cf. Verr. I, 24, 62. II, 21, 52. IV, 1, 1. 4. in. 43. 95. V, 45, 120. 54, 140 etc. Contra ubi secunda actio est continua et priorem quasi comitatur, ibi finis Imperfecto locus est, ut Brut. 9, 35. *nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, quod ille non viderit, nihil subtiliter dici, — quo fieri possit aliquid limatius, nihil contra grande, quo quidquam esset elatius.* Cf. Divin. 19, 62. Verr. I, 7, 19. de prov. consul. 13, 33.

dinem dicendi meam, noli hac nova lenitate abuti mea, noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari, noli id putare omnino a me esse amissum, si quid est tibi remissum atque concessum. Quum illae valent apud me excusationes iniuriae tuae, iratus animus tuus, aetas, amicitia nostra, tum nondum statuo, te virium satis habere, ut ego tecum luctari et congredi debeam. Quod si esses usu atque aetate robustior, essem idem, qui soleo, quum sum lacessitus. Nunc tecum sic agam, tulisse ut potius iniuriam, quam retulisse gratiam videar. Neque vero, quid mihi irascare, intelligere XVII
possum; si, quod eum defendo, quem tu accusas, cur 48
tibi quoque ipse non succenseo, qui accuses eum, quem ego defendo? „Inimicum, inquis, accuso meum.“ Et amicum ego defendo meum. „Non debes tamen quemquam in coniurationis quaestione defendere.“ Imo nemo magis eum, de quo nihil est umquam suspicatus, quam is, qui de aliis multa cogitavit. „Cur dixisti testimonium in alios?“ Quia coactus. „Cur damnati sunt?“ Quia creditum est. „Regnum est, dicere in quem velis ac defendere quem velis.“ Imo servitus est, non dicere in quem velis nec defendere quem velis. Ac, si considerare coeperis, utrum magis mihi hoc necesse fuerit facere, an istud tibi, intelliges, honestius te inimicitiarum modum statuere potuisse, quam me humanitatis. At vero quum honos agebatur amplissimus familiae 49
vestrae, hoc est consulatus parentis tui, sapientissimus vir familiarissimis suis non succensuit pater tuus, quum Sullam et defenderent et laudarent. Intelligebat, hanc nobis a maioribus esse traditam disciplinam, ut nullius

---

§. 47. *amissum — remissum.* Similem παρονομασιάν vid. Catil. I, 11, 27, et infra *tulisse iniuriam — retulisse* gratiam.

retulisse gratiam, par pari retuliſſe. Terent. Eun. II, 3, 93. *nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur.* Cic. Lael. 15, 53. *Turquinium dixisse ferunt, exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum iam neutris gratiam referre posset.* Graev. praeterea laudat ad Att. II, 9. Senec. de clem. I, 7. epist. 47. 82.

c. XVII. §. 48. *qui accuses*, i. e. quum accuses.

qui de aliis multa cogitavit, suspicatus est, ideoque ab suspicionibus sc. in re tanta, non alienus. *Ern.* Garatonio unice verum videtur, quod legendum coniecerat Lambin. *cognovit.*

amicitia ad propulsanda pericula impediremur. Et erat huic iudicio longe dissimilis illa contentio; tum, afflicto P. Sulla, consulatus vobis pariebatur, sicuti partus est; honoris erat certamen; ereptum repetere vos clamitabatis, ut victi in campo in foro vinceretis; tum qui contra vos pro huius salute pugnabant, amicissimi vestri, quibus non irascebamini, consulatum vobis eripiebant, honori vestro repugnabant, et tamen id inviolata vestra amicitia, integro officio, veteri exemplo atque instituto
XVIII optimi cuiusque faciebant. Ego vero quibus ornamentis
50 adversor tuis? aut cui dignitati vestrae repugno? Quid est, quod iam ab eo expetas? honor ad patrem, insignia honoris ad te delata sunt. Tu ornatus exuviis huius venis ad eum lacerandum, quem interemisti; ego iacentem et spoliatum defendo et protego. Atque hic tu et reprehendis me, quia defendam, et irascēris. Ego autem non modo tibi non irascor, sed ne reprehendo quidem factum tuum. Te enim existimo tibi statuisse, quid faciendum putares, et satis idoneum officii iudicem posuisse.
51 „At accusat C. Cornelii filius, idemque valere debet, ac si pater indicaret.“ O patrem Cornelium sapientem! qui quod praemii solet esse in indicio, reliquerit, quod turpitudinis in confessione, id per accusationem filii susceperit,

---

§. 49. *consulatus vobis pariebatur*, id agebatur, ut consulatus pareretur, ut mox *consulatum vobis eripiebant*, i. e. eripere studebant.

c. XVIII. §. 50. *insignia honoris*, splendor ex eo honore redundans, quum habeas patrem consularem; oratorie dictum, nec ad *ἀκρίβειαν*, ut monet Ern. Mox *exuvias Sullae* vocat consulatum, quasi hosti victo detractum.

satis idoneum iudicem posuisse, nimirum te ipsum. Ironice autem *satis idoneum*: quis enim, qui oderit, idoneus officii iudex est?

§. 51. *C. Cornelii*, equitis Rom. *filius*, qui subscriptor fuit accusatori Torquato.

in indicio ob sequens *in confessione* dixit pro dat. *indicio*, quod edidit Graevius. Sallust. Catil. 30. *decrevere, si quis indicavisset de coniuratione, quae contra remp. facta erat, praemium servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem eius rei et sestertia ducenta.* Sed additum h. l. *solet* indicat, de hoc senatus decreto hic non agi. — *reliquerit*, consulto praetermiserit. vid. ad Catil. III, §. 18.

Sed quid est tandem, quod indicat per istum puerum Cornelius? Si est causa mihi ignota, cum Hortensio communicata, respondeat Hortensius; sin, ut ais, illum comitatum Autronii et Catilinae, quum in campo, consularibus comitiis, quae a me habita sunt, caedem facere voluerunt; Autronium tum in campo vidimus; — et quid dixi vidisse nos? ego vidi: vos enim tum, iudices, nihil laborabatis, neque suspicabamini; ego tectus praesidio firmo amicorum Catilinae tum et Autronii copias et conatum repressi. Num quis est igitur, qui tum dicat 52
in campum adspirasse Sullam? Atqui si tum se cum Catilina societate sceleris coniunxerat, cur ab eo discedebat? cur cum Autronio non erat? cur in pari causa non paria signa reperiuntur criminis? Sed quoniam Cornelius ipse etiam nunc de indicando dubitat, ut dicitis, informat adhuc adumbratum indicium filii, quid tandem de illa nocte dicit, quum inter falcarios ad M. Laecam

---

quid est tandem, quod indicat. Verr. IV, 20, 43. *si emeras, quid erat, quod confirmabat* etc. Cluent. 64, 181. *quid est, quod minus verisimile proferre potuistis?* Itaque de orat. III, 39 extr. *persaepe mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis et alienis magis delectantur verbis, quam propriis et suis*, iniuria Ern. reposuit *delectentur*, hoc postulare latinitatem scilicet ratus.

sin, ut ais, illum comitatum, Scil. indicat Cornelius, si significat, in illo comitatu fuisse Sullam.

in campo, vid. ad Catil. I. §. 11.

§. 52. *adspirasse*, venire ausum esse. Verr. V, 37, 97. *qua neque Carthaginiensium gloriosissimae classes umquam adspirare potuerunt.* Ib. II, 31, 76. *quando autem homo adspirabit in curiam?* Cf. Tusc. V, 5, 13. 9. 27. ad Famil. VII, 10. Recte Forcellinus, ex Asconio et Manutio ad Divin. in Caec. 5. extr. monuit gravius esse adspirare, quam accedere, et in illo inesse significationem cupiditatis cum inani conatu coniunctae.

informat adhuc adumbr. ind. filii, h. e. in filii illo ficto indicio instruendo et componendo adhuc laborat. Utrumque vocabulum *adumbratus* et *informo* est a pictorum arte petitum. *Adumbratio* est *σκιαγραφία*, quum lineae modo extremae umbrae, quam corpora in sole faciunt, circumscribuntur, ut Quintilianus ait. Unde Cicero de nat. deor. (27, 75.) *cedo mihi istorum deorum adumbratorum lineamenta atque formas.* (Cf. ibid. 44, 123.) Hinc *adumbratus* et *expressus* opponuntur: ut in Tusc. III, (2, 3.) *gloria est soli-*

nocte ea, quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Novemb. me conſule, Catilinae denuntiatione convenit? quae nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit atque acerbiſſima. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum deſcriptio totam per urbem caedis atque incendiorum conſtituta eſt; tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam ſibi officioſam provinciam depopoſcit, ut, quum prima luce conſulem ſalutatum veniret, intromiſſus meo more et iure amicitiae me in meo lectulo
XIX trucidaret. Hoc tempore, quum arderet acerrime con-
53 iuratio, quum Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur, Caſſius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur, Autronio, ut occuparet Etruriam, praeſcriberetur, quum omnia ordinarentur, inſtituerentur, pararentur; ubi fuit Sulla, Corneli? num Romae? Imo longe abfuit. Num in iis regionibus, quo ſe Catilina inferebat? multo etiam longius. Num in agro Camerti, Piceno, Gallico, quas oras maxime quaſi morbus quidam illius furoris pervaſerat? nihil vero minus: fuit enim, ut iam ante dixi, Neapoli, fuit in ea parte
54 Italiae, quae maxime ea ſuſpicione caruit. Quid ergo indicat, aut quid affert aut ipſe Cornelius, aut vos, qui ab eo haec mandata defertis? „Gladiatores emptos eſſe, Fauſti ſimulatione, ad caedem ac tumultum.“ Ita prorſus; interpoſiti ſunt gladiatores, quos teſtamento patris

---

da quaedam res et expreſſa, non adumbrata. Sic et deformare et informare eſt lineis in tabula formare et adumbrare ruditer eius rei effigiem, quam expreſſuri et accurate deſcripturi aut facturi ſumus. Cicerone oratione 2, 7. *at ego in ſummo oratore fingendo talem informabo, qualis fortaſſe nemo fuit:* et (ad Attic.) *petitorum haec eſt adhuc informata cogitatio*, h. e. candidati tantum apud animos ſuos haec formarunt conſilia, quae num ſucceſſura ſint, incertum eſt. *Graev.*

de illa nocte. Vid. Catil. I, 4. impr. §. 9.

c. XIX. §. 54. *Fauſti ſimulatione*, hoc praetextu, quaſi ii emerentur Fauſto, L. Corn. Sullae dictatoris filio, qui ludos gladiatorios e teſtamento patris deberet.

interpoſiti ſunt, ab accuſatoribus conficti ad fabulam texendam, explicat Ern. in Glav. At non conficti erant ii gladiatores, ſed ab accuſatoribus nominati, ut hoc modo invidiam Sullae facerent. Nam *interponere al.*

videmus deberi. „Arrepta eſt familia; quae ſi eſſet praetermiſſa, poſſet alia familia Fauſti munus praebere.“ Utinam quidem haec ipſa non modo iniquorum invidiae, ſed aequorum exſpectationi ſatisfacere poſſet! „Properatum vehementer, quum longe tempus muneris abeſſet.“ Quaſi vero tempus dandi muneris non valde appropinquaret. „Nec opinante Fauſto, quum is neque ſciret, neque vellet, familia eſt comparata.“ At litterae ſunt Fauſti, 55
per quas ille precibus a P. Sulla petit, ut emat gladiatores, et ut hos ipſos emat; neque ſolum ad Sullam miſſae, ſed ad L. Caeſarem, Q. Pompeium, C. Memmium, quorum de ſententia tota res geſta eſt. At praefuit familiae [Cornelius]. Iam ſi in comparanda familia ſuſpicio eſt nulla, quod praefuit, nihil ad rem pertinet.

---

eſt uti alicuius vel opera vel nomine ad aliquid infidioſe efficiendum, ut Verr. I, 11, 30 *interponere accuſatorem.*

Arrepta, ſumma cum feſtinatione empta, quamvis *familia* gladiatorum, ſi ea *praetermiſſa*, non empta, *eſſet*, *alia familia* Fauſti, alii F. ſervi vel gladiatores, *poſſet*, ubi nos diceremus, *potuiſſet*. vid. ad Catil. II. §. 3. Tuſc. III, 22, 54. *ſi aliquot annis poſt idem ille liber captivis miſſus eſſet, vulneribus mederetur.* Sic ſtatim poſt: *quaſi vero tempus non valde appropinquaret*, nam appropinquabat tempus. Reſpondet Cicero, alios ſervos Fauſti ita non idoneos eſſe muneri gladiatorio, ut ne aequorum quidem exſpectationi ſatisfacere poſſent. Ceterum Garaton. ad h. l. emptos eſſe gladiatores ad exitum anni DCXC, ardente aut iam erumpente coniuratione, munus autem Fauſti datum anno DCXCII probabiliter disputat, ut haec oratio ante Fauſti ludos anni DCXCI habita eſſe videatur.

§. 55. *At praefuit familiae Cornelius*, non is, qui modo index nominatus eſt, ſed Sullae libertus, ut expl. Orell. Quod ſi verum eſt, mirae obſcuritatis h. l. reus eſt Cicero, duos homines uno nomine appellans, nulla nota addita, qua diſcerni poſſint. Itaque idem Orell. excidiſſe ſuſpicatur *Sullae libertus*, ut coniecturam fulciat. Quis credat etiam in ſqq. verba *in comparanda filia* ad Sullam ſpectare, *praefuit* ad Cornelium? *Praefuiſſe* Sullam familiae gladiatoriae Cornelius criminatus fuerat, non Cicero; quod hic ita elevat, ut dicat, hoc nihil ad rem pertinere, tum ne verum quidem eſſe; nam Bellum praefuiſſe: hoc enim eſt *eaque res*, antea verbo *praefuit* commemorata — — quo ipſo appareret non Cornelium praefuiſſe.

Sed tamen munere ſervili obtulit ſe ad ferramenta proſpicienda; praefuit vero numquam; eaque res per Bellum, Fauſti libertum, omni tempore adminiſtrata eſt.

XX At enim Sitius eſt ab hoc in ulteriorem Hiſpaniam miſ-
56 ſus, ut eam provinciam perturbaret. Primum Sitius, iudices, L. Iulio, C. Figulo conſulibus, profectus eſt aliquanto ante furorem Catilinae et ante ſuſpicionem huius coniurationis; deinde eſt profectus non tum primum, ſed quum in iisdem locis aliquanto ante eadem de cauſa aliquot annos fuiſſet; ac profectus eſt non modo ob cauſam, ſed etiam neceſſariam cauſam, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta. Tum autem, illo profecto, Sulla procurante eius rem et gerente, plurimis et pulcherrimis P. Sitii praediis venditis, aes alienum eiusdem diſſolutum eſt, ut, quae cauſa ceteros ad facinus impulit, cupiditas retinendae poſſeſſionis, ea Sitio non fuerit,
57 praediis deminutis. Iam vero illud quam incredibile, quam abſurdum, qui Romae caedem facere, qui hanc urbem inflammare vellet, eum familiariſſimum ſuum dimittere ab ſe et amandare in ultimas terras? utrum quo facilius Romae ea, quae conabatur, efficeret, ſi in Hiſpania turbatum eſſet? At haec ipſa per ſe ſine illa coniunctione agebantur. An in tantis rebus, tam novis conſiliis, tam periculoſis, tam turbulentis, hominem amantiſſimum ſui, familiariſſimum, coniunctiſſimum officiis, uſu, conſuetudine, dimittendum eſſe arbitraretur? Verifimile non eſt, ut, quem in ſecundis rebus, quem in otio ſecum ſemper habuiſſet, hunc in adverſis et in eo
58 tumultu, quem ipſe comparabat, ab ſe dimitteret. Ipſe autem Sitius (non enim mihi deſerenda eſt cauſa amici veteris atque hoſpitis) is homo eſt, aut ea familia ac diſciplina, ut hoc credi poſſit, eum bellum reipublicae

---

c. XX. §. 56. *L. Iulio, C. Figulo coſſ.* A. V. 690. Iis coſſ. circiter Kal. Iunias initium habuiſſe coniurationem Catilinae ſcribit Salluſt. Catil. 17.

quae cauſa ceteros. vid. Catil. II, 8.

§. 57. *At haec ipſa*, et quae Romae, et quae in Hiſpania agebantur. Sic fere Ferratius. Neſcio cur in hoc loco laborarint, nullam inde poſſe idoneam ſententiam elici dicentes, Graevius, Lallemand. Garaton.

veriſimile non eſt, ut. vid. ad or. pro S. Roſcio §. 121. Veram huius ſtructurae rationem reddidiſſe mihi videtur *Etzler* in *Jahrb. d. Philol.* VIII, 1. p. 98 ſqq.

facere voluiſſe? ut, cuius pater, quum ceteri deficerent finitimi ac vicini, ſingulari exſtiterit in rempublicam noſtram officio et fide, is ſibi nefarium bellum contra patriam ſuſcipiendum putaret? cuius aes alienum videmus, iudices, non libidine, ſed negotii gerendi ſtudio eſſe contractum, qui ita Romae debuit, ut in provinciis et in regnis maximae ei pecuniae deberentur, quas quum peteret, non commiſit, ut ſui procuratores quidquam oneris abſente ſe ſuſtinerent; venire omnes ſuas poſſeſſiones et patrimonio ſe ornatiſſimo ſpoliari maluit, quam ullam moram cuiquam fieri creditorum ſuorum. A quo 59
quidem genere, iudices, ego numquam timui, quum in illa reipublicae tempeſtate verſarer. Illud erat genus hominum horribile et pertimeſcendum, qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac diſtrahi poſſe diceres. Sitius numquam ſibi cognationem cum praediis eſſe exiſtimavit ſuis. Itaque ſe non modo ex ſuſpicione tanti ſceleris, verum etiam ex omni hominum ſermone non armis, ſed patrimonio ſuo vindicavit.

Iam vero, quod ſubiicit, Pompeianos eſſe a Sulla XXI
impulſos, ut ad iſtam coniurationem et ad hoc nefarium 60
facinus accederent, id cuiusmodi ſit, intelligere non poſſum. An tibi Pompeiani coniuraſſe videntur? quis hoc umquam dixit? aut quae fuit iſtius rei vel minima ſuſpicio? diſiunxit, inquit, eos a colonis, ut hoc diſſidio ac diſſenſione facta, oppidum in ſua poteſtate poſſet et Pompeianos habere. Primum, omnis Pompeianorum colonorumque diſſenſio delata ad patronos eſt, quum iam

---

§. 58. *quum ceteri deficerent*, bello ſociali.

§. 59. *Illud erat genus — — qui.* vid. ad Catil. II, §. 21.

cognationem cum praediis, quaſi ea, ut cognati, natura ſecum coniuncta eſſent, ut ab iis divelli, ea vendere non poſſet.

c. XXI. §. 60. *Pompeianos*, incolas Pompeiorum, oppidi Campaniae, qui, quum devicti et parte agri multati eſſent, et a triumviris, in quibus P. Sulla erat, colonia eo deducta, ſeditionem moverunt, quod nolebant colonis idem ius ſuffragii eſſe, quod ſibi, *Sylv.*

diſſidio ac diſſenſione. De diſcrimine *discidii* et *diſſidii* vid. Erneſt. cl. v. *discidium.*

Ad patronos, triumviros coloniae deducendae, et eos, qui oppidum in deditionem acceperant.

inveteraſſet ac multos annos eſſet exagitata; deinde ita a patronis res cognita eſt, ut nulla in re a ceterorum ſententiis Sulla diſſenſerit; poſtremo coloni ipſi ſic intelligunt, non Pompeianos a Sulla magis, quam ſeſe, eſſe
61 defenſos. Atque hoc, iudices, ex hac frequentia colonorum, honeſtiſſimorum hominum, intelligere poteſtis, qui adſunt, laborant, hunc patronum, defenſorem, cuſtodem illius coloniae, ſi in omni fortuna atque in omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen caſu, quo afflictus iacet, per vos tutari conſervareque cupiunt. Adſunt pari ſtudio Pompeiani, qui ab illis etiam in crimen vocantur; qui ita de ambulatione et de ſuffragiis ſuis cum colonis diſſenſerunt, ut idem de com-
62 muni ſalute ſentirent. Ac ne haec quidem P. Sullae mihi videtur ſilentio praetereunda eſſe virtus, quod, quum ab hoc illa colonia deducta ſit, et quum commoda colonorum a fortunis Pompeianorum reipublicae fortuna disiunxerit, ita carus utrisque eſt atque iucundus, ut non alteros demoviſſe, ſed utrosque conſtituiſſe videatur.

XXII „At enim et gladiatores et omnis iſta vis rogationis Caeciliae cauſa comparabantur.“ Atque in hoc loco in L. Caecilium, pudentiſſimum atque ornatiſſimum virum, vehementer invectus eſt; cuius ego de virtute et conſtantia, iudices, tantum dico, talem hunc in iſta rogatione, quam promulgavit non de tollenda, ſed de levanda calamitate fratris ſui, fuiſſe, ut conſultum eſſe voluerit fratri, cum republica pugnare noluerit, promulgarit impulſus amore fraterno, deſtiterit fratris auctoritate de-
63 ductus. Atque in ea re per L. Caecilium Sulla accuſatur, in qua re eſt uterque laudandus; primum Caecilius,

---

§. 61. *ita — diſſenſerunt, ut — ſentirent.* vid. ad c. XV, 42. ſupra §. 58. *de ambulatione*, de porticu.

§. 62. *reipublicae* Pompeianae *fortuna*, qua a Romanis devicti ſunt Pompeiani, effecit, ut *commoda colonorum*, quibus agri aſſignandi erant, *fortunis Pompeianorum*, qui in illorum gratiam de agris ſuis demovebantur, adverſarentur.

c. XXII. *rogationis Caeciliae.* L. Caecilius trib. pl. Coſ. Cicerone a. u. 690 tulit legem de ambitu, qua poena, lege Calpurnia (vid. ad or. pro Muren. §. 46.) conſtituta, minueretur, ita ut damnatis de ambitu liceret iterum petere magiſtratus. Frater autem Sullae eſt L. Caecilius, fortaſſe eadem matre natus.

qui id promulgarit, in quo ** res iudicatas videbatur voluiſſe reſcindere, ut ſtatueretur; Sulla recte reprehendit: ſtatus enim reipublicae maxime iudicatis rebus continetur. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam de ſalute ſuorum conſulat, communem relinquat. Nihil de iudicio ferebat, ſed poenam ambitus auferebat, quae fuerat nuper ſuperioribus legibus conſtituta. Itaque hac rogatione non iudicum ſententiam, ſed legis vitium corrigebat. Nemo iudicium reprehendit, quum de poena queritur, ſed legem: damnatio enim eſt iudicum, quae manebat, poena legis, quae levabatur.
Noli igitur animos eorum ordinum, qui praeſunt iudiciis 64
ſumma cum gravitate et dignitate, alienare a cauſa. Nemo labefactare iudicium eſt conatus, nihil eſt eiusmodi promulgatum; ſemper Caecilius in calamitate fratris ſui iudicum poteſtatem perpetuandam, legis acerbitatem

---

§. 63. *qui id promulgarit.* Quae deſunt, huius ſententiae fuiſſe videntur: *primum Caecilius* laudandus eſt, *qui id promulgarit, in quo* fratris caſum levare poſſet; quem, quia *res iudic. vid. vol. reſc. rect. Sulla reprehendit.* quod ipſum H. Stephanus in cod. antiquo ſe reperiſſe narrat, et probat Garaton. Tum erit genus anacoluthi, pro — in qua re eſt uterque laudandus, primum L. Caecilius, qui id promulgarit — — deinde P. Sulla, qui reprehenderit. Verbis *ut ſtatueretur*, quid faciam, non habeo.

de ſalute ſuorum conſulat, i. e. conſilia agitet, conſultet. ad Attic. VII, 13. *Aliter mihi de illis ac de me ipſo conſulendum eſt*, i. e. ſtatuendum, aliud conſilium capiendum. Uſitatius eſſet hoc ſenſu *ſaluti ſuorum conſulat.*

poenam ambitus auferebat. Sic Lambin e codd. Memmianis et Stephaniano prob. Ferratio apud Garat. et Fr. A. Wolfio ad IV orat. p. 198. pro *poenam ambitus eam ferebat. Poenam auferebat*, quod vix Latinae aures ferre videbantur Graevio, dixit, ut, hac *παρονομασίᾳ* melius reſponderet praecedenti *ferebat.*

damnatio eſt iudicum, per iudices ſ. iudicio conſtituitur, *poena legis*, poena lege finitur. Vid. ad Catil. I §. 4.

§. 64. *eorum ordinum, qui praeſunt iudiciis*, ex lege Aurelia, qua L. Aurelius Cotta, praetor Pompeio et Craſſo Coſſ. a. u. 684. iudicia inter tres ordines, ſenatum, equites et tribunos aerarios communicarat. Vid. Duker. ad Liv. epit. l. 97. Ruhnken. ad Vellei II, 32.

XXIII mitigandam putavit. Sed quid ego de hoc plura diſputem? Dicerem fortaſſe, et facile et libenter dicerem. Si paullo etiam longius, quam finis quotidiani officii poſtulat, pietas et fraternus amor L. Caecilium protuliſſet, implorarem ſenſus veſtros, uniuscuiusque indulgentiam in ſuos teſtarer, peterem errato veniam [L. Caecilii] ex intimis veſtris
65 cogitationibus atque ex humanitate communi. Lex dies fuit propoſita paucos, ferri coepta numquam, depoſita eſt in ſenatu. [Kal. Ianuar.] Quum in Capitolium nos ſenatum convocaſſemus, nihil eſt actum prius, et id mandato Sullae Q. Metellus praetor ſe loqui dixit, Sullam illam rogationem de ſe nolle ferri. Ex illo tempore L. Caecilius multa e republica egit; agrariae legi, quae tota a me reprehenſa et abiecta eſt, interceſſorem ſore profeſſus eſt, improbis largitionibus reſtitit, ſenatus auctoritatem numquam impedivit, ita ſe geſſit in tribunatu, ut, onere depoſito domeſtici officii, nihil poſtea
66 niſi de reipublicae commodis cogitarit. Atque in ipſa rogatione, ne per vim quid ageretur, quis tum noſtrum Sullam, aut Caecilium verebatur? nonne omnis ille terror, omnis ſeditionis timor atque opinio ex Autronii improbitate pendebat? eius voces, eius minae ferebantur; eius adſpectus, concurſatio, ſtipatio, greges hominum perditorum metum nobis ſeditionesque afferebant. Itaque P. Sulla, hoc importuniſſimo tum honoris, tum etiam

---

c. XXIII. §. 64. *finis quotidiani officii* non eſt conſilium off. nos *Zweck*, qua vi nondum a Cicer. uſurpatur *finis*, ſed terminus, ad quem quotid. officium progredi debet, paulo longius quam quo per quot. off. progredi licet.

ex humanitate communi. *Communes hominum ſenſus* vocat pro Cluent. 6, 17.

§. 65. *poſita eſt*, depoſita, abiecta ab ipso eius auctore Caecilio.

nihil eſt actum prius, quam de hac lege.

interceſſorem fore pro *ſe interceſſ. f.* vid. ad or. pro Roſc. §. 61. Muren. §. 7. Agraria lex lata erat a P. Servilio Rullo, trib. pl. contra quam exſtant tres orationes Ciceronis.

§. 66. *ferebantur*, ſermonibus hominum, crebro commemorabantur. Catil. I, 9, 26. *meditati illi ſunt, qui feruntur, labores tui.* Nec alia vis eſt orat. III, 56, 214. *Quid fuit in Gracco, quod me puero tantopere ferretur?* ſed e contextu patet adiunctam eſſe ſignificationem laudis. Cf. Arch. 9, 21.

metum ſeditionesque afferebant per ἓν διὰ δυοῖν, metum ſeditionum, intelligit Graevius. Sed proprie eſt metum nobis afferebant et ſeditiones praeſignificabant.

calamitatis ſocio atque comite, et ſecundas fortunas amittere coactus eſt, et in adverſis ſine ullo remedio atque allevamento permanere.

Hic tu epiſtolam meam ſaepe recitas, quam ego ad XXIV
Cn. Pompeium de meis rebus geſtis et de ſumma repu- 67
blica miſi, et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris, et, quia furorem incredibilem biennio ante conceptum erupiſſe in meo conſulatu ſcripſi, me hoc demonſtraſſe dicis, Sullam in illa fuiſſe ſuperiore coniuratione. Scilicet is ſum, qui exiſtimem, Cn. Piſonem et Catilinam et Vargunteium et Autronium nihil ſcelerate, nihil audacter ipſos per ſeſe ſine P. Sulla facere potuiſſe. De quo etiam ſi quis dubitaſſet antea, num, id quod tu 68
arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo conſule, deſcendere

---

c. XXIV. §. 67. *biennio ante*. Amplius biennio concepta fuit haec coniuratio. Lepido enim et Volcatio Coſſ. (a. u. 688.) circiter nonas Dec. coepit (Cf. ad Catil. I, §. 15). L. Torquatus et L. Cotta poſt hos fuerunt conſules; poſt hos L. Iulius et C. Figulus, poſt quos fuit Cicero cum C. Antonio. His Coſſ. menſe Octobri patefacta coniuratio eſt. *Sylvius.* Verius igitur pro Mur. 38, 81. *Omnia, quae per hoc triennium agitata ſunt iam ab eo tempore, quo a L. Catilina et Cn. Piſone initum conſilium ſenatus interficiendi ſcitis eſſe, in hos dies, in hos menſes, in hoc tempus erumpunt.*

§. 68. *De quo* refertur ad ſententiam praecedentium, de coniuratione a Sulla cum Catilina inita, ſed accuratius hoc idem declaratur ſqq. *num cogitaſſet* Sulla, ubi nos diceremus: de quo ſi quis dubitaſſet, id eſt (ſi quis dubitaſſet) num. Sic ſaepe *quod* ad praecedentia relatum explicatur ſubiecta re ipſa, quo refertur. Or. 62, 210. *Id nos fortaſſe non perfecimus, conati quidem ſaepiſſime ſumus; quod* (nos conatos eſſe) *plurimis locis perorationes noſtrae, voluiſſe nos atque animo contendiſſe, declarant.* Offic. III, 31, 112. *L. Manlio M. Pomponius trib. pl. diem dixit — — — quod quum audiviſſet adoleſcens filius, negotium exhiberi patri, accurriſſe Romam — — dicitur.* de orat. II, 10, 39. *ita mihi vim oratoris viſus es laudare copioſiſſime; quod quidem eloquentem vel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet.* Cf. Verr. II, 1, 26, 67. 4, 42, 91. pro Mil. 6, 15. 19, 51. ad Quint. fr. I, 1, 11. Wopk. lect. Tull. p. 285 et quae ibi monuit Hand. p. 380. Miſc. phil. II, 1 p. 109. 2, p. 85. ad epp. Cic. 13, 62. Heind. ad Cic. de nat. d. II, 8, 24. Beier. ad offic. III, 31. p. 396. Ita *ſuſtuliſti hanc ſuſpicionem* eſt conſequens ſ. apodoſis *cogitaſſe deſcendere* cum lictoribus conſulem factum.

Kalendis Ianuariis cum lictoribus, ſuſtuliſti hanc ſuſpicionem, quum dixiſti, hunc, ut Catilinam conſulem efficeret, contra patrem tuum operas et manum comparaſſe. Quod ſi tibi ego confiteor, tu mihi concedas neceſſe eſt, hunc, quum Catilinae ſuffragaretur, nihil de ſuo conſulatu, quem iudicio amiſerat, per vim recuperando cogitaviſſe: neque enim iſtorum facinorum tantorum, tam atrocium crimen, iudices, P. Sullae perſona ſuſcipit.

69 Iam enim faciam, criminibus omnibus fere diſſolutis, contra, atque in ceteris cauſis fieri ſolet, ut nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam. Etenim de principio ſtuduit animus occurrere magnitudini criminis, ſatisfacere exſpectationi hominum, de me aliquid ipſo, qui accuſatus eram, dicere; nunc iam revocandi eſtis eo, quo vos ipſa cauſa, etiam tacente me, cogit animos
XXV mentesque convertere. Omnibus in rebus, iudices, quae graviores maioresque ſunt, quid quisque voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius, qui arguitur, eſt ponderandum. Neque enim poteſt quisquam noſtrum ſubito fingi, neque cuiusquam repente
70 vita mutari aut natura converti. Circumſpicite paulliſper mentibus veſtris, ut alia omittamus, hoſce ipſos homines, qui huic affines ſceleri fuerunt. Catilina contra rempublicam coniuravit. Cuius aures umquam hoc reſpuerunt, conatum eſſe hominem usque a pueritia non ſolum intemperantia et ſcelere, ſed etiam conſuetudine et ſtudio

---

perſona, mores. pro Cluent. 29. in *Huius Staleni perſona ab nulla turpi ſuſpicione abhorrebat. ſuscipit crimen*, talis eſt, ut hoc crimen in eam coniici poſſit.

§. 69. *diſſolutis*. vid. ad or. pro S. Roſc. §. 82. *occurrere magn. criminis*, tanquam adverſario, quocum pugnandum ſit, crimen diluere. Cf. pro Mur. §. 48.

c. XXV. *voluerit, cogitarit, admiſerit*. Ordo bonus eſt: primum enim volumus, deinde cogitamus, qua ratione aſſequi poſſimus, poſtremo admittimus. *Sylv.*

§. 70. *aut natura converti*. *Iuven.* Sat. II, 83. *Nemo repente fuit turpiſſimus.*

affines ſceleri. vid ad or. pro Roſc. §. 18. Catil. IV, §. 6.

reſpuerunt, non probarunt, non verum putarunt.

ſtudio i. e. peccandi cupiditate; ut C. Caeſarem Cic. in libro de offic. 2. vituperat, quod tanta in eo peccandi libido

in omni flagitio, ſtupro, caede verſatum? quis eum contra patriam pugnantem periiſſe miratur, quem ſemper omnes ad civile latrocinium natum putaverunt? Quis Lentuli ſocietates cum indicibus, quis inſaniam libidinum, quis perverſam atque impiam religionem recordatur, qui illum aut nefarie cogitaſſe, aut ſtulte ſperaſſe miretur? Quis de C. Cethego atque eius in Hiſpaniam profectione ac de vulnere Q. Metelli Pii cogitat, cui non ad illius poenam carcer aedificatus eſſe videatur? Omitto ceteros, ne ſit infinitum. Tantum a vobis peto, ut taciti de 71
omnibus, quos coniuraſſe cognitum eſt, cogitetis; intelligetis, unumquemque illorum prius a ſua vita, quam noſtra ſuſpicione, eſſe damnatum. Ipſum illum Autronium (quoniam eius nomen finitimum maxime eſt huius periculo et crimini) non ſua haec vita convincit? ſemper audax, petulans, libidinoſus, quem in ſtuprorum defenſionibus non ſolum verbis uti improbiſſimis ſolitum eſſe ſcimus, verum etiam pugnis et calcibus, quem exturbare homines e poſſeſſionibus, caedem facere vicinorum, ſpoliare fana ſociorum, vi conatum et armis diſturbare iudicia, in bonis rebus omnes contemnere, in malis pugnare contra bonos, non reipublicae cedere, non fortunae ipſi ſuccumbere. Huius ſi cauſa non manifeſtiſſimis rebus teneretur, tamen eum mores ipſius ac vita convincerent.

---

fuerit, ut hoc ipſum cum delectaret, peccare, etiamſi cauſa non eſſet. *Sylv.* De Catilina vid. ad Catil. I, §. 13. 18.

cum indicibus. Vid. ad Mur. §. 49.

perverſ. atque imp. relig. vid. Catil. III, 4, 9.

in Hiſpaniam, ad Sertorium, contra quem miſſus erat Q. Metellus Pius.

§. 71. *in ſtuprorum* ſuorum, in quibus eſſet deprehenſus, *defenſionibus*.

reip. cedere, facere ac ferre, quod respublica poſtulat. *fortunae ſuccumbit* qui victus quieſcit, nec contra fortunam reluctatur. *Sylv.*

Teneri dicuntur, qui capti ſunt, ut ſeſe expedire non poſſint, hinc ii, qui ita convicti ſunt ſceleris, ut negare amplius nequeant. Verr. III, 65. *tenetur avaritia, cupiditas hominis, ſcelus, improbitas, audacia*. Cluent. 7, 20. *quum res non coniectura, ſed oculis ac manibus teneretur, neque in cauſa ulla dubitatio poſſet eſſe*. Cf. pro Mil. 28, 76. ubi Garaton. praeterea affert Verr. V, 38, extr.

xxvi Agedum, conferte nunc cum illis vitam P. Sullae, vobis
72 populoque Romano notissimam, iudices, et eam ante oculos vestros proponite. Ecquod huius factum aut commissum non dicam audacius, sed quod cuiquam paullo minus consideratum videretur? Factum quaero? verbum ecquod umquam ex ore huius excidit, unde quisquam posset offendi? At vero in illa gravi L. Sullae victoria turbulentaque, quis P. Sulla mitior, quis misericordior inventus est? quam multorum hic vitam est a L. Sulla deprecatus? quam multi sunt summi homines et ornatissimi et nostri et equestris ordinis, quorum pro salute se hic Sullae obligavit? quos ego nominarem: neque enim ipsi nolunt, et huic animo gratissimo adsunt; sed quia

c. XXVI. §. 72. *cum illis* i. e. cum illorum vita. de orat. I, 4 extr. ingenia vero *nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt.* ubi vid. Schütz. ib. 44, 197. *si cum illorum Lycurgo et Dracone et Solone nostras leges conferre volueritis.* Fin. V, 12, 34 *quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam et cognitionem habent faciliorem.* Cf. pro Flacc. 26, 63. in Pis. 9. quos locos affert Garaton. Vid. Heusinger. ad Cic. de offic. p. 183 sq. Similia attuli in Gramm. gr. §. 453. not. 1.

Ecquod huius factum. Factum et *commissum* quum genitivum adiunctum habeant, substantivorum vim habent. Cf. pro Planc. 7. in. *populi factum.* Ut hic *factum et commissum audacius*, sic Verr. III, 91, 213. *eius unum improbissimum factum.* Sin *audacius* adverbium esse malis, constructio similis erit locis eis, quos ad Catil. III, §. 27 et in Add. adscripsi.

quis P. Sulla mitior. Causae serviens hoc dicit Cicero. Nam de offic. II, 8. *Nec vero umquam*, inquit, *bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt, quam P. Sulla quum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem sexto trioesimo anno post a sceleratiore hasta non recessit.* ubi vid. Heusing.

vitam est a L. Sulla deprecatus. Sic in fr. or. pro Scauro ap. Ascon. p. 1038 ed. Ern. *L. ipse Metellus, avus huius, sanctissimos deos illo constituisse in templo videtur, in vestro conspectu, iudices, ut salutem a vobis nepotis sui deprecarentur.*

obligavit, spondendo, eos tales futuros, quales L. Sulla vellet, nec quidquam contra eum molituros, necessitatem sibi imposuit tales eos praestandi. Phil. V, 18, 51. *Audebo etiam obligare fidem meam, P. C. vobis populoque Romano: — — promitto, recipio, spondeo, P. C.*

maius est beneficium, quam posse debet civis civi dare, ideo a vobis peto, ut, quod potuit, tempori tribuatis, quod fecit, ipsi. Quid reliquam constantiam vitae com- 73
memorem, dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis? quae ita a fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant. Quae domus, quae celebratio quotidiana? quae familiaris dignitas? quae studia amicorum, quae ex quoque ordine multitudo? Haec diu multumque et multo labore quaesita una eripuit hora. Accepit P. Sulla, iudices, vehemens vulnus et mortiferum, verumtamen eiusmodi, quod videretur eius vita et natura accipere potuisse. Honestatis et dignitatis habuisse nimis magnam iudicatus est cupiditatem; quam si nemo alius habuit in consulatu petendo, cupidior iudicatus est hic fuisse, quam ceteri; sin etiam in aliis nonnullis fuit iste consulatus amor, fortuna in hoc fuit fortasse gravior, quam in
ceteris. Postea vero quis P. Sullam, nisi maerentem, 74
demissum afflictumque vidit? quis umquam est suspicatus,

C. Caesarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse velle et optare debemus. Cum quo loco Sylvius ad h. l. confert epist. ad Brut. 18. *Maximo autem, quum haec scribebam, afficiebar dolore, quod, quum me pro adolescentulo ac paene puero resp. accepisset vadem, vix videbar; quod promiserum, praestare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero, quam pecuniae, obligatio. Haec enim solvi potest, et est rei familiaris iactura tolerabilis; reipublicae quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis?*

§. 73. *ita — ut tamen.* vid. ad §. 42 et 61. *Deformatus* nihil aliud est quam *formatus* — vid. Ruhnk. ad Rutil. L. p. 90 — nisi quod *de* vim addit. Hinc et de rebus consummatis et arte perfectis usurpari potest, ut h. l. et de iis quae formam aliquam acceperunt, etsi inchoatam, ut apud Quint. VI, 11, 30. *marmora deformata prima manu*, ubi non voc. *deformatus*, sed adiecta *prima manu* rem inchoatam significant. *a natura inchoata comp.* semina et initia earum virtutum a natura insita app. *ut — appareant*, e Graecorum more ὥστε δῆλα εἶναι ἐσχιαγραφημένα. Vid. ad Manil. §. 34.

familiaris dignitas commemoratur etiam §. 77. Est dignitas familiarium ut *familiare funus* Rabir. Perd. 3. funus familiaris cuiusdam, *familiare parricidium* in versibus Accii ap. Cicer. de nat. d. III, 26, 67.

hunc magis odio, quam pudore, hominum adſpectum lucemque vitare? Qui quum multa haberet invitamenta urbis et fori propter ſumma ſtudia amicorum, quae tamen ei ſola in malis reſtiterunt, abfuit ab oculis veſtris, et quum lege retineretur, ipſe ſe exilio paene mul-
XXVII tavit. In hoc vos pudore, iudices, et in hac vita tanto ſceleri locum fuiſſe creditis? Adſpicite ipſum; contuemini os; conferte crimen cum vita; vitam ab initio ad
75 hoc tempus explicatam cum crimine recognoſcite. Mitto rempublicam, quae fuit ſemper Sullae cariſſima; hosne amicos, tales viros, tam cupidos ſui, per quos res eius ſecundae quondam erant ornatae, nunc ſublevantur adverſae, crudeliſſime perire voluit, ut cum Lentulo et Catilina et Cethego foediſſimam vitam ac miſerrimam, turpiſſima morte propoſita, degeret? Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem iſta ſuſpicio; nova quaedam illa immanitas exorta eſt; incredibilis fuit ac ſingularis furor; ex multis ab adoleſcentia collectis perditorum hominum vitiis repente tanta iſta importunitas
76 inauditi ſceleris exarſit. Nolite, iudices, arbitrari, hominum illum impetum et conatum fuiſſe: neque enim ulla gens tam barbara aut tam immanis umquam fuit, in qua non modo tot, ſed unus tam crudelis hoſtis patriae ſit inventus. Belluae quaedam illae ex portentis immanes ac ferae, forma hominum indutae, exſtiterunt. Perſpicite etiam atque etiam, iudices — nihil enim eſt, quod in hac cauſa dici poſſit vehementius; — penitus introſpicite Catilinae, Autronii, Cethegi, Lentuli ceterorumque

---

§. 74. *invitamenta urbis et fori*, ab urbe et foro profecta: nam urbs et forum eum ad ſe invitabant.

quae tamen ei ſola etc. i. e. quae ei, etſi in malis verſanti, tamen reſtiterunt i. e. ſuperfuerunt et remanſerunt. vid. ad Catil. III §. 10.

quum lege retineretur, quum per legem Calpurniam in patria manere poſſet.

c. XXVII. §. 75. *explicatam*, ob oculos poſitam, ut tota perſpici poſſet, ſicut volumen explicatur.

turpiſſima morte propoſita, ob hoc ipſum miſerrimam, quod turpiſſima mors ſ. ea, quam improbi homines dant legibus, ei, ſi deprehenderetur, metuenda erat.

nova immanitas. vid. ad or. pro Roſc. §. 1.

§. 76. *non modo tot* i. e. non dicam tot, ſed unus.

mentes. Quas vos in his libidines, quae flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quam incredibiles furores, quas notas ſcelerum, quae indicia parricidiorum, quantos acervos facinorum reperietis? ex magnis et diuturnis et iam deſperatis reipublicae morbis iſta repente vis erupit, ut, ea confecta et eiecta, convaleſcere aliquando et ſanari civitas poſſet. Neque enim eſt quisquam, qui arbitretur, illis incluſis in republica peſtibus, diutius haec ſtare potuiſſe. Itaque eos non ad perficiendum ſcelus, ſed ad luendas reipublicae poenas Furiae quaedam incitaverunt. In hunc igitur gregem vos nunc XXVIII
P. Sullam, iudices, ex his, qui cum hoc vivunt atque 77
vixerunt, honeſtiſſimorum hominum gregibus reiicietis? ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate in impiorum partem atque in parricidarum coetum ac numerum transferetis? Ubi erit igitur illud fortiſſimum praeſidium pudoris? quo in loco nobis vita ante acta proderit? quod ad tempus exiſtimationis partae fructus reſervabitur, ſi in extremo diſcrimine ac dimicatione fortunae deſeret, ſi non aderit, ſi nihil adiuvabit? Quaeſtiones nobis ſervorum ac tormenta accuſator mi- 78
nitatur; in quibus quamquam nihil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque tum animi, tum corporis, regit quaeſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Sullae torqueatur; ex ea quaeratur, num quae occultetur libido,

---

ea confecta, quaſi macerata ac mollita, ut cibus aliquis.

c. XXVIII. §. 77. *fortiſſimum praeſ.* ut fortiſſima ligna Caeſ. de b. civ. II, 2. ubi vid. Daviſ. Similiter *fortem* orationem ſaepe dicit Cicer. *Praeſidium* autem *pudoris* non eſt quo pudor munitur, ſed quod praebet pudor, ut *πύργον δῦμα* Soph. Ai. 159 pro *πύργος*, quatenus ille munimento eſt. Vid. Gramm. gr. p. 1315 ſq.

§. 78. *in tot rerum anguſtiis*. eleganter, quum tot malis animus eius, qui torquetur, in anguſtias redactus ſit et ad deſperationem. *Ern.* Cf. ad or. pro Sext. Roſcio §. 22 et Add. Cum hoc loco cf. Quintil. inſtit. V, 4, 1. et quae Geſn. ac Spald. ibi annotarunt.

torqueatur, examinetur, accurate exploretur, quo idem, ac plus, efficitur, quam tormentis. „Cum hoc verbo congruit, quod ſequitur: *ex eo quaeratur*; et illud infra: *ſi a vobis vitae perpetuae vox ea, quae graviſſima debet eſſe, audietur:* nam *vox* ad tormenta reſpicit, in quibus emittitur.“ *Manut.*

num quod lateat facinus, num quae crudelitas, num quae audacia. Nihil erroris erit in causa, nec obscuritatis, iudices, si a vobis vitae perpetuae vox ea, quae
79 gravissima debet esse, audietur. Nullum in hac causa testem timemus; nihil quemquam scire, nihil vidisse, nihil audisse arbitramur. Sed tamen, si nihil vos P. Sullae fortuna movet, iudices, vestra moveat: vestra enim, qui cum summa elegantia atque integritate vixistis, hoc maxime interest, non ex libidine aut simultate aut levitate testium causas honestorum hominum ponderari, sed in magnis disquisitionibus repentinisque periculis vitam uniuscuiusque esse testem. Quam vos, iudices, nolite armis suis spoliatam atque nudatam obiicere invidiae, dedere suspicioni. Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum; valeat ad poenam et ad salutem plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici, subito flecti fingique non
XXIX posse. Quid vero, haec auctoritas (semper enim de ea
80 dicendum est; quamquam a me timide modiceque dicetur) quid, inquam, haec auctoritas nostra, qui a ceteris coniurationis causis abstinuimus, P. Sullam defendimus, nihil hunc tandem iuvabit? Grave est hoc dictum fortasse, iudices, si appetimus aliquid, si, quum ceteri de nobis silent, non etiam nosmet ipsi tacemus, grave; sed, si laedimur, si accusamur, si in invidiam vocamur, profecto concedetis, iudices, ut nobis libertatem retinere

---

§. 79. *elegantia*, honestate, quae est in recte factis, ubi nihil vitii est. *Ern.* innocentiam idem interpretatur in Clav. Sic *elegantius*, honestius divin. in Caec. 17, 57. *eleganter actam vitam*, Catil. m. c. V, §. 13 Gernhard. ad eum l. esse dicit in servandis decori officiis, in qua nihil sit quod offendat, multa autem, quae optimo cuique comprobentur, et comparat epp. famil. III, 8. Omnino elegantia cernitur in eligendis iis, quae cuique tempori, loco, conditioni accommodata sunt.

communem arcem bonorum, quo boni confugiunt, integritatis et vitae ante actae testimonium. *Perfugia improb.* ut *perfugium avaritiae* Manil. §. 39 sunt artificia, quibus utuntur improbi, ut innocentes falsis testimoniis in invidiam et suspicionem adducant.

valeat — plurimum, scil. vita cuiusque, quae verba fortasse exciderunt. Cf. c. 25 §. 69.

c. XXIX. §. 80. *qui — abstinuimus*, i. e. qui ceteros coniuratos non defendimus.

grave est — grave. Vid. ad Mil. 26, 70.

liceat, si minus liceat dignitatem. Accusati sunt uno no- 81
mine consulares, ut iam videatur honoris amplissimi nomen plus invidiae, quam dignitatis, afferre. „Adfuerunt, inquit, Catilinae, illumque laudarunt.“ Nulla tum patebat, nulla erat cognita coniuratio; defendebant amicum, aderant supplici, vitae eius turpitudinem in summis eius periculis non insequebantur. Quin etiam parens tuus, Torquate, consul reo de pecuniis repetundis Catilinae fuit advocatus, improbo homini, at supplici, fortasse audaci, at aliquando amico. Cui quum adfuit post delatam ad eum primam illam coniurationem, indicavit se audisse aliquid, non credidisse. „At idem non adfuit alio in iudicio, quum adessent ceteri.“ Si postea cognorat ipse aliquid, quod in consulatu ignorasset, ignoscendum est iis, qui postea nihil audierunt; sin illa res prima valuit, non inveterata, quam recens, debuit esse gravior. Sed, si tuus parens etiam in illa suspicione periculi sui tamen humanitate adductus advocationem hominis improbissimi sella curuli atque ornamentis et suis et consulatus honestavit, quid est, quamobrem consulares, qui Catilinae adfuerunt, reprehendantur? „At iidem iis, qui ante hunc 82
causam de coniuratione dixerunt, non adfuerunt.“ Tanto scelere adstrictis hominibus statuerunt nihil a se adiumenti, nihil opis, nihil auxilii ferri oportere. Atque, ut de eorum constantia atque animo in rempublicam dicam, quorum tacita gravitas et fides de unoquoque loquitur, neque cuiusquam ornamenta orationis desiderat, potest quisquam dicere umquam meliores, fortiores, constantiores consulares fuisse, quam iis temporibus et periculis, quibus paene oppressa est respublica? Quis non de communi salute apertissime, quis non fortissime, quis non

---

§. 81. *Adfuerunt.* vid. pro S. Rosc. §. 1.

de pecun. repet. vid. ad Catil. I, §. 18.

post delatam ad eum, pro ad se. vid. ad or. pro S. Rosc. §. 95.

alio in iudicio, quum inter sicarios accusatus esset. vid. ad Catil. I, §. 18.

illa res prima, quod Torquatus cos. Catilinae reo adfuit. *valuit*, eam vim habuit, ut consulares reprehenderentur, quod Catilinae adfuerunt.

in illa susp. periculi sui, quum ad Torquatum cum collega interficiendum Catilina coniurasset. *tamen:* vid. ad or. pro Muren. §. 34.

conſtantiſſime ſenſit? Neque ego praecipue de conſularibus diſputo: nam haec et hominum ornatiſſimorum, qui praetores fuerunt, et univerſi ſenatus communis eſt laus, ut conſtet, poſt hominum memoriam numquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in rempublicam, plus gravitatis fuiſſe. Sed quia ſunt deſcripti conſulares, de his tantum mihi dicendum putavi, quod ſatis eſſet ad teſtandam omnium memoriam, neminem eſſe ex illo honoris gradu, qui non omni ſtudio, virtute, auctoritate incubuerit ad
xxx rempublicam conſervandam. Sed quid? ego, qui Catili-
83 nam non laudavi, qui reo Catilinae conſul non adfui, qui teſtimonium de coniuratione dixi in alios, adeone vobis alienus a ſanitate, adeo oblitus conſtantiae meae, adeo immemor rerum a me geſtarum eſſe videor, ut, quum conſul bellum geſſerim cum coniuratis, nunc eorum ducem ſervare cupiam, et in animum inducam, cuius nuper ferrum retuderim flammamque reſtinxerim, eiusdem nunc cauſam vitamque defendere? Si medius fidius, iudices, non me ipſa respublica, meis laboribus et periculis conſervata, ad gravitatem animi et conſtantiam ſua dignitate revocaret, tamen hoc natura eſt inſitum, ut, quem timueris, quicum de vita fortunisque contenderis, cuius ex inſidiis evaſeris, hunc ſemper oderis. Sed, quum agatur honos meus ampliſſimus, gloria rerum geſtarum ſingularis, quum, quoties quispiam eſt in hoc ſcelere convictus, toties renovetur memoria per me inventae ſalutis, ego ſim tam demens, ego committam, ut ea, quae pro ſalute omnium geſſi, caſu magis et felicitate a me, quam virtute
84 et conſilio geſta eſſe videantur? Quid ergo? hoc tibi

---

§. 82. *deſcripti*, deſignati, notati, non quidem nominati, ſed ſignificati tamen. Confer. pro Milone 18, 47. ad Quintum fratrem II, 3. *Craſſum deſcripſit.* Simile eſt Horatianum illud Satir. 1, 4, 3. *Si quis erat dignus deſcribi — —*

c. XXX. §. 83. *in hoc ſcelere convictus.* Sic de Invent. II, 10, 32 *ſi quo in pari ante peccato convictus ſit.* Quam conſtructionem frequentarunt ſeriores. Suet. Tit. 9 *convicti in affectatione imperii.* Plin. H. N. XVIII, 3. *convictus in homicidio.* Tacit. Ann. XV, 44. *in crimine incendii convicti.*

caſu magis et felic. ad Famil. V, 2, 16. *Huius ego temeritati ſi virtute atque animo non reſtitiſſem, quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quam conſilio fortem fuiſſe?*

ſumis, dicet fortaſſe quispiam, ut, quia tu defenderis, innocens iudicetur? Ego vero, iudices, non modo nihil mihi aſſumo, in quo quispiam repugnet, ſed etiam ſi quid ab omnibus conceditur, id reddo ac remitto. Non in ea republica verſor, non iis temporibus caput meum obtuli pro patria periculis omnibus, non aut ita ſunt exſtincti, quos vici, aut ita grati, quos ſervavi, ut ego mihi plus appetere coner, quam quantum omnes inimici invidique patiantur. Grave eſſe videretur, eum, qui inveſtigarit 85
coniurationem, qui patefecerit, qui oppreſſerit, cui ſenatus ſingularibus verbis gratias egerit, cui uni togato ſupplicationem decreverit, dicere in iudicio: non defenderem, ſi coniuraſſet. Non dico id, quod grave eſt; dico illud, quod in his cauſis coniurationis non auctoritati aſſumam, ſed pudori meo: ego ille coniurationis inveſtigator atque ultor certe non defenderem Sullam, ſi coniuraſſe arbitrarer. Ego, iudices, de tantis omnium periculis quum quaererem omnia, multa audirem, non crederem omnia, caverem omnia, dico hoc, quod initio dixi, nullius indicio, nullius ſuſpicione, nullius litteris de P. Sulla rem ullam ad me eſſe xxxi
delatam. Quamobrem vos, dii patrii ac penates, qui huic 86
urbi atque huic imperio praeſidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, qui populum Romanum, qui haec tecta atque templa, me conſule, veſtro numine auxilioque ſervaſtis, teſtor, integro me animo ac libero P. Sullae cauſam defendere; nullum a me ſciente facinus occultari, nullum ſcelus ſuſceptum contra ſalutem omnium defendi ac tegi.

---

§. 84. *quispiam.* Vulgo *quisquam.* Vid. ad or. pro Roſc. §. 33.

§. 85. *cui ſenatus — gratias egerit, — ſupplicationem decreverit.* Vid. Catil. III, 6, 14. 15.

non auctoritati aſſumam, ſed pudori meo, i. e. non ita mihi arrogem, ut auctoritatem meam valere debere ſignificem, ſed ut pudorem meum ac modeſtiam declarem. Planc. 23, 56. *ut eorum reprehenſionem vos veſtrae prudentiae aſſumere — debeatis.* Nat. d. III, 36, 87. *nihil noſtrae laudi aſſumtum arbitramur.*

multa audirem etc. Cf. pro Mil. 23, 61.

quod initio dixi, c. V, 14.

c. XXXI. §. 86. *integro*, nulla cuiusquam gratia corrupto. „*Liber*, fortis, qui neminem timet, qui dicit et facit, quae ipſe probat, etſi aliis displicent.“ *Ern. in clav.*

87 Nihil de hoc conſul comperi, nihil ſuſpicatus ſum, nihil audivi. Itaque idem ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros eſſe viſus ſum, perſolvi patriae quod debui, reliqua iam a me meae perpetuae conſuetudini naturaeque debentur. Tam ſum miſericors, iudices, quam vos, tam mitis, quam qui leniſſimus. In quo vehemens fui vobiscum, nihil feci, niſi coactus; reipublicae praecipitanti ſubveni; patriam demerſam extuli; miſericordia civium adducti, tunc fuimus tam vehementes, quam neceſſe fuit. Salus eſſet omnium amiſſa una nocte, niſi eſſet ſeveritas illa ſuſcepta. Sed ut ad ſceleratorum poenam amore reipublicae ſum adductus, ſic ad ſalutem innocentium voluntate deducor.

88 Nihil video eſſe in hoc P. Sulla, iudices, odio dignum, miſericordia digna multa. Neque enim nunc propulſandae calamitatis ſuae cauſa ſupplex ad vos, iudices, confugit, ſed ne qua generi ac nomini ſuo nota nefariae turpitudinis inuratur. Nam ipſe quidem, ſi erit veſtro iudicio libe-

---

§. 87. *Itaque idem ego ille.* Ex noſtra conſuetudine ita procedere debebat oratio: *itaque idem ego ille, qui — viſus ſum, quum perſolverim patriae quod debui, reliqua iam meae perp. conſ. nat. debeo*, i. e. in reliquum mitis eſſe; ſed ſententiam ſecundariam *quum perſolverim*, uno tenore cum primaria connectit. Vid. ad Manil. §. 2. ad Sext. §§. 44. 105. 138. Mil. §. 33. Male itaque Ern. et Schütz. verba *perſolvi — debentur* parentheſi a reliquis ſecluſerunt.

extuli neſcio num alibi eadem vi legatur pro afflictam erexi et in priſtinam fortunam reſtitui, ut explicat Mencken. obſſ. l. lat. p. 303.

deducor. Vid. Mencken. obſerv. l. lat. p. 220.

§. 88. *miſericordia digna m.* Sylvius laudat Quintil. VI, 1, 23 ſq. *Plurimum tamen valet miſeratio, quae iudicem flecti non tantum cogit, ſed motum quoque animi ſui lacrimis conſiteri. Haec petetur aut ex iis, quae paſſus eſt reus, aut ex iis, quae cum maxime patitur, aut ex iis, quae damnatum manent, quae et ipſa duplicantur, quum dicimus, ex qua illi fortuna et in quam recidendum ſit. Affert in his momentum et aetas et ſexus et pignora, liberi, dico, et parentes et propinqui.*

nota nefariae turpitud. inur. Cf. Catil. I, 6, 13. *aper. mai. imag.* Morem Romanum fuiſſe ſignificare videtur, ut, quum quis reus damnatus eſſet, maiorum eius imagines clauderentur, tanquam rei calamitate deformatae eſſent, ſicut ornatum veſtitumque reis et damnatis mutare mos erat. *Sylv.*

ratus, quae habet ornamenta, quae ſolatia reliquae vitae, quibus laetari et perfrui poſſit? Domus erit, credo, exornata; aperientur maiorum imagines; ipſe ornatum ac veſtitum recuperabit. Omnia, iudices, haec amiſſa ſunt; omnia generis, nominis, honoris inſignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt. Sed ne exſtinctor patriae, ne proditor, ne hoſtis appelletur, ne hanc labem tanti ſceleris in familia relinquat, id laborat, id metuit; ne denique hic miſer coniurati et conſcelerati et proditoris filius nominetur; huic puero, qui eſt ei vita ſua multo carior, metuit, cui honoris integros fructus non ſit traditurus, ne aeternam memoriam dedecoris relinquat. Hic 89
vos orat, iudices, parvus, ut ſe aliquando, ſi non integra fortuna, at afflicta patri ſuo gratulari ſinatis; huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera et fori, quam campi et diſciplinarum. Non iam de vita P. Sullae, iudices, ſed de ſepultura contenditur. Vita erepta eſt ſuperiore iudicio; nunc, ne corpus eiiciatur, laboramus. Quid enim eſt huic reliqui, quod eum in vita hac teneat? aut quid eſt, quamobrem haec cuiquam vita videatur? Nuper is XXXII
homo fuit in civitate P. Sulla, ut nemo ei ſe neque honore, neque gratia, nec fortunis anteferret; nunc ſpoliatus omni dignitate, quae erepta ſunt, non repetit, quod fortuna in malis reliqui fecit, ut cum parente, cum liberis, cum fratre, cum his neceſſariis lugere ſuam calamitatem liceat, id sibi ne eripiatis, iudices, vos obteſtatur. Te 90
ipſum iam, Torquate, expletum eſſe huius miſeriis par erat; etſi nihil aliud Sullae, niſi conſulatum abſtuliſſetis, tamen eo vos contentos eſſe oportebat: honoris enim contentio vos ad cauſam, non inimicitiae deduxerunt. Sed quum huic omnia cum honore detracta ſint, quum in

---

unius iudicii, quo de ambitu condemnatus eſt.

metuit, ne huic puero act. mem. dedec. relinquat iungenda ſunt, pro *metuit, ne, cui — trad. ſit* (i. e. quum ei — trad. ſit) *ei act. m. dedec. rel.*

§. 89. *ſi non integra fortuna.* Iam enim conſulatum amiſit; *gratulari*, abſoluto a vobis. *Manut.*

Campi Martii. *Itinera diſciplinarum* i. e. genera et variae rationes in diſciplinis ſequendae, ut Leg. I, 13 *iter ſermonis.* Cf. ad Quint. fr. III, 4.

vita erepta eſt, quia damnato ambitus vita non amplius eſt vitalis. *ne corpus eiiciatur*, ne exſilio multetur lege Tullia. vid. ad Mur. §. 89.

hac fortuna miſera ac luctuoſiſſima deſtitutus ſit, quid eſt, quod expetas amplius? lucisne hanc uſuram eripere vis, plenam lacrymarum atque maeroris, in qua cum maximo cruciatu atque dolore retinetur? libenter reddiderit, adempta ignominia foediſſimi criminis. An vero inimicum ut expellas? cuius ex miſeriis, ſi eſſes crudeliſſimus, videndo
91 fructum caperes maiorem, quam audiendo. O miſerum et infelicem illum diem, quo conſul omnibus centuriis P. Sulla renuntiatus eſt! o falſam ſpem! o volucrem fortunam! o caecam cupiditatem! o praepoſteram gratulationem! quam citó illa omnia ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrymas reciderunt, ut, qui paullo ante conſul deſignatus fuiſſet, retineret repente nullum veſtigium priſtinae dignitatis! Quid enim erat mali, quod huic ſpoliato honore, fama, fortunis, deeſſe videretur? aut cui novae calamitati locus ullus relictus eſſet? urget eadem fortuna, quae coepit; reperit novum maerorem; non patitur, hominem calamitoſum uno modo afflictum uno in
XXXIII luctu perire. Sed iam impedior egomet, iudices, dolore
92 animi, ne de huius miſeria plura dicam. Veſtrae iam ſunt partes, iudices; in veſtra manſuetudine atque humanitate cauſam totam repono; vos, reiectione interpoſita,

---

c. XXXII. §. 90. *deſtitutus*, conſtitutus, ſed cum contumelia.

reddiderit (hanc lucem, vel animam, tanquam rem debitam, et cuius uſura tantum conceſſa fuit) *adempta ignom.* ſi ignominia adempta fuerit. Vid. ad Catil. IV, §. 11. Hoc loco inest in futuro exacto ſignificatio rei alacriter et ſine mora faciendae.

cuius ex miſeriis pro At ex eius miſ. Vid. ad Roſc. §. 105.

§. 91. *caecam cupiditatem.* Dicitur h. l. lenius de cupiditate boni opinati, quum appetimus rem ſpecie praeclaram, et neſcimus, eam nobis perniciosam fore. *Ern.*

c. XXXIII. §. 92. *reiectione interpoſita.* Poſt ſortitionem primam iudicum Torquato placuit quosdam ex iudicibus, qui ſorte exiſſent, reiicere, quod et accuſatori et reo licebat. Videtur opinio fuiſſe, Torquatum non poſtulaturum reiectionem, quod iudices ita lecti eſſent viri famae optimae, repente deinde mutaſſe conſilium et poſtulaſſe; unde dicit Cicero, id factum, nihil ſe ſuſpicante. Hinc intelligendum verbum *interpoſita.* (Hoc enim vim habet clandeſtinae et ſubdolae machinationis.) Tum *delecti* iudices non ſunt, quos Torquatus legit — nam hoc non licebat actori cauſae — ſed qui facta reiectione, per ſubſortitionem facti ſunt iudices. Et hi iudices apud Ciceronem dicuntur *lecti* vel *delecti* (cf. ad Roſc. §. 9.) Nec id impedit, quod *ab accuſatoribus delecti* dicuntur: nam id dicitur, quia accuſatores reiectionem et deinde ſubſortitionem poſtulaverunt. *Ern.*

ad ſpem pro ob ſpem, fortaſſe propter ſequens *ad praeſidium.*

nihil ſuſpicantibus nobis, repentini in nos iudices conſediſtis, ab accuſatoribus delecti ad ſpem acerbitatis, a fortuna nobis ad praeſidium innocentiae conſtituti. Ut ego, quid de me populus Romanus exiſtimaret, quia ſeverus in improbos fueram, laboravi, et, quae prima innocentis mihi defenſio eſt oblata, ſuſcepi, ſic vos ſeveritatem iudiciorum, quae per hos menſes in homines audaciſſimos facta eſt, lenitate ac miſericordia mitigate. Hoc quum 93
impetrare a vobis ipſa cauſa debet, tum eſt veſtri animi atque virtutis declarare, non eſſe eos vos, ad quos potiſſimum, interpoſita reiectione, devenire convenerit. In quo ego, iudices, vos, quantum meus amor in vos poſtulat, tantum hortor, ut communi ſtudio, quoniam in rebus coniuncti ſumus, manſuetudine et miſericordia veſtra falſam a nobis crudelitatis famam repellamus.

SUMMARIUM SCHUETZII.

P. Sextius L. F. parente natus eſt L. Sextio L. F. P. N. Is quaeſtor fuit A. U. 654. M. Antonio A. Poſtumio Albino Coſſ. Deinde tribunus plebis primus inter homines nobiliſſimos factus eſt (habuit enim Collegas, praeter alios, M. Claudium Marcellum, D. Brutum). Reliquis honoribus, ut Cicero ait, non tam uti voluit, quam dignus videri. Erravit autem Pighius quum ad A. 659, quo ille tribunatum geſſit, putavit eum vixiſſe videri ad bellum usque civile Caeſaris: nam Sextius ille quem Plutarchus in Pompeio c. 64 ait Pompeium ſecutum eſſe, alius eſt T. Sextius. L. vero Sextium mortuum fuiſſe iam, quum hanc orationem Cicero pro eius filio Publio haberet, intelligitur ex c. 3. Cicero enim dicit filium patre vivo duxiſſe uxorem, et paullo ante: *parente Sextius natus eſt, iudices, ut plerique meminiſtis et ſapiente et ſancto et ſevero.*

Publius autem Sextius, quem Cicero defendit, patre auctore uxorem duxit C. Albini ſenatoris filiam, ex qua puerum ſuſtulit in hoc iudicio praeſentem, et filiam eo tempore iam nuptam. Hac uxore mortua Albinus tamen caritatem neceſſitudinis et benevolentiam erga generum retinuit, eique in hoc iudicio affuit. Hunc Albinum adhuc A. U. 708 vixiſſe intelligitur ex epiſt. ad Fam. XIII, 8.

Alteram uxorem patre vivo duxit Corneliam, filiam C. Scipionis, viri optimi, at calamitoſiſſimi. Nimirum hic C. Scipio in exilio Maſſiliae vixit, fluctibus ut ait Cicero, rei publicae expulſus, h. e. tempore Sullano proſcriptus. Praenomen C. Scipionis tuentur edd. primae, et codd. Palat. Gemblac. Erfurt. e quibus recte illud revocavit Gruterus. Nam aliae poſteriores ſcripſerunt L. Scipionis; unde Manutius eum opinatus eſt fuiſſe L. Scipionem Aſiaticum L. F. qui conſul fuit cum C. Norbano A. U. 670. At ſi hic ſocer fuiſſet P. Sextii, Cicero c. 3. huius orationis aliter de eo locutus eſſet; non ſimpliciter tantum virum optimum appellaſſet, nec dixiſſet quem in maiorum ſuorum veſtigiis ſtare oportebat. In hunc igitur alterum ſocerum P. Sextii clara pietas exſtitit. Nam quum eo abſente filiam duxiſſet, ſtatim Maſſiliam profectus eſt, ut ſocerum videre et conſolari poſſet et ad eum filiam adduxit, ut eius inſperato adſpectu complexuque recrearetur. P. Sextius vero ante quam ad quaeſturam accederet, tribunus militaris fuit, et in provincia abſtinentiae laude floruit. Quaeſtor autem fuit A. U. 690 M. Tullio Cicerone et C. Antonio coſſ. Et huic quidem Sextius fortis neceſſitudine coniunctus fuit: fortito ei enim obtigit, ut eum pro quaeſtore in provinciam Macedoniam comitaretur; animo autem et ſocietate conſiliorum coniunctior fuit Ciceroni. Itaque Antonium conſulem, non alienum a ſuſpicione clandeſtinae cum Catilina coniunctionis, ſic obſervavit, ut tamen et illi quaeſtor bonus, et omnibus optimus civis videretur. Multa de coniuratione Catilinae ad Ciceronem detulit, et quum illa erupiſſet, Capuam cum exercitu venit, inde M. Aulanum tribunum militum Antonii, et C. Marcellum, Catilinae partibus faventes, eiecit, Capuamque omni metu liberavit. Deinde Ciceronis conſulis litteris excitatus ad urbem cum exercitu rediit, et extremis eius anni diebus reliquos coniurationis impetus et conatus retardavit. Poſtea C. Antonium, res adverſus Catilinam gerentem, cum illo ſuo exercitu ſumma celeritate eſt conſecutus, et una cum M. Petreio Antonium ad maturandam

Catilinae oppugnationem excitavit et impulit, quo factum ut Catilina in ipſa hieme, antequam aeſtatem integram nactus eſſet, debellaretur. In quaeſtura Macedoniae ſingularem praeſtitit integritatem provincialem. Ad eum exeunte A. 691 ſcripſit Cicero epiſtolam, quae eſt ſexta libri quinti, quum eum Sextius rogaſſet, ut operam daret, ne ſibi hoc tempore ſuccederetur, idque quod Cicero ſcribit facile obtinuit. A. U. C. 695 IV. Id. Dec. tribunatum plebis adiit, una cum T. Annio Milone, C. Seſtilio, M. Ciſpio, T. Fadio, M' Curio, C. Meſſio, Q. Fabricio, Sex. Atilio Serrano Gaviano, Num. Quinctio. Omnes hi tribuni praeter Atilium et Quinctium Ciceronis ab exſilio revocandi cauſae ſavebant; iidem rogationem de eo revocando promulgarunt; imprimis autem praeclara Sextii opera exſtitit. Iam enim ante quam tribunatum adiiſſet, deſignatus iter ad C. Iulium Caeſarem pro Ciceronis ſalute ſuscepit. c. 33. Anno autem ſequente C. Cornelius Lentulus Spinther et Q. Caecilius Metellus Nepos conſulatum adierunt. Kal. Ianuariis Lentulus ad ſenatum de Cicerone retulit. Princeps ſententiam rogatus L. Aurelius Cotta (qui A. 688 Coſ. fuerat) dixit, nihil de Ciceronis exſilio actum eſſe iure, nihil more maiorum, nihil legibus; quare eum qui nulla lege abeſſet, non reſtitui lege, ſed revocari ſenatus auctoritate oportere. c. 34. Pompeius tamen cenſuit, ut ad ſenatus auctoritatem populi quoque Romani beneficium erga Ciceronem adiungeretur. Ita res VIII Kal. Febr. ad populum fertur. Q. Fabricius trib. pl. princeps rogationis de Cicerone revocando templum i. e. forum, ubi concilium populi agebatur, aliquanto ante lucem occupat; c. 35. Clodiani impetum faciunt in Fabricium, Ciſpium alterum trib. pl. vi depellunt, caedem in foro maximam faciunt. Q. Cicero vix ſe e caede eripuit, denique tanquam mortuus inter cadavera iacuit. Sic diſturbata concione paullo poſt Sextius Metello conſuli rogationem aliquam ferenti in templo Caſtoris obnuntiavit; c. 37. ibi tum manus illa Clodiana Sextium inermem et imparatum gladiis, fuſtibus, fragmentis ſeptorum adoritur; a quibus ille multis

vulneribus acceptis ſe abiecit exanimatus, nec ulla alia re ab ſe mortem, niſi opinione mortis, depulit. Quae opinio ſi paullo longior fuiſſet, Clodiani vim facinoris, quod tribunum ſacroſanctum occidiſſent, perhorrescentes Numerium Gracchum, transferendi in Ciceronis defenſores criminis cauſa, occidere cogitabant, qui usque adeo in periculo fuit, quoad ſcitum eſt Sextium vivere. c. 38. Itaque tantum abfuit, ut Sextius iure de vi poſtulari poſſet, ut optimo iure Clodium eiusque factionem accuſare potuerit. Nihilo ſecius tamen anno proximo poſt Ciceronis reditum i. e. A. U. 697. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino L. Marcio Philippo coſſ. a. d. IV. Id. Febr. Sextius a. M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi poſtulatus eſt propter caedem anno ſuperiore VIII. Kal. Febr. in foro factam. Lex Lutatia A. U. 675 lata erat Q. Lutatio Catulo et M. Aemilio Coſſ. ſanxeratque ut feſtis quoque diebus ludisque, quibus alia iudicia nulla erant, de vi quaeri poſſet. Hac igitur lege Sextius de vi accuſatus apud M. Aemilium Scaurum praetorem defenſus eſt tum ab aliis, tum imprimis ab Hortenſio et Cicerone.

Et hic quidem poſtquam Hortenſius dixerat, aggreſſus eſt ad dicendum.

In exordio primum queritur latrones Clodianos eo procedere audaciae, ut in quos ipſi nefaria vi graſſati ſint, eos ultro de vi accuſent, optimisque civibus per iudices viros optimos periculum minentur, c. 1. Deinde oſtendit ſe quamquam a Q. Hortenſio cauſa P. Sextii iam perorata ſit, nihilque ab eo praetermiſſum, quod aut pro re publica conquerendum fuerit, aut pro reo disputandum, tamen ad dicendum aggredi, ne ſua propugnatio ei potiſſimum defuiſſe videatur, per quem ſit perfectum, ne ceteris civibus deeſſet (quod ſcil. in ſe rei publ. reſtituendo praeclara Sextii opera exſtitiſſet). Sed quoniam ceteri defenſores ſingulis criminibus ſatis reſponderint, Cicero ſe de omni ſtatu P. Sextii, de genere vitae, de natura, de moribus, de ſtudio conſer-

vandae ſalutis communis atque otii dicturum eſſe profitetur c. 2.

Itaque primum qualis ante quaeſturam fuerit breviter oſtendit c. 3. Deinde quae eius fuerint quaeſtoris in coniuratione Catilinaria merita exponit c. 4. 5. deinde praetermiſſa eius quaeſtura provinciali ad tribunatum accedit, ſignificatque, quia illo tribunatus maxime cauſam reditus ſui ſuſtinuerit, quamvis iam ſatis de eo Hortenſius dixerit, ſibi de iisdem rebus, ſi non ſubtilius disputandum, at certe dolentius deplorandum eſſe. c. 6.

Antequam vero de ipſo Sextii tribunatu dicere incipit, totum ſuperioris anni h. e. A. U. 695, quo exſulatum abierat, rei publicae naufragium exponit. Commemorat igitur Clodii traductionem ad plebem, c. 7. eius tribunatum non ſuae ſolum ſaluti, ſed univerſae rei publicae infeſtum; conſulum Piſonis et Gabinii, Clodii immanitati faventium, in quos acerbiſſime invehitur, c. 8. 9. 10. flagitia; tum narrat omnium bonorum in ſalute ſua conſervanda ſtudia, civium ex tota urbe cunctaque Italia conventum, veſtis mutationem a ſenatu luctus potius quam deprecationis cauſa factam; c. 11. in quo vehementer caſtigat Gabinii perniciоſam concionem, eiusque iniuriam in L. Aelium Lamiam, quem ille propter benevolentiam in Ciceronem relegaverat. c. 12. Tum perſtringit edictum quo Piſo et Gabinius conſules ſenatum ad ſuum veſtitum redire iuſſerant. Imprimis autem eos vituperat, c. 15, quod leges ferri paſſi ſint, ut lex Aelia (qua cautum erat, ut quoties cum populo ageretur, augures de caelo ſervarent, obnuntiare liceret, et intercedere magiſtratus poſſent) itemque lex Fufia (qua ſancitum erat ne omnibus diebus feſtis legem ferre liceret) ne valerent; eoque ut Clodii furoribus tribuniciis ſumma licentia concederetur.

Iam quamvis res eſſent eiusmodi, ut ſenatus pro ducibus proditores haberet, equeſter ordo a conſulibus reus citaretur,

Italiae auctoritas repudiaretur, alii nominatim relegarentur (ut L. Lamia) alii metu ac periculo terrerentur; arma eſſent in templis, armati in foro: tamen in tanto bonorum ſtudio tantis malis Cicero (ſic enim perſuadere iis, qui audiebant, voluit) reſtitiſſet, niſi eum alii metus, aliae curae atque ſuſpiciones moviſſent, ut fuga ſe dimicationi ſubtraheret. c. 16. Non enim ſe veritum eſſe, ſi, quod facile factu fuerit et quod fieri debuerit, inimicos ſuos vi armisque ſuperaſſet, ne quis aut vim vi pulſam reprehenderet, aut perditorum civium, vel potius domeſticorum hoſtium mortem maereret. Sed hoc potiſſimum eſſe commotum, quod ſibi Pompeium, Craſſum, Caeſarem Clodius inimicos eſſe diceret, hique taciturnitate ſua vanam illam orationem in ſe improbe coniectam confirmare viderentur. c. 17. 18. Itaque ſi contra tribunum plebis privatus armis contendere voluiſſet, et ſi interfectus eſſet Clodius, dubium non fuiſſe, quin ille ſanguis tribunicius conſules ultores et defenſores eſſet habiturus. Hanc vero alteram contentionem eiusmodi futuram fuiſſe, ut neque victus, neque victor rem publicam tenere poſſet. In prima contentione autem cum Clodio, ſi vi tribunicia victus in foro cum multis viris bonis concidiſſet, tamen ſive improbi, ſive boni victi eſſent, hanc contentionem cum multorum bonorum civium interitu fuiſſe coniunctam. Itaque ſe maluiſſe periculum, quod omnibus impenderet, unum pro omnibus exſilio ſuo ſuſcipere, quam cum ſummo eorum periculo depugnare. Ipſam autem mortem noluiſſe oppetere, non quod eam timeret, ſed quia praevideret, ſi cauſam publicam ſua mors peremiſſet, neminem umquam fore, qui auderet ſuſcipere contra improbos cives rei publicae ſalutem. Itaque ſe eam diſceſſu ſuo ſervaſſe; caedem, vaſtitatem, incendia, rapinas a civibus et urbe repuliſſe; et unum bis rem publicam ſervaſſe, ſemel gloria coniurationis Catilinariae oppreſſae, iterum aerumna exſilii ſuſcepta. Nunc ſe vivo ac reſtituto vivere ſecum ſimul exemplum fidei publicae, exemplum rei publ. defendendae. c. 19—23. Iam perſequitur reliquas peſtes Gabinio et Piſone conſulibus rei

publ. illatas. Primum quod illo ipso die quo Cicero patriam sibi cariſſimam propter ipſius patriae caritatem reliquerit, omnibus bonis luctuoſo, provincias rogaverint ſtatimque ſe perculſo ad ſuum ſanguinem hauriendum et ſpirante etiam re publica ad eius ſpolia detrahenda advolaverint c. 24. Deinde perniciosas leges a Clodio tribuno conſulibus non ſolum tacentibus, ſed etiam approbantibus latas exagitat; primum quod cenſoriam notionem de re publica ſuſtulerit; tulerat enim Clodius legem, ne quem censores in ſenatu legendo praeterirent, neve quem ignominia afficerent, nisi qui apud eos accuſatus et utriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet; deinde quod collegia i. e. hominum certas artes et opificia pariter exercentium conventicula vetera a ſenatu ſublata reſtituerit, et multa alia ex omni faece urbis ac ſervitio conſtituerit; deinde quod populo frumentum, quod antea ſemiſſibus ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis ei dari iuſſerit, qua lege prope quinta pars vectigalium aerario perierit; tum quod Gabinio poteſtatem fecerit provinciam Ciliciam cum Syria commutandi, c. 25; deinde quod legem Aeliam et Fufiam ſuſtulerit, quum tuliſſet, ne quis eo die de caelo ſervaret, quo cum populo agi posset; deinde quod lege tribunicia Matris magnae ſacerdotem Peſſinuntium ſacerdotio ſpoliaverit; denique quod alia lege Cypri regi Ptolemaeo regnum ademerit; bona eius publicarit, Cyprumque in provinciae formam redigi iuſſerit c. 26. 27, idque negotium Catoni mandarit c. 28. 29. Cuius legis teſte Dione lib. XXXVIII. duas habuit cauſas, alteram, quod ille rex olim Clodio a piratis capto pecuniam, qua ſe redimeret, negaſſet, alteram, ut Catonem a re publica removeret. Haec omnia conſules adiuviſſe queritur c. 30.

Iam de reditu ſuo quid geſtum ſit enarrat; Pompeii ſtudia, ſenatus decretum iam A. U. 695. Kal. Iun. referente L. Ninnio trib. pl. factum, promulgationem octo tribunorum des., exponit, deinde quid anno ſequente actum ſit, imprimis de Sextii et Milonis contentionibus

et periculis ob Ciceronis et rei publicae ſalutem ſuſceptis narrat c. 31—44.

Et quia in accuſatione Albinovanus quaeſiverat, quaenam eſſet illa natio optimatum, huic quaeſtioni ſic reſpondet c. 45, ut dicat, populares vocari, qui quae faciant, quaeque dicant, multitudini iucunda eſſe velint; qui autem ita ſe gerant, ut ſua conſilia optimo cuique probent, optimates haberi. Hos igitur ex omnibus ordinibus eſſe poſſe. Optimatibus autem propoſitum eſſe cum dignitate otium. Itaque eos tueri in republica religionis, auſpicia, poteſtates magiſtratuum, ſenatus auctoritatem, leges, morem maiorum, iudicia, iurisdictionem, fidem, provincias, imperii laudem, rem militarem, aerarium. Olim fuiſſe tempora, in quibus multitudinis ſtudium ab utilitate rei publicae diſcrepuerit c. 48. Nunc iam nihil eſſe, quod populus a delectis principibusque diſſentiat; non eſſe novarum rerum cupidum, et otio ſuo ac dignitate optimi cuiusque et univerſae reipublicae gloria delectari. Itaque homines ſeditioſos ac turbulentos, qui nulla jam largitione populum Romanum concitare poſſint, conductas habere conciones h. e. homines egentes pretio ac mercede conducere, ut in concionibus praeſto ſint, et aſſenſum hominibus turbulentis, qui ſe populares dicant, praebeant. c. 49. Horum hominum mercede conductorum operae ſi removeantur, exiſtimat omnes idem de republica ſenſuros videri. Hoc populi iudicium tribus maxime locis ſignificari poſſe, concione, comitiis, ludorum (ſcenicorum) gladiatorumque (i. e. ludorum gladiatoriorum) conſeſſu c. 50. Itaque tria iſta ſic exponit, ut exempla a benevolentia sibi abſenti, quum de reditu ſuo ageretur, praeſtita repetat. Itaque ad conciones Clodii neminem incorruptum, neminem integrum adiiſſe, ad Lentuli Conſulis concionem de ſe habitam concurſum totius populi eſſe factum c. 50. Comitia quum alia ſint legum ferendarum, alia magiſtratuum, in illis quum contra ſe lex lata eſſet neminem eſſe, qui ſe tuliſſe ſuffragium confiteatur; quum autem de ſe ex SCto comitiis centuriatis latum ſit, neminem

esse, qui non profiteatur se affuisse et suffragium de salute sua tulisse. Hoc loco in Gellium Clodianum acerbissime invehitur c. 51. In comitiis magistratuum populum nuper satis ostendisse, se hominibus, qui se populares haberi velint, non favere. Fuisse collegium nuper tribunicium (nempe A. U. 694.) in quo tres minime, vehementer duo populares haberentur. Ex illis duo Cn. Domitium et Q. Ancharium praetores esse factos; de C. Fannio magnam esse populi existimationem; ut quod eius iudicium in illius honoribus futurum sit, nemini dubium esse possit. Atque eum praeturam A. U. 690. gessisse Pighius ad h. a. idoneis argumentis comprobavit. Ex duobus autem illis popularibus alterum, qui tamen se continuerit, tulerit nihil, senserit tantum in re publ. aliud atque homines exspectarent, non tenuisse eum locum, in quem, nisi popularis esse voluisset, facillime perveniisset. Quis hic fuerit, quum eum Cicero non nominet, quaesitum est. Abramius putabat esse C. Alfium qui in praeturae petitione repulsam tulerat. Verum iste non fuerat in collegio tribunicio. Itaque assentior Pighio qui (ad A. 696.) eum fuisse putat Q. Caecilium Metellum Pium Scipionem. Alterum autem dicit in petenda aedilitate repulsam tulisse. Is est P. Vatinius c. 52. 53. Sequitur de significatione iudicii et voluntatis populi Romani in ludis, tum scenicis tum gladiatoriis. Ubi narrat de Clodio vel non audente se in ludis populo committere, vel vocibus et maledictis excepto; de signis benevolentiae sibi absenti datis, de fabularum tragicarum locis, qui viderentur in Ciceronis tempus cadere, et de histrionibus illas pronuntiantibus summo populi plausu ornatis; denique de Atilio Serrano sibilis excepto. Ex quo intelligi demonstrat inter populum Romanum et concionem conductam plurimum intersse. c. 54—59.

Iam quod accusator negaverat reditum Ciceroni optandum fuisse per familias comparatas (h. e. servos) et homines armatos, demonstrat orator nullam se vim desideraisse; omnium potius ordinum in se revocando mirificum fuisse consensum, reditumque ipsum tam gloriosum, ut sibi verendum sit, ne quis se studio gloriae putet iccirco exisse, ut ita rediret. c. 60—63. Et quoniam Albinovanus quaesiverat, quae esset illa natio optimatum, arripit hoc nationis verbum, dicitque se cuius sit agnoscere, scilicet Vatinii, qui hanc optimatum nationem deleri et concidi cupiverit, qua occasione abutitur ad eum acerbissime perstringendum. c. 64. 65. Deinde locum illum de optimatibus concludit, adolescentes ad veram laudem virtutisque maiorum imitationem excitando, simulque optimatium dignitatem exemplis ex Graecorum et Romanorum historia petitis illustrat. c. 66—68.

In peroratione Sextium suae salutis, iudicum auctoritatis causae defensorem iniuria de vi accusatum iudicibus commendat, eosque obtestatur, ut, si se salvum esse velint, eos conservent, per quos ipsum recuperarint c. 69.

Ceterum Sextium absolutum esse eumque deinde praetorem fuisse A. U. 700. constat.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRO P. SEXTIO.

I Si quis antea, iudices, mirabatur, quid effet, quod pro
1 tantis opibus reipublicae tantaque dignitate imperii nequaquam ſatis multi cives forti et magno animo invenirentur, qui auderent ſe et ſalutem ſuam in diſcrimen offerre pro ſtatu civitatis et pro communi libertate, ex hoc tempore miretur potius, ſi quem bonum et fortem civem viderit, quam ſi quem aut timidum aut ſibi potius, quam reipublicae, conſulentem. Nam, ut omittatis de uniuscuiusque caſu cogitando recordari, uno adſpectu intueri poteſtis eos, qui cum ſenatu, cum bonis omnibus rempublicam afflictam excitarint et latrocinio domeſtico liberarint, moeſtos, ſordidatos, reos, de capite, de fama,

Sextio, Meliores codd. *Seſtium* tota oratione appellant, et ſic etiam in epp. ad famil. et ad Attic. variatur. Scripturam *Seſtius* praefert Malaſp. ad epiſt. ad Att. VII, 17. *Sextius* Garaton. quia a Puteano demonſtratum ſit Seſtiorum familiam fuiſſe patriciam, Sextiorum plebeiam; et primus e plebe coſ. conſtanter Sextius appellatur. Duos autem fuiſſe P. Sextios, alterum hunc noſtrum, Lucii filium, alterum Publii, ad epp. famil. V, 17. monuit Manut.

I. §. 1. *latrocinio dom.* bello a Catilina excitato. Cf. Catil. II, 1, 1. *Moeſtos, ſordidatos, reos.* vid. c. 69. §. 144. Poteſt tamen etiam de uno tantum, Sextio, ſermo eſſe. Vid. ad Manil. §. 33. et Wolfium ad or. pro red. in ſen. p. 22.

de capite, non de vita (civem enim Rom. nullo crimine, perduellione excepta, interfici licebat) ſed de civitate: nam de vi damnatos exſilii poena ſequebatur, ideoque *capitalis* cauſa dicebatur, et *capite deminuti*, qui civitatem amittebant. Nec moveor quod ſubiungit *de civitate:* modo enim a genere ad ſpeciem transit, ut hic, *de capite, de civitate*, quum in poena capitis contineri civitatis amiſſionem conſtet, modo a ſpecie ad genus, ut lib. I, de orat. c. 40, 182 in Mancini cauſa: *Quam poſſumus reperire ex omnibus rebus civilibus cauſam contentionemque maiorem, quam de ordine, de civitate, de libertate, de capite hominis conſularis?* utrumque autem fieri conſtat exaggerandi gratia. *Manut.*

de liberis, qui, patre ejecto, paterno praeſidio deſtituuntur.

violarint — everterint. Recte Müller. Quatuor verbis graviſſimis, inquit, eandem rem exprimit, ut ea res cogitatione iterata et verborum idem ſignificantium coacervatione vehementius eorum, qui audiunt, animos commoveat.

Volitare. Verbum hoc ſecuritatem quandam, arrogantia impudentiaque coniunctam ſignificat. infra (c. 4 in.) in Piſon. c. 4. *S. Clodium, qui numquam antea praetextatus fuiſſet, ludos facere et praetextatum volitare paſſus es. Manut.* Cf. Catil. II, 3, 5. infr. 43, 94.

§. 2. *per vos nobis — arbitrantur.* Cf. pro Roſc. 3, 8.

beneficio, revocando eum ab exſilio. Sic pro Planc. 1. 2. *memoria beneficii.* Vid. Wunder *Jahrb. d. Phil.* V, 2. p. 128 qui recte docet, primum neminem unquam Latinorum dixiſſe *in agendis gratiis commemorandoque beneficia* pro *commemorandisque beneficiis*, tum caſum a gerundio pendentem ab eo nunquam aliis interiectis verbis divelli.

de civitate, de fortunis, de liberis dimicantes; eos autem, qui omnia divina et humana violarint, vexarint, perturbarint, everterint, non ſolum alacres laetosque volitare, ſed etiam fortiſſimis atque optimis civibus periculum moliri, de ſe nihil timere. In quo quum multa ſunt indigna, 2
tum nihil minus eſt ferendum, quam quod iam non per latrones ſuos, non per homines egeſtate et ſcelere perditos, ſed per vos nobis, per optimos viros optimis civibus periculum inferre conantur, et, quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt, hos veſtra auctoritate, veſtra religione, veſtris ſententiis ſe oppreſſuros arbitrantur. Ego autem, iudices, quia, qua voce mihi in agendis gratiis commemorandoque eorum, qui de me optime ſunt meriti, beneficio eſſe utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis, iis potiſſimum vox haec ſerviat, quorum opera et mihi et vobis et populo Romano reſtituta eſt. Et, quamquam a Q. Hortenſio, clariſſimo viro atque elo- II
quentiſſimo, cauſa eſt P. Sextii perorata, nihilque ab eo 3
praetermiſſum, quod aut pro republica conquerendum

fuit, aut pro reo disputandum, tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potissimum defuisse videatur, per quem est perfectum, ne ceteris civibus deesset. Atque ego sic statuo, iudices, a me in hac causa atque hoc extremo dicendi loco pietatis potius, quam defensionis, querelae, quam eloquentiae, doloris, quam ingenii, 4 partes esse susceptas. Itaque, si aut acrius egero aut liberius, quam qui ante me dixerunt, peto a vobis, ut tantum orationi meae concedatis, quantum et pio dolori et iustae iracundiae concedendum putetis: neque enim officio coniunctior dolor ullus esse potest, quam hic meus, susceptus ex hominis de me optime meriti periculo, neque iracundia magis ulla laudanda, quam ea, quae me inflammat eorum scelere, qui cum omnibus salutis meae defensori- 5 bus bellum esse sibi gerendum iudicaverunt. Sed, quoniam singulis criminibus ceteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sextii, de genere vitae, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conservandae salutis communis atque otii, contendamque, si modo id consequi potero, ut in hac confusa atque universa defensione, nihil a me, quod ad vestram quaestionem, nihil, quod ad reum, nihil, quod ad rempublicam pertineat, praetermissum esse videatur. Et, quoniam in gravissimis temporibus civitatis atque in ruinis eversae atque afflictae reipublicae P. Sextii tribunatus est a for-

c. II. §. 3. *hoc extremo dicendi loco.* Quum plures eamdem causam agerent, extremum sibi fere concedi solitum a ceteris dicendi locum ipse in Oratore c. 37, §. 130. *Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod, etiamsi plures dicebamus, perorationem tamen mihi omnes relinquebant: in quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar.* Manut. Cf. Brut. 51 in. Extremus dicendi locus etiam in causa Murenae ei relictus erat ab Hortensio et Crasso. vid. pro Mur. 23, 48.

§. 5. *Confusa oratio* est, quae non in certas partes distributa est, in qua non de certo aliquo crimine hominis, sed de universa hominis vita agitur. *ad vestram quaestionem*, de vi. *ad reum*, ad ea, quae reo obiiciuntur, crimina, ut explicat Manut.

eversae atque afflictae. Plus est *afflictae*, quam *eversae*: nam *eversa* non stant, erigi tamen videntur posse, *afflicta* vero neque stant, neque, fractis iam ac debilitatis viribus, erigi amplius possunt. *Manut.* Hoc discrimen si verum esset, dici non posset *afflictum erigere*, quod tamen legitur pro l. Manil. 9, 25. ut *excitare afflictos* Or. I, 8, 32. 37, 169. et vitiosus esset ordo

tuna ipsa collocatus, non aggrediar ad illa maxima atque amplissima prius quam docuero, quibus initiis ac fundamentis hae tantae summis in rebus laudes excitatae sint.

Parente P. Sextius natus est, iudices, homine, ut III plerique meministis et sapiente et sancto et severo; qui 6 quum tribunus plebis primus inter homines nobilissimos temporibus optimis factus esset, reliquis honoribus non tam uti voluit, quam dignus videri. Eo auctore duxit

afflictus atque eversus pro Quint. 23, 74. Ego potius dixerim *evertere* esse e fundamentis evellere, unde saepe iungitur cum *funditus*; cui consequens esse, ut res eversa affligatur seu in terram prosternatur. Neque enim id curant veteres, ut verbum quod sequitur fortius vel gravius sit eo, quod praecessit, sed satis habent posterius priori quacunque ratione adiunctum et cognatum esse. Distinguitur autem *respublica* a *civitate*, quatenus illa leges, mores et instituta (nos dicimus *Verfassung*) spectat, haec nihil nisi communitatem civium designat. Itaque gravissima tempora omnes cives experti sunt, respublica autem ita eversa est, ut in unius omnia arbitrium deveniisse viderentur.

illa maxima et amplissima, quae gessit in tribunatu pro salute Ciceronis.

Excitatae. Quia dixerat *fundamentis*, ideo subiungit *excitatae*, quod verbum ad ea, quae aedificantur, solet accommodari, ut lib. II de leg. cap. ult. *nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam.* et Seneca (ut epist. 52.) *Manut.* Cf. I. Caesar. de b. Gall. V, 39.

c. III. §. 6. *sapiente.* vid. ad or. pro Mur. §. 7. Cf. orat. 21, 70. *Sed est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia: ut enim in vita sic in oratione nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre.* ib. 35, 123. *Haec enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum personarumque moderator.*

Sanctus est qui ipse a peccando abstinet, innocens (vid. Ruhnk. ad Vellei. II, 7, 3.) *severus*, qui nec aliis peccandi veniam concedit.

primus. Honorificum fuit primum inter collegas in adeptione magistratus locum obtinere. in Pison. I, 2. *Me quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragiis pop. Rom. faciebat.* et §. 3. *me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella, quam voce, priorem consulem declaravit.* Sicut contra obiicit in Vatinium 5, 11. *quaero abs te, teneasne memoria, quum P. Sextius sit quaestor cunctis suffragiis factus, tune te vix, invitis omnibus, non populi beneficio, sed consulis, extremum adhaesisse? Abram.* In sqq. *reliquis honor. non tam uti voluit* — oratorie in laudem convertit, quod si fortuna negarat.

honeſtiſſimi et ſpectatiſſimi viri, C. Albini, filiam, ex qua hic eſt puer et nupta jam filia. Duobus his graviſſimae antiquitatis viris ſic probatus fuit, ut utrique eorum et carus maxime et iucundus eſſet. Ademit Albino ſoceri nomen mors filiae, ſed caritatem illius neceſſitudinis et benevolentiam non ademit; hodie ſic hunc diligit, ut vos facillime poteſtis ex hac vel aſſiduitate eius vel ſollicitu-
7 dine et moleſtia iudicare. Duxit uxorem, patre vivo, optimi et calamitoſiſſimi viri filiam, C. Scipionis. Clara in hoc P. Sextii pietas exſtitit et omnibus grata, quod et Maſſiliam ſtatim profectus eſt, ut ſocerum videre conſolarique poſſet, fluctibus reipublicae expulſum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum ſuorum veſtigiis ſtare oportebat, et ad eum filiam eius adduxit, ut illo inſperato adſpectu complexuque, ſi non omnem, at aliquam partem maeroris ſui deponeret, et maximis officiis et illius aerumnam, quoad vixit, et filiae ſolitudinem ſuſtentavit. Poſſum multa dicere de liberalitate, de domeſticis officiis,

---

antiquitatis, candoris, fidei. vid. ad or. pro S. Roſc. §. 26.

Ademit ſoceri nomen. Accuratius hanc rem tractaſſe Hottomann. in diſput. iur. civ. T. I. p. 840 monet Garaton.

caritatem illius neceſſ. vid. ad Manil. §. 43. Catil. I. §. 4. Sic *officium neceſſitudinis* pro Mur. §. 73.

Sic hunc diligit, ut — poteſtis — iudicare. Sic pro Planc. 11, 27. *sic ab illo viro — dilectus eſt, ut — pudor poſtulabat.* Ibid. *Macedonia ſic eum diligit, ut indicant hi principes civitatum ſuarum.* quos locos cum aliis, Offic. III, 4, 16. ad Fam. VII, 17. XII, 12. attulit Müller.

aſſiduitas eſt quotidiana praeſentia, quia quotidie adeſt Sextio. vid. Gronov. de pec. vet. IV, 9. *Graev.* Cf. pro Planc. 11.

§. 7. *C. Scipionis*, Aſiatici, qui cum C. Norbano conſul fuit (a. u. 670) Marianasque partes adiuvit, ſed eius exercitu ad Sullam ſigna transferente, quum interimi poſſet dimiſſus eſt. *Manut.* Vid. Appian. de b. civil. 85 ſq. At vid. ſummarium. Proſcriptum eum eſſe, indicat Cicero epp. ad Attic. IX, 15.

Clara in hoc. Poterat etiam dicere *in hunc*; ſed hoc intereſt, quod *in* accuſ. iunctum obiectum ſignificat, ſ. id ad quod actio refertur, *in* cum ablat. locum, in quo *abſoluta* vis verbi verſatur, ut recte explicat Kritz. ad Sall. Catil. 9, 2. Sic Parad. 3, 1. *petulantem eſſe in virgine*, plane ut Soph. Ai. 1092 *μὴ — αὐτὸς ἐν θανοῦσιν ὑβριστὴς γένῃ*. Phil. XI, 4, 9. *crudelis in hoſte, in cive.*

iacentem, ut naufragum. Opp. *ſtare.*

do tribunatu militari, de provinciali in eo magiſtratu abſtinentia; ſed mihi ante oculos obverſatur reipublicae dignitas, quae me ad ſeſe rapit, haec minora relinquere hortatur.

Quaeſtor hic C. Antonii, collegae mei, iudices, fuit 8
ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus. Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quam multa ad me detulerit, quanto ante providerit. Atque ego de Antonio nihil dico, praeter unum: numquam illum in illo ſummo timore ac periculo civitatis neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem aut infitiando tollere, aut diſſimulando ſedare voluiſſe. In quo collega ſuſtinendo atque moderando ſi meam in illum indulgentiam coniunctam cum ſumma cuſtodia reipublicae laudare vere ſolebatis, par prope laus P. Sextii eſſe debet, qui ſuum ita conſulem obſervavit, ut et illi quaeſtor bonus et vobis omnibus optimus civis videretur. Idem, quum IV
illa coniuratio ex latebris atque ex tenebris erupiſſet 9
palamque armata volitaret, venit cum exercitu Capuam, quam urbem propter plurimas belli opportunitates ab illa impia et ſcelerata manu attentari ſuſpicabamur, et inde M. Aulanum, tribunum militum Antonii, praecipitem eiecit, hominem perditum et non obſcure Piſauri et in aliis agri Gallici partibus in illa coniuratione verſatum.

---

in eo magiſtratu, *καταχρηστικῶς*. tribunatus enim militum honor quidem eſt, magiſtratus autem non eſt. *Manut.* Livius etiam trib. mil. appellavit magiſtratum V, 49. *Müll. provincialis abſtinentia*, ut c. V, 13, *integritas provincialis.*

§. 8. *nonnullius officii — religione*, ne Sextium perfidiae ſuſpectum faciam, tanquam eum, quem patris loco colere debebat, i. e. conſulem, prodiderit. *Ern.*

in illo ſummo timore, ob coniurationem Catilinae orto. Vid. Salluſt. Catil. 31.

In quo collega ſuſtinendo, ne rueret ſ. caeco animi impetu ad perdita conſilia ferretur, itaque ne coniuratorum in ſocietatem ſe totum daret, ut expl. Manut. ſuſtinere enim proprie dicimus *curſum*, *impetum.*

c. IV. §. 9. *venit Capuam.* Salluſt. Catil. 30 praetorem Q. Pompeium Rufum Capuam miſſum eſſe narrat; quam diſcordiam ita tollit Hottom. ut Q. Pompeium comparatas ab eo copias Antonii coſ. iuſſu P. Sextio tradidiſſe ſuſpicetur. Sextii exercitus commemoratur etiam infra §. 11, V, 12.

Idemque C. Marcellum, quum is non ſolum Capuam veniſſet, verum etiam ſe, quaſi armorum ſtudio, in maximam familiam conieciſſet, exterminandum ex illa urbe curavit. Qua de cauſa et tum conventus ille Capuae, qui propter ſalutem illius urbis conſulatu conſervatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit, et hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni decurionesque, fortiſſimi atque optimi viri, beneficium P. Sextii teſtimonio declarant periculumque decreto ſuo deprecantur. Recita, quaeſo, P. Sexti, quid decreverint Capuae decuriones, ut iam

C. Marcellum. vid. ad Catil. I, 8, 19.

in maximam familiam, gladiatorum: nam, ut ait Salluſt. l. c. decreverat Senatus, *uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur.*

conventus vocatur non ſolum dies, quo magiſtratus provincialis in civitate aliqua ius dicit, quaeſtionesque cauſarum capitalium exercet, ſed etiam ipſae urbes, in quibus illi conventus agebantur, imprimis cives Romani, qui in eiusmodi urbe negotiandi cauſa domicilium ſibi conſtituerunt. *Ern. in clave.* Summus vir, I. F. Gronovius III Obſerv. 22, nihil aliud hunc conventum fuiſſe demonſtrat, quam multitudinem aratorum, qui agrum pop. R. vectigalem exercebant, publicanorum, negotiatorum et incolarum ceterorum eius oppidi: coloniae hunc opponi conventum, ut ab ea diſtinguatur: ſic apud Auct. de B. Alex. c. LVI *quos ex omnibus conventibus coloniisque conſcriptos* etc. Ipſum vide late hac de re agentem, erroresque Manutii et Abramii refutantem: et confer celeb. Mazochium ad Tabulas Heracl. p. 393. 394. *Garat.* Capua autem, quum ante bellum Punicum ſecundum foederata civitas fuiſſet, poſtea, Hannibalis partes ſecuta et capta a Romanis in praefecturae (i. e. urbis, quae nullos ſuos magiſtratus habens, a praefecto, quem praetor dedit, adminiſtratur) formam redacta eſt. Liv. 26, 16. tandem poſt annos circiter CLII, ut ait Vellei. II, 44. ius civitatis reſtitutum a Caeſare conſule, et urbs colonia facta magiſtratus ſuos *decuriones* habuit.

huic apud me P. Sextio, in domo mea, privatim, fortaſſe quod hominibus praefecturae ad ſenatum adire non licebat.

fortiſſimi atque optimi viri. Cf. in Piſ. 11, 25.

§. 10. *P. Sexti.* Imo L. Sexti: nam P. Sextii, quem hac oratione defendit Cic., pater fuit L. Sextius et item filius. Vid. epp. famil. XIII, 8.

puerilis tua vox poſſit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnam, quum ſe corroborarit, effectura eſſe videatur. DECRETVM DECVRIONVM. Non recito decretum officio aliquo expreſſum vicinitatis aut clientelae aut hoſpitii publici aut ambitionis aut commendationis gratia, ſed recito memoriam perfuncti periculi, praedicationem ampliſſimi beneficii, vicem officii praeſentis, teſtimonium praeteriti temporis. Atque illis temporibus iisdem, quum 11
iam Capuam metu Sextius liberaſſet, urbem ſenatus atque omnes boni, deprehenſis atque oppreſſis domeſticis hoſtibus, me duce, ex periculis maximis extraxiſſent, ego litteris eum Capua arceſſivi cum illo exercitu, quem tum ſecum habebat; quibus hic litteris lectis ad urbem confeſtim incredibili celeritate advolavit. Atque, ut illius temporis atrocitatem recordari poſſitis, audite litteras, et veſtram memoriam ad timoris praeteriti cogitationem excitate. LITTERAE CICERONIS CONSVLIS. Hoc adventu V
P. Sextii, tribunorum plebis novorum, qui tum extremis diebus conſulatus mei res eas, quas gefferam, vexare cu-

aliquid ſignificare, i. e. aliquo modo. Apte Müller. comparat pro Deiot. 13 in. *tibi illum ſuccenſere aliquid*, pro Archia 5. *qui aliquid de ingeniis poterant iudicare.* Cf. Handii Turſell. I, p. 258. At de orat. II, 45, 189. *ut pertimeſcat aliquid* idcirco offenſionis aliquid habet, quod reliquis verbis *oderit*, *invideat*, nihil eiusmodi additum eſt, nec ſequitur *ut ad miſericordiam* aliquam *deducatur.* Nec oratoris eſt efficere, ut is, qui audit, pertimeſcat *aliquid*, ſed ut pertimeſcat ſimpliciter, et in timore ſaepe vel graviſſimo verſetur.

officio vicinitatis, *aut clientelae aut hoſpitii publici.* vid. ad §. 6. *Hoſpitium* autem *publicum* totae civitates foederatae vel coloniae cum potentibus Romae viris iungebant. *Expreſſum ambitionis aut commendationis gratia* per ζεῦγμα dictum eſt pro *factum.* vid. ad Roſc. §. 22.

perfuncti periculi, paſſive, quo olim perfuncti ſunt. Garaton. citat Mencken. obſſ. l. l. p. 734.

vicem officii praeſ. quo decreto Capuani Sextio vicem exſolvunt ſ. gratiam referunt pro officio, quod in ipſo periculo iis praeſtiterat exterminato C. Marcello.

c. V. §. 11. *tribun. pl. novorum*, qui tribunatum a. d. V. Idus Sept. inierant, in quibus Q. Metellum Nepotem fuiſſe, et Ciceroni concionandi poteſtatem ademiſſe ſatis conſtat. Plutarchus Cic. c. 23. L. Beſtiam adiungit; id quod argumento eſt, eum quoque unum ex decem novis fuiſſe. Salluſt. (Catil. 43.) *Conſtituerunt, ut L. Beſtia trib. pl.*

piebant, reliquique coniurationis impetus et conatus fuit
12 retardati. Ac, posteaquam est intellectum, Catone tribuno plebis, fortissimo atque optimo cive, rempublicam defendente, per se ipsum senatum populumque Romanum sine militum praesidio tueri facile maiestatem suam et dignitatem eorum, qui salutem communem periculo suo defendissent, Sextius cum illo suo exercitu summa celeritate est Antonium consecutus. Hic ego quid praedicem, quibus hic rebus consulem ad rem gerendam excitarit? quos stimulos admoverit homini studioso fortassis victoriae, sed tamen nimium communem Martem bellique casum metuenti? longum est ea dicere; sed hoc breve dicam: si M. Petreii non excellens animus, non praestans in republica virtus, non summa auctoritas apud milites, non mirificus usus in re militari exstitissent, neque adiutor ei P. Sextius ad excitandum Antonium, cohortandum, accusandum, impellendum fuisset, datus illo in bello esset

---

concione habita quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissimi invidiam optimo consuli imponeret. Hottom. Cf. pro Muren. 38 in. C. Calpurnium Bestiam intelligit etiam Garaton. ad arg. or. pro Sulla p. 260 sq. adscripto etiam loco epist. Brut. 17. *An quia non omnibus horis iactamus Idus Martias similiter atque illo Nonas Decembres in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia et Clodius illius consulatum soliti sunt?*

§. 12. *Communis Mars* est, qui non unam partem, sed utramque, modo hanc modo illam, adiuvat, ἀλλοπρόσαλλος, ut vocatur Il. *l*, 831. 889. ad Fam. VI, 4. *quum omnis belli Mars communis, et quum semper incerti exitus proeliorum sint.* Cf. pro Mil. 21, 56. Aliam cunctationis causam affert Dio Cass. XXXVII p. 157. *Κατιλῖνας πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἐτράπετο. — — αἴτιον δὲ, ὅτι ἐλπίδα αὐτοῦ κατὰ τὸ συνωμοτὸν ἐθελοκακήσειν ἔσχεν. ὑποπτεύσας οὖν τοῦτ' ἐκεῖνος, καὶ μήτε δι' εὐνοίας ἔτ' αὐτῷ ἄτε ἀσθενεῖ ὄντι ὢν — — καὶ πρὸς καταδείσας, μή πως προθύμως σφᾶς ἀγωνιζομένους ἰδὼν ἐξονειδίοι τε καὶ προσενέγκῃ οἱ τῶν ἀποῤῥήτων, αὐτὸς μὲν νοσεῖν προσεφασίσατο, Μάρκῳ δὲ Πετρηΐῳ τὴν μάχην ἐπέτρεψε.* Sallust. Catil. 59. *C. Antonius, pedibus aeger quod proelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit.*

breve dicam, ad Att. XI, 7. *quid scribam, aut quid velim? breve faciam.* Alii legunt *brevi dicam* i. e. breviter, paucis, ut infra 45. 97. de orat. I, 8, 34. 42, 190. epp. fam. III, 8 (56, 1.)

accusandum, amice obiurgandum, ut epp. fam. I, 1.

hiemi locus, neque umquam Catilina, quum e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset atque, aestatem integram nactus, Italiae calles et pastorum stabula praeclara cepisset, sine multo sanguine ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset.

Hunc igitur animum ad tribunatum attulit P. Sextius, 13
ut quaesturam Macedoniae relinquam et aliquando ad haec propiora veniam; quamquam non est omittenda singularis illa integritas provincialis, cuius ego nuper in Macedonia vidi vestigia non pressa leviter ad exigui praedicationem temporis, sed fixa ad memoriam illius provinciae sempiternam. Verum haec ita praetereamus, ut tamen intuentes et respectantes relinquamus. Ad tribunatum, quia ipse ad VI
se iam dudum vocat et quodammodo absorbet orationem meam, contento studio cursuque veniamus. De quo quidem 14
tribunatu ita dictum a Q. Hortensio, ut eius oratio non defensionem modo criminum videretur continere, sed etiam, memoria digna uti esset, reipublicae capessendae auctoritatem disciplinamque praescribere. Sed tamen, quoniam tribunatus quidem totus P. Sextii nihil aliud, nisi meum nomen causamque sustinuit, necessario mihi de iisdem rebus esse arbitror, si non subtilius disputandum, at certe, iudices, dolentius deplorandum. Qua in oratione si asperius in quosdam homines invehi vellem, quis non concederet, ut eos, quorum scelere et furore violatus essem,

---

praeclara cum irrisione dictum, quibus Catil. tanquam ad bellum gerendum maxime idoneis gloriabatur. Sic Catil. I, 11, 24 *contra has tam praeclaras Catilinae copias.* Alii legunt: *stabula praedari coepisset.* At nusquam alibi Cic. *praedari* cum quarto casu iungit.

§. 13. *integritas provincialis*, vid. §. 7.

c. VI. *absorbet*, velut fluctus in aestu maris navem. *Ern.* Leg. II, 4. *ne aestus nos consuetudinis absorbeat.* Cf. Brut. 8.

§. 14. *non defensionem modo.* Hoc loco, ut multis aliis, refellitur sententia Spaldingii in diss. de orat. Marcell. (in Wolfii Museo antiqu. studiorum T. I. p. 68 sq.) *non modo* poni tantum, ubi descensus fit ad minora, contendentis.

disciplinamque, uno verbo *rationem* reip. capessendae, quae tum exemplo s. *auctoritate* eorum, qui praeclare rempublicam, ut Sextius tribunatum, gesserunt, tum discendis iis quae eodem pertinent s. *disciplina* continetur.

meum nomen causamque sustinuit, tanquam onus aliquod.

vocis libertate perſtringerem? Sed, ut agam moderate et huic potius tempori ſerviam, quam dolori meo, ſi qui occulte a ſalute noſtra diſſentiunt, lateant; ſi qui fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent et quieſcunt, nos quoque ſimus obliti; ſi qui ſe efferunt et inſequuntur, quoad ferri poterunt, perferemus, neque quemquam offendet oratio mea, niſi qui ſe ita obtulerit, ut in eum non invaſiſſe, ſed incurriſſe videamur.

15 Sed neceſſe eſt, antequam de tribunatu P. Sextii dicere incipiam, me totum ſuperioris anni reipublicae naufragium exponere, in quo colligendo ac reficienda ſalute communi omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, VII conſilia verſata. Fuerat ille annus in reipublicae magno motu et multorum timore [tamquam] intentus arcus in me unum, ſicut vulgo ignari rerum loquebantur, re quidem vera in univerſam rempublicam, traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi, mihi irati, ſed multo acrius otii et communis ſalutis inimici. Hunc vir clariſſimus mihique, multis repugnantibus, amiciſſimus, Cn. Pompeius omni cautione, foedere, exſecratione devinxerat,

---

huic tempori, cauſae Sextii (vid. ad Manil. 1.) quae hoc tempore agitur.

et inſequuntur, perſequuntur ultro et moleſti ſunt. ut pro Cluent. 8. pro Coel. 31. *E Garat.*

non invaſiſſe conſulto, *ſed incurriſſe* caſu quodam. Cf. Mencken. Obſs. L. L. p. 478. ſq.

§. 15. *ſuperioris anni reip. naufragium.* perturbationem et cladem reip. anno ſuperiore factam. De duobus his genitivis vid. I. Fr. Gronov. ad Liv. 37, 26, 5 et mea ad epiſt. 141, 6. Catil. I, 12. Similiter infra §. 31. *meam cauſam praeteriti temporis*, quae ad praeteritum tempus pertinet.

c. VII. *ille annus* 695 Piſone et Gabinio coſſ. quo trib. pl. P. Clodius tot turbas dedit. *Traductio* Clodii facta erat priore anno (694) Caeſare et Bibulo coſſ.

re quidem vera i. e. ſed revera. vid. ad or. pro Roſc. §. 31 pro Mur. 12.

furibundi hominis, S. Clodii.

acrius otii inimici ex eodem genere eſt, ex quo illa, quae ad Catil. III. §. 27 et in Add. adſcripta ſunt.

omni cautione, omni ratione cavendo, ne Clodius Ciceroni periculum crearet eo accuſando et vexando, unde Pomp. mox *cautor alieni periculi* dicitur. Cf. ad Att. II, 22. (epp. 18, 3.) Male Abram. de ſchedula obligationis accipit. Rectius Erneſti in clave, quem in hoc verbo neglexit Schütz. lex. Cicer.

devinxerat — eſſe facturum. Vid. ad or. pro Sull. c. XIV.

nihil in tribunatu contra me eſſe facturum. At ille nefarius, ex omnium ſcelerum colluvione natus, parum ſe foedus violaturum eſt arbitratus, niſi ipſum cautorem alieni periculi ſuis propriis periculis terruiſſet. Hanc 16
taetram immanemque belluam, vinctam auſpiciis, alligatam more maiorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis, ſolvit ſubito conſul, vel, ut ego arbitror, exoratus, vel, ut non nemo putaret, mihi iratus, ignarus quidem certe et imprudens impendentium tantorum ſcelerum ac malorum. Qui tribunus plebis felix in evertenda republica fuit nullis ſuis nervis: qui enim in eiusmodi vita nervi

---

ex omnium ſcel. colluv. natus. Non diſſimile illud de eodem in Piſ. 9, 21. *animal ex nefariis ſtupris, ex civili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate et flagitiorum impunitate concretum.* Non enim Clodium dicit ſceleratis parentibus eſſe natum, ſed, multis ſceleribus iam commiſſis, talem poſtremo fuiſſe, qualem exſiſtere et tamquam gigni neceſſe eſſet. Simile et illud in III Phil. 11, 28. *Quid eſt in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his totus conglutinatus eſt. Manut.*

ſuis propriis. non ad alios pertinentibus. vid. ad epiſt. 108. 1. de orat. I, 10 extr. *id mihi videbitur Crassus ſua quadam propria, non communi oratorum facultate poſſe.*

§. 16. *vinctam auſpiciis*, quae, quia patriciorum tantum erant, patricio ad plebem traducto, violari videbantur. *More maiorum* autem raro patricii ad plebem transibant, et *legibus ſacratis* ſanctum erat, ne cui patricio tribunatum capere liceret. In vv. *vinctam*, *alligatam*, *conſtrictam* ineſt notio impediti, ut ad Attic. VIII, 16. *alligari atque impediri re aliqua.*

legum catenis. Abram. commode citat Dinarch. in Ariſtog. p. 778, 20. *γραφῇ καὶ μονονουχὶ ἁλύσει σιδηρᾷ δεδεμένος.*

ſolvit ſubito conſul, C. Iulius Caeſar a. u. 694. de prov. conſ. 17, 42. *Traduxit* (Caeſar) *ad plebem inimicum meum, ſive iratus mihi, quod me ſecum ne beneficiis quidem videbat poſſe coniungi, ſive exoratus. ſolvit* autem omnibus iis, quae ante dixerat, auſpiciis, more maiorum, legibus ſacratis, ut recte Erneſt. vocem *legum*, tanquam e proximis temere repetitam, uncis incluſiſſe videatur. Recte etiam Garaton. monet voce *legum* impediri metaphoram belluae, ad quam *ſolvit* pertineat.

ut non nemo putaret de cogitatione accipiendum, ut non neminem putare verisimile erat. Imperf. autem utitur de eo quod tunc credebatur. De re cf. c. 17, 39. 18, 41.

esse potuerunt hominis, fraternis flagitiis, fororiis stupris,
17 omni inaudita libidine infami? Sed fuit profecto quaedam illa reipublicae fortuna fatalis, ut ille caecus, atque amens tribunus plebis nanciscereturr, — quid dicam consules? hoccine ut ego appellem nomine eversores huius imperii, proditores vestrae dignitatis, hostes bonorum omnium? qui ad delendum senatum, affligendum equestrem ordinem, exstinguenda omnia iura atque instituta maiorum se illis fascibus ceterisque insignibus summi honoris atque imperii ornatos esse arbitrabantur? Quorum, per deos immortales, si nondum scelera vulneraque inusta reipublicae vultis recordari, vultum atque incessum animis intueamini: facilius facta eorum occurrent mentibus vestris,
VIII si ora ipsa oculis propositeritis. Alter unguentis affluens,
18 calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum ac veteres

---

fraternis flagitiis. Ob verbum *flagitiis* obscena intelligenda esse recte monet Ern. Sed res ipsa ignota est. Garatonio comes flagitiorum Clodio dari videtur Appius frater natu maior, quocum anno 699 demum in gratiam rediit Cicero, ut Ferratius ad h. l. et Garat. ad or. pro dom. 43 demonstraverunt. De *fororiis stupris* Plut. v. Cic. c. 29. *Λεύκουλλος δὲ καὶ θεραπαινίδας παρεῖχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λευκούλλῳ συνῴκει. πολλὴ δ' ἦν δόξα καὶ ταῖς ἄλλαις δυοῖν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερτίαν μὲν Μάρκιος Ῥῆξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχον.* Hinc Cicero epp. fam. 1, 9 (41, 39) *ille fur muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam deam, quam tres sorores.* Cf. Beier. ad fr. or. in Clod. et Cur. p. 116. De Clodia Quadrantaria cf. pro Coel. 14. quam Palatinam Medeam vocat ib. 8, 18. Hinc illi ioci ibid. 13, 32. 15, 36. 26, 62. 32, 78. hinc etiam *fororis adulter*, infr. 39.

quaedam iungendum videtur cum *fatalis* pro fatalis quaedam. Sed eius traiectionis nullum aliud exemplum novi.

§. 17. Voce *nondum* Cic. significare videtur, nimis diu adhuc Gabinii et Pisonis coss. scelera inulta mansisse, quamquam satis manifesta, ut *nolle* iudices, qui ea vindicare cunctentur, ea recordari videantur.

c. VIII. §. 18. *Alter*, Gabinius. Similiter or. post red. in sen. c. 7 §. 16 loco fortasse hinc expresso, commemoratur Gabinii *unguentorum odor, vini anhelitus, frons calamistri notata vestigiis.* in Pison. II, 25. *Erant illi comti cupilli, et madentes cincinnorum fimbriae, et fluentes cerussataeque buccae.* Cf. de prov. cons. 5, 12.

despiciens, ob consulatum superbia elatus.

vexatores aetatulae suae, puteali et faeneratorum gregibus infestatus atque perculsus, olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni in freto ad columnam adhaerescceret, in tribunatus portum perfugerat. Contemnebat equites Romanos, minitabatur senatui, venditabat se operis, atque ab iis se ereptum, ne de ambitu causam diceret, praedicabat, ab iisdemque se, etiam invito senatu, provinciam sperare dicebat, eamque nisi adeptus esset, se incolumem nullo modo fore arbitrabatur. Alter, o dii boni! quam taeter incedebat! quam truculentus! quam terribilis adspectu! unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris imaginem antiquitatis, columen reipublicae diceres intueri; 19

---

puteali Libonis, prope quod faeneratores non modo consistere, sed etiam debitores lentos in ius vocare ad triumviros, ibidem iudicium exercentes, solebant. Periculum e contracto aere alieno imminens comparatur cum *freto Scyllaeo* inter Italiam et Siciliam, navigantibus propter Scyllam et Charybdim periculosissimum. *Columnam* Hottom. intelligit *Maeniam*, ad quam mali debitores in iudicium adducebantur, et, ut ad Scyllam qui *adhaerescebant* i. e. ita illidebantur, ut removere navem non possent, naufragium faciebant, sic qui ad Maeniam adducti expedire se non poterant sed damnabantur, bonis evertebantur s. *rei familiaris naufragium* faciebant. Fortasse tamen columna significat *metam* in Circo positam, ad quam si in ludis impingebatur currus, frangebatur, quam metam Graeci *στήλην* vocant. Vid. Schweighaeus. ad Athen. T. VII p. 321. Wesseling. ad Antonin. itiner. p. 98 cum Abramio ad h. l. Ciceronem simul respexisse putat ad columnam Rheginam, quae erat in freto Siculo. Vid. Plin. h. nat. III, 10. 14. Illud periculum autem ut effugeret Gabinius, tribunatum ambiit Q. Marcio Rege et L. Caecilio Metello coss. i. e. a. V. 685. nam magistratum gerenti molestus esse privatae rei causa nemo poterat [lege Memmia] ut ait Manutius.

§. 19. *taeter*, illuviosus et foetidus. *Ἀλουσίαν* et illuviem affectabat, ut philosophus crederetur. Aristoph. Nub. (v. 836 de Socratis discipulis) *ἀπεκείρατ' οὐδεὶς πώποτ', οὐδ' ἠλείψατο, Οὐδ' ἐς βαλανεῖον ἦλθε λουσόμενος.* Abram.

ex barbatis illis. Manut. laudat or. pro Coelio c. 14. in. *aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus.* Cf. pro Mur. 12, 26.

columen reip. pro Flacc. 17, 41. *At istud columen actionis tuae*

veſtitus aſpere noſtra hac purpura plebeia ac paene fuſca, capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipſe tum imaginis ornandae cauſa duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus reipublicae videbatur; tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo ſupercilio respublica, tamquam Atlante
20 coelum, niti videretur. Erat denique hic omnium ſermo: eſt tamen reipublicae magnum firmumque ſubſidium; habeo quem opponam labi illi atque coeno; vultu medius fidius collegae ſui libidinem levitatemque franget, habebit ſenatus in hunc annum quem ſequatur; non deerit auctor et dux bonis. Mihi denique homines praecipue gratulabantur, quod habiturus eſſem contra tribunum plebis furioſum et audacem quum amicum et affinem,
IX tum etiam fortem et gravem conſulem. Atque eorum alter fefellit neminem: quis enim clavum tanti imperii tenere et gubernacula reipublicae tractare in maximo curſu ac fluctibus poſſe arbitraretur hominem emerſum ſubito ex diuturnis tenebris luſtrorum ac ſtuprorum, vino,

---

Mithridates — ambulat cum lorica. Cf. Ruhnken. dict. ad Terent. Phorm. II, 1, 57. quae laudat Müller.

noſtra hac purpura, tunica laticlavia illa quidem, quales erant ſenatorum, ſed craſſo filo contexta, quales plebeiorum eſſe hominum ſolent, et colore fusco i. e. violaceo, quales ſe iuvene viguiſſe narrat Cornel. Nepos apud Plin. H. N. IX, 39. cui deinde ſucceſſerit rubra Tarentina. Cf. Ferrat. de re veſtiar. II, 7. *μίλαναν* vocat Plutarch. Cat. Eam *noſtram* vocat Cic., quia vulgaris erat et iamdudum propria Romanorum.

imaginis ornandae cauſa. Ius imaginis honoribus Romae geſtis tantum comparabatur. Eſt igitur hoc loco acerba irriſio Piſonis, qui duumviratu Capuano idem ſe conſequi poſſe crederet; quare etiam per irriſionem *Campanus conſul* vocatur in Piſ. 11, 24. *Seplaſiam*, vicum Capuae, in quo unguenta venibant, igitur pro unguentis ipſis. Cf. in Piſon. 11, 24. Agr. II, 34, 92.

§. 20. *amicum* ita, ut ſuis comitiis primum cuſtodem praerogativae Ciceronem praefecerit: vid. in Piſ. c. 5, 11. or. p. red. in ſen. 7, 17. *Manut.*

affinem ob Tulliam C. Piſoni Frugi, L. Piſonis propinquo, in matrimonium collocatam. *Manut.* qui citat or. poſt red. in ſen. l. c.

c. IX. *quis arbitraretur* i. e. nemo arbitrabatur. vid. ad or. pro Roſcio §. 103.

ganeis, lenociniis adulteriisque confectum, quum is praeter ſpem in altiſſimo gradu alienis opibus poſitus eſſet, qui non modo tempeſtatem impendentem intueri temulentus, ſed ne lucem quidem inſolitam adſpicere poſſet? Alter multos plane in omnes partes fefellit: erat enim 21
hominum opinioni nobilitate ipſa, blanda conciliatricula, commendatus. Omnes boni ſemper nobilitati favemus, et quia utile eſt reipublicae nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis, et quia valet apud nos clarorum hominum et bene de republica meritorum memoria etiam mortuorum. Quia triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridum atque incultum videbant, et quod erat eo nomine, ut ingenerata familiae frugalitas videretur, favebant, gaudebant, et ad integritatem maiorum ſpe ſua hominem vocabant, materni generis obliti. Ego autem (vere hoc 22
dicam, iudices,) tantum eſſe in homine ſceleris, audaciae, crudelitatis, quantum ipſe cum republica ſenſi, numquam

---

alienis opibus, Q. Pompeii Magni.

§. 21. *Alter multos fefellit.* in Piſ. in. *oculi, ſupercilia; frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in fraudem homines impulit; hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit*, et quae ſequuntur.

hominum opinioni commendatus, i. e. hominibus commendatus, ut bene de eo opinarentur. ad Famil. XII, 13. *Neque enim omnium iudicio malim me a te commendari* i. e. ita commendari, ut homines bene de me iudicent. Ib. V, 12 (ep. 35, 13) *ſempiternae gloriae commendari.* Cf. Phil. II, 13. IX, 5.

conciliatricula. de nat. d. I, 27. *conciliatrix ſui natura.* De eodem Piſone or. in Piſ. I: *obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil, praeter colorem.*

eo nomine. Cognomen Frugi intelligit, quo Piſones appellabantur. Fragm. in Piſon. p. 1298 ed. Ern. *Quod minimum ſpecimen in te ingenii — ingenii autem? imo ingenui hominis ac liberi? qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen.*

ad integritatem maiorum ſpe ſua hominem vocabant, ſperantes eum integritatem maiorum imitaturum, hoc ipſo eum excitabant vel excitare debebant, ut eam imitaretur.

materni generis obliti. L. Piſo matrem habuit, non Romanam, ſed homine Gallo natam; qui quum Placentiae conſediſſet, in eam civitatem aſcitus, poſtea Romam venit, et Piſoni Caeſonino, eius Piſonis filio, quem ab Helvetiis interfectum Caeſar

putavi. Nequam esse hominem et levem et falsa opinione errore hominum ab adolescentia commendatum, sciebam: etenim animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur; sed haec obstructio nec diuturna est, nec obducta ita, ut
x curiosis oculis perspici non possit. Videbamus genus vitae, desidiam, inertiam; inclusas eius libidines, qui paullo propius accesserant, intuebantur; denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos eius sensus tenere
23 possemus. Laudabat homo doctus philosophos nescio quos, neque eorum tamen nomina poterat dicere; sed tamen eos laudabat maxime, qui dicuntur praeter ceteros esse auctores et laudatores voluptatis; cuius, et quo tem-

scribit (b. Gall. I, 12.) filiam collocavit. in Pison. c. 23 in. *O familiae, non dicam Calpurniae, sed Calventiae, neque huius urbis, sed Placentini municipii, neque paterni generis, sed braccatae cognationis dedecus. Manut.*

§. 22. *errore hominum.* Legendum videtur *errori*, i. e. hominibus commendatum, sed ita ut in eo errarent. vid. ad §. 21.

c. X. §. 22. *desidiam et inertiam.* Plus vituperationis habet *inertia*, quam *desidia*: desidem enim appellamus, qui nihil agat, quasi desidentem; inertem autem, qui etiam agendi arte, non modo voluntate, careat. Ergo in desidia voluntas, in inertia simul cum voluntate notatur inscitia. Hoc paulo clarius ostenditur in epist. ad Cornific. (ad Fam. XII, 20). *Quod si, ut es, cessabis, lacessam, ne tua ignavia etiam inertiam afferat*, i. e. ne, dum nihil umquam scribis, etiam scribere dediscas et scribendi artem obliviscare. *Manut.*

sermonis ansas, quas sermo eius ipse habebat et suppeditabat. Nos diceremus: sermone ansas dabat ad suspicandum, qui reconditi eius sensus essent. Male explicavit Ernesti in clav. Cic. recte Abram. Sermonis ansas, inquit, eleganter appellat, quasi dicat, ut vasa ansis apprehenduntur, ita ex eius sermonibus apprehendebamus et comperiebamus quid in pectore clausum teneret. Cf. §. 24.

§. 23. *neque eorum tamen nomina pot. dic.* quippe indoctus, qui non e libris genus illud philosophiae cognoverat. Hinc in Pison. 16. *Epicure noster, ex hara producte, non ex schola.* Quam nihil didicerit a Graeco philosopho, quem secum habebat, ostendit Cic. in Pison. c. 28.

eos qui dicuntur — voluptatis, Epicureos; *auctores voluptatis*, qui eam sequendam esse docent.

cuius voluptatis: nam Epicurus non eam se intelligere voluptatem, quae suavitate quadam sensum perfunderet, sed vacationem doloris contendebat. vid. Cic. Fin. I, 2 sqq. *quo tempore et quo*

pore, et quo modo, non quaerebat; verbum ipsum omnibus modis animi et corporis devorabat, eosdemque praeclare dicere aiebat, sapientes omnia sua causa facere, rempublicam capessere hominem bene sanum non oportere, nihil esse praestabilius otiosa vita et plena et conferta voluptatibus; eos autem, qui dicerent, dignitati esse serviendum, reipublicae consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi, esse ducendam, adeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat. Ex his assiduis eius 24
quotidianisque sermonibus, et quod videbam, quibuscum hominibus in interiore aedium parte viveret, et quod ita domus ipsa fumabat, ut multa eius sermonis indicia

modo. Epicurus enim docebat, nonnunquam voluptatem esse praetermittendam, quam dolor consequi videretur, et dolorem asciscendum, quum ex eo magnam aliquam voluptatem orituram esse praevideremus. Cf. in Pis. 18, 42.

verbum ipsum voluptatis — *devorabat*, cum aviditate quadam, tanquam quod sibi maxime probaretur, arripiebat. Abram. laudat Plaut. Aulul. III, 3, 59. *Auscultate atque operam date et mea dicta devorate.* Hoc devorabat omnibus modis et animo et corpore; pro eo *omn. modis animi et corporis.* Cf. post red. in sen. 6, 14. *quum vero etiam litteris studere incipit, et helluo immanis cum Graeculis philosophari, tum est Epicureus, non penitus illi disciplinae, quaecunque est, deditus, sed captus uno verbo voluptatis.* in Pis. 28, 68. *Est quidam Graecus, qui cum isto vivit, homo, vere ut dicam (sic enim cognovi) humanus, sed tamdiu, quamdiu cum aliis est aut ipse secum. Audistis profecto dici, philosophos Epicureos omnes res, quae sunt homini expetendae, voluptate metiri — — Itaque admissarius iste, simul atque audivit a philosopho voluptatem tantopere laudari — — sic ad illius hanc orationem adhinniit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur.*

eos autem, qui dicerent, Platonicos, Peripateticos, Stoicos.

adeunda pro p. peric. Adire peric. Cic. dixit infra c. 29 pro Rosc. Am. 38. Verr. II, 13. Cluent. 6. Phil. XII, 8. de offic. I, 24. Lael. 7. Tusc. II, 24. de fin. I, 10. II, 17. 24 ad Div. X, 31. praeterea Terent. Andr. IV, 1, 54. Corn. N. Timol. 5, 2. Timoth. 4, 3. ut altera lectio *subeunda* glossema prioris esse videatur.

§. 24. *Fumabat.* Senec. epist. 64. *Intervenerant quidam amici propter quos maior fumus fieret,*

redoleret, ſtatuebam ſic, boni nihil ab illis nugis exſpectandum, mali quidem certe nihil pertimeſcendum. Sed ita eſt, iudices: ut, ſi gladium parvo puero aut ſi imbecillo ſeni aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat, ſin ad nudum vel fortiſſimi viri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa et ferri viribus vulnerari, ita, quum hominibus enervatis atque exſanguibus conſulatus, tamquam gladius, eſſet datus, qui per ſe pungere neminem umquam potuiſſent, hi ſummi imperii nomine armati rempublicam contrucidaverunt. Foedus fecerunt cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipſi vellent, exercitum et pecuniam, quantam vellent, ea lege, ſi ipſi prius tribuno plebis afflictam et conſtrictam rempublicam tradidiſſent. Id autem foedus meo ſanguine
25 ictum ſanciri poſſe dicebant. Qua re patefacta (neque enim diſſimulari tantum ſcelus poterat nec latere) promulgantur uno eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie et de provinciis conſulum nominatim.

---

non hic qui erumpere ex lautorum culinis et terrere vigiles ſolet, ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificaret. Lepide vero ait noſter, *ſermonis indicia redoleret*, propter nidorem qui cum fumo pariter erumpit. *Abram.*

ab illis nugis, ab illo homine nugatorio, levi. Sic Graeculi Clodii comites vocantur *nugae* pro Mil. c. 21. in.

mali quidem certe, pro ſed mali certe. Vid. supra c. VII, 15.

enervatis atque exſanguibus. Statii ſcholiaſtes ad VI. Theb. 679. *Collecto ſanguine, id eſt omnibus ſuis viribus collectis, ut exſanguem dicimus viribus deficientem:* quod iam notavit Cortius ad Salluſt. Catil. XXXIX. 4. Ad animi fortitudinem viresque hominum aliquid efficere in rep. conantium ſignificandas crebrior eſt mentio *nervorum*. Plures eam in rem locos ex Tullio dedimus ad c. 5 pro Flacc. [Sull. c. 8. de offic. II, 10. ad Div. III, 10. Cael. extr.] Etiam Demoſth. *π. παραπρ.* p. 338 C. ed Francof. 1604. p. 432 Lipſ. *οὐδέν ἐστιν ὄφελος πόλεως, ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει.* Quinct. Inſt. or. X, 1. p. 895. de Archilocho: *Summa in hoc vis elocutionis, cum validae, tum breves vibrantesque ſententiae, plurimum ſanguinis atque nervorum. Garaton.*

provincias, quas ipſi vellent. Non enim in eo legum ratio habita eſt, quia Gabinius Syriam accepit, quum ei iam Cilicia data eſſet, Piſo autem Achaiam, Theſſaliam, cunctam Graeciam, quos populos Caeſar, eius gener, ſua lege liberos eſſe iuſſerat. Vid. pro dom. 9, 23. in Piſon. 16, 37. de prov. conſ. 4, 7. *Manut.*

Hic tum ſenatus ſollicitus, vos, equites, excitati, XI
Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum cives summae reipublicae a conſulibus atque a ſummo imperio petendum eſſe auxilium arbitrabantur, quum illi ſoli eſſent, praeter furioſum illum tribunum, duo reipublicae turbines, qui non modo praecipitanti patriae non ſubvenirent, ſed eam nimium tarde concidere maererent. Flagitabatur ab his quotidie quum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus ſenatus, ut meam causam ſuſciperent, agerent, aliquid denique ad ſenatum referrent. Hi non modo negando, ſed etiam irridendo ampliſſimum quemque illius ordinis inſeque- 26
bantur. Hic ſubito quum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe cunctaque Italia conveniſſet, veſtem mutandam omnes meque etiam omni ratione, privato conſilio, quoniam publicis ducibus respublica careret, defendendum putarunt. Erat eodem tempore ſenatus in aede Concordiae, quod ipſum templum repraeſentabat memoriam conſulatus mei, quum flens univerſus ordo cincinnatum conſulem orabat: nam alter ille horridus et ſeverus conſulto ſe domi continebat. Qua tum ſuperbia coenum illud ac labes ampliſſimi ordinis preces et clariſſimorum civium lacrimas repudiavit! me ipſum ut contempſit helluo patriae! nam quid ego patrimonii dicam,

---

c. XI. §. 25. *ſummae reip.* non quibusdam eius partibus, ſed ipſi reipublicae. Vid. Heinrich ad fragm. or. pro Flacc. p. 79.

a ſummo imperio, per *ἐπεξήγησιν* quandam adiicitur ad illa *a conſulibus.*

duo reip. turbines. Commode Müller citat or. pro dom. c. 53. §. 137. *tu, procella patriae, turbo ac tempeſtas pacis atque otii.*

§. 26. *in Capitolium.* Conf. ad ſenat. poſt reditum V, 12. Dio Caſſ. XXXVIII, 16. *οἱ ἱππεῖς συνελθόντες εἰς τὸ Καπιτώλιον πρέσβεις ὑπὲρ αὐτοῦ πρός τε τοὺς ὑπάτους καὶ τὴν γερουσίαν — — ἔπεμψαν, καὶ ὁ Νίννιος τά τε ἄλλα αὐτῷ συνήρετο καὶ τὴν ἐσθῆτα τῷ πλήθει, ὡς καὶ ἐπὶ τινὶ κοινῇ συμφορᾷ, μεταλλάττειν παρήνεσε, καὶ πολλοὶ τοῦτο καὶ τῶν βουλευτῶν ἐποίησαν.* Cf. pro Planc. 35, 87.

memoriam conſul. mei. quod in ea aede SC. factum eſt de occidendis coniuratis. vid. argum. orat. Catil. IV, p. 165.

conſulto ſe domi contin. At Dio Caſſ. XXXVIII, 16. de Piſone: *τὰ γὰρ πολλὰ ἠρρώστει.* Cf. in Piſon. 6.

helluo patriae, qui bona publica, aerarium prodegit et exhauſit. *Ern.*

quod ille, quum quaſi quaeſtum faceret, amiſit? Vos, inquam, equites Romani, et omnes boni, veſtem mutaſtis, vosque pro meo capite ad pedes lenonis impuriſſimi proieciſtis, quum, veſtris precibus a latrone illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, conſtantia, L. Ninnius, ad ſenatum de republica retulit, ſenatusque
XII frequens veſtem pro mea ſalute mutandam cenſuit. O
27 diem illum, iudices, funeſtum ſenatui bonisque omnibus, reipublicae luctuoſum, mihi ad domeſticum maerorem gravem, ad poſteritatis memoriam glorioſum! Quid enim quisquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quam pro uno cive et bonos omnes privato conſenſu et univerſum ſenatum publico conſilio mutaſſe veſtem? quae quidem tum mutatio non deprecationis cauſa eſt facta, ſed luctus: quem enim deprecarentur, quum omnes eſſent ſordidati, quumque hoc ſatis eſſet ſigni, eſſe improbum, qui mutata veſte non eſſet? Hac mutatione veſtis facta, tanto in luctu civitatis, omitto quid ille tribunus, omnium rerum divinarum humanarumque praedo, fecerit; qui adeſſe nobiliſſimos adoleſcentes, honeſtiſſimos equites Romanos, deprecatores ſalutis meae iuſſerit, eosque operarum ſuarum gladiis et lapidibus obiecerit; de conſulibus loquor, quorum fide respublica niti debuit.
28 Exanimatus evolat ex ſenatu, non minus perturbato animo atque vultu, quam ſi annis ante paucis in creditorum conventum incidiſſet; advocat concionem; habet orationem talem conſul, qualem numquam Catilina victor ha-

---

quum quaſi quaeſtum faceret corpore, ut meretrix. Vid. c. 8. in. Hinc Gabinii *virum* Catilinam appellare videtur auctor orat. poſt red. in ſen. 5, 12.

Vos, inquam. Repetit ſententiam initio capitis poſitam. Paulo poſt Garat. ex edd. ant. legi vult *cum veſtris precibus a l. i. repudiati eſtis*, quem ſecutus eſt Orell. At, quantum obſervavi *cum* hac vi tantum ponitur, ubi res vel levis et futilis vel quam factam indigneris commemoratur, ut in locis a Garat. allatis, Terent. Eun. IV, 3, 9. *Abi hinc, quo dignus, cum donis tuis tam lepidis.* Cic. Phil. XIII, 18. *conſervandus civis cum tam pio iuſtoque foedere.* Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. V, 4, 38. Alia ratio eſt loci infr. 26, 57.

c. XII. §. 27. *adeſſe*, in concione, tanquam in iudicio, ut cauſam dicerent. Sic *adeſſe ad iudicium* Verr. I, 1. in. Cf. pro dom. 18, 46. De re vid. Dio Caſſ. 38, 16.

buiſſet; errare homines, ſi etiam tum ſenatum aliquid in republica poſſe arbitrarentur; equites vero Romanos daturos illius diei poenas, quo, me conſule, cum gladiis in clivo Capitolino fuiſſent; veniſſe tempus iis, qui in timore fuiſſent, (coniuratos videlicet dicebat) ulciſcendi ſe. Si dixiſſet hoc ſolum, omni ſupplicio eſſet dignus: nam oratio ipſa conſulis perniciosa poteſt rempublicam labefactare. Quid fecerit, videte. L. Lamiam, qui quum 29
me ipſum pro ſumma familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, unice diligebat, tum pro republica vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegavit, edixitque, ut ab urbe abeſſet millia paſſuum ducenta, quod eſſet auſus pro cive, pro bene merito cive, pro amico, pro republica deprecari. Quid hoc homine facias? XIII
aut quo civem importunum, aut potius hoſtem tam ſceleratum reſerves? qui, ut omittam cetera, quae ſunt ei cum collega immani impuroque coniuncta atque communia, hoc unum habet proprium, ut expulerit ex urbe, relegarit, non dico equitem Romanum, non ornatiſſimum atque optimum virum, non amiciſſimum reipublicae civem, non illo ipſo tempore una cum ſenatu et cum bonis omnibus caſum amici reique publicae lugentem, ſed civem Romanum ſine ullo iudicio edicto ex patria conſul eiecerit. Nihil acerbius ſocii Latini ferre ſoliti ſunt, quam, id 30
quod perraro accidit, ex urbe exire a conſulibus iuberi.

---

§. 28. *equites vero Rom.* poſt red. in ſen. 5, 12. *Neque eo contentus fuit, ſed etiam in concionem adſcendit, eaque dixit, quae ſi eius vir Catilina revixiſſet, dicere non eſſet auſus, ſe Nonarum Dec. quae me conſule fuiſſent, clivique Capitolini poenas ab equitibus Rom. eſſe repetiturum.* quae aperte ex hoc loco ducta ſunt.

§. 29. *L. Lamiam.* Dio Caſſ. l. c. *ἕνα τινὰ τῶν ἱππέων, ὡς πολὺς ἐνέκειτο, ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασεν.* Cf. Piſon. 27 in. Aſcon. ad Piſon. 10 (*quum equites Romani relegarentur*) *L. Lamiam a Gabinio conſule edicto relegatum eſſe, iam diximus.* Cf. poſt red. in ſen. 5, 12. Erat autem Aeliae gentis, quam praedicavit Horat. Carm. III, 17. ut monuit Garaton. ad Planc. 35.

c. XIII. *edicto.* Cf. §. 30. Conſules vero eos tantum edicto ex urbe expellere poterant, qui cives Rom. non eſſent.

§. 30. *id quod perraro accidit.* Bis omnino, quod quidem ego legendo obſervaverim; primum edicto Proculi Virginii coſ. cum Sp. Caſſium Viſcellinum collegam haberet, anno ab u. c. CCLXVII qua de re ſcriptum

Atque illis tum erat reditus in suas civitates, ad suos lares familiares, et in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. Hoc vero quid est? exterminabit cives Romanos edicto consul a suis diis penatibus? expellet patria? deliget quem volet? damnabit atque eiiciet nominatim? hic, si umquam vos eos, qui nunc estis in republica, fore putasset, si denique imaginem iudiciorum aut simulacrum aliquod futurum in civitate reliquum credidisset, umquam ausus esset senatum de republica tollere, equitum Romanorum preces aspernari, civium denique omnium novis et inauditis edictis ius libertatemque pervertere?

31 Etsi me attentissimis animis summa cum benignitate auditis, iudices, tamen vereor, nequis forte vestrum miretur, quid haec mea oratio tam longa ac tam alte repetita velit, aut quid ad P. Sextii causam eorum, qui ante huius tribunatum rempublicam vexarunt, delicta pertineant. Mihi autem hoc propositum est ostendere, omnia consilia P. Sextii mentemque totius tribunatus hanc fuisse, ut afflictae et perditae reipublicae, quantum posset, mederetur. Ac, si in exponendis vulneribus illis de me ipso plura dicere videbor, ignoscite: nam et illam meam clademvos et omnes boni maximum esse reipublicae vulnus iudicastis, et P. Sextius est reus non suo, sed meo nomine; qui quum omnem vim sui tribunatus in mea

---

est apud Dionys. Halic. lib. VIII (72). Deinde anno post u. c. DCXXXI cum C. Fannius Cos. vocatos a. C. Graccho ad suffragium ferendum Latinos eodem die exire urbe iussit; qua de re Appianus aperte (de b. civ. I, 23) nec obscure admodum Cicero in Bruto (c. 26.) *Manut.* Fortasse Cicero etiam de Volscis T. Geganio, M. Minucio Coss. a. u. 262 ex urbe abire iussis (Liv. II, 37.) cogitavit.

Eos, qui nunc estis, magna praeditos auctoritate et cum potestate iudicandi. *Manut.* E lege Aurelia Cottae a. u. 683 lata iudicia senatores, equites et e plebe tribuni aerarii habebant.

Ius libertatemque Gabinius eripuit civibus, quum eos, suum dolorem veste mutata significantes, ad vestitum, quem deposuerant, redire iussit. *Manut.*

§. 31. *tam longa.* Sic plane de or. III, 24. *quorsum igitur haec spectat tam longa et tam alte repetita oratio.* Cluent. 21. *incipit longo et alte petito prooemio respondere.*

salute consumpserit, necesse est meam causam praeteriti temporis cum huius praesenti defensione esse coniunctam.

Erat igitur in luctu senatus; squalebat civitas, publico XIV
consilio mutata veste; nullum erat Italiae municipium, 32
nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime decreviisset de mea salute, quum subito edicunt duo consules, ut ad suum vestitum senatores redirent. Quis umquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? Parumne est, Piso, ut omittam Gabinium, quod tantum homines fefellisti, ut negligeres auctoritatem senatus, optimi cuiusque consilia contemneres, rempublicam proderes, consulare nomen affligeres? etiamne edicere audebas, ne maererent homines meam, suam, reipublicae calamitatem, ne hunc suum dolorem veste significarent? sive illa

---

meam causam praeteriti temporis. vid. ad §. 15.

c. XIV. §. 32. *nullum collegium.* pro dom. 28, 74. *Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani (quoniam plebi quoque urbanae maiores nostri conventicula et quasi consilia quaedam esse voluerant) qui non amplissime non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint.* Collegia autem vocabantur conventus infimorum hominum, secundum opificia, quae tractabant, descriptorum. Plutarch. Num. p. 71. D. (c. 17) ἦν δ' ἡ διανομὴ κατὰ τὰς τέχνας, αὐλητῶν, χρυσοχόων, τεκτόνων, βαφέων, σκυτοτόμων, σκυτοδεψῶν, χαλκέων, κεραμέων. Sed quia haec collegia eiusmodi hominum minus tuta videbantur, postea *senatusconsultis et pluribus legibus sublata sunt, praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desiderasset, ut fabrorum lictorumque,* ut ait Asconius in Cornel. p. 967 ed. Graev. T. II, P. 2. *L. Caecilio et Q. Martio coss.* ut ait idem ad or. in Pison. c. 4. i. e. a. V. 686. decem annis ante Pisonem et Gabinium coss. Cf. ad c. XXV, 55.

quis umquam — — in Pis. 8, 18. *Edicere est ausus cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitiis superare cupiebat, ut senatus contra quam ipse censuisset ad vestitum rediret. Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret? Maerorem relinquis, maeroris aufers insignia, eripis lacrymas non consolando, sed minando.*

etiamne edicere audebas. Sic Ernest. pro *audeas.* Hoc enim tunc tantum locum habet, ubi de re vel praesenti vel mox futura sermo est.

veſtis mutatio ad luctum ipſorum ſive ad deprecandum valebat, quis umquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut ſibi maerere, aut ceteris ſupplicare? Quid? ſua ſponte homines in amicorum periculis veſtitum mutare non ſolent? pro te ipſo, Piſo, nemone mutabit? ne iſti quidem, quos legatos non modo nullo ſenatusconſulto, ſed etiam repugnante ſenatu, tute tibi legaſti? Ergo hominis deſperati et proditoris reipublicae caſum lugebunt fortaſſe qui volent; civis florentiſſimi benevolentia bonorum et optime de ſalute patriae meriti periculum, coniunctum cum periculo civitatis, lugere ſenatui non licebit? Iidem conſules, (ſi appellandi ſunt conſules, quos nemo eſt, qui non modo ex memoria, ſed etiam ex faſtis evellendos non putet) pacto iam foedere provinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia ac peſte patriae, maximo cum gemitu veſtro, illa omnia, quae tum contra me contraque rempublicam dixerat, voce ac ſententia ſua comprobave-
XV runt. Iisdem conſulibus ſedentibus atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus faſtis diebus legem ferri liceret, ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret.

---

§. 33. *quos legatos — tute tibi legaſti.* in Vatin. 15. *ne hoc quidem ſenatui relinquebas, quod nemo umquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur?* et §. 36. *Quis legatos unquam* (factos eſſe) *audivit ſine SC.?*

producti. Non tantum privato non licebat cum populo agere, niſi productus eſſet a magiſtratu (vid. c. 50. §. 107) ſed ne conſulibus quidem, niſi a tribb. pl. poteſtas facta eſſet in concione dicendi, praeterquam quum a coſſ. ipſis populus in concionem vocatus erat. Itaque Brut. 60, 217. *Quum Cn. Sicinius trib. pl. Curionem et Octavium conſules produxiſſet.* Piſo coſ. producitur etiam in concionem in Piſ. 6, 14. Antonius coſ. a Canutio trib. pl. epp. fam. XII, 3. (162, 3.)

c. XV. §. 33. *ſedentibus* in ſella curuli, itaque praeſentibus, quum prohibere poſſent, ideoque non reſiſtentibus, ut explicat Abram. ut epp. famil. I, 9 (41, 16) *ſedente Cn. Pompeio*, quod paulo poſt eſt *eodem teſte.* in Piſon. 5, 10. *An poteſt ulla eſſe excuſatio non dicam male ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo reip. motu conſuli?* ib. 4, 9. *inſpectante et ſedente te.* Cf. in Vatin. 7, 18.

lex Aelia a Q. Aelio Coſ. lata a. u. c. 586. qua cautum eſt, ut, quoties comitia legibus ferendis eſſent, de *coelo ſervare* i. e. coelum contemplari, ſi qua parte fulgur exiſteret aut tonitru, liceret, ut obnuntiare (quod eſt magiſtratuum dicentium *alio die,*) obnuntiationique cedere neceſſe eſſet, tum ut intercedere magiſtratus pares et tribuni poſſent. Vid. Ern. cl. in ind. legum. Lege *Fufia* Fufii tribuni ſancitum erat, ne omnibus diebus faſtis legem ferri liceret. Dio Caſſ. XXXVIII, 13. *ἐπεὶ οὖν πολλοὶ ἐμποδίζειν ἢ νόμων ἐσφορὰς ἢ ἀρχόντων καταστάσεις ἐς τὸν δῆμον ἐσαγομένας βουλόμενοι προεπήγγελλον καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην μαντευσόμενοι, ὥστε μηδεμίαν ἐν αὐτῇ κύρωσιν τὸν δῆμον σχεῖν, φοβηθεὶς ὁ Κλώδιος, μὴ γραψαμένου αὐτοῦ τὸν Κικέρωνα, ἀναβολήν τε τινὲς ἐκ τοῦ τοιούτου καὶ τριβὴν τῇ δίκῃ ἐμποιήσωσιν, ἐσήνεγκε μηδένα τῶν ἀρχόντων ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς ψηφίσασθαί τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον εἴη, τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γενόμενα παρατηρεῖν.*

qua una rogatione etc. in Piſ. 4, 9. *a P. Clodio lex Aelia et Fufia everſa eſt, propugnacula murique tranquillitatis atque otii.* Nam illis legibus prohibiti ſunt tribb. pl. quominus omnibus diebus leges ferrent, et ita rempublicam ſeditionibus turbarent, in Vatin. 7, 18. *lex Ael. et Fuf. — quae leges ſaepenumero tribunicios furores debilitarunt et repreſſerunt — — quae quidem leges anno poſt, ſedentibus in templo duobus non conſulibus, ſed proditoribus huius civitatis ac peſtibus, una cum auſpiciis, cum interceſſionibus, cum omni iure publico conflagraverunt.*

Qua una rogatione, quis eſt, qui non intelligat, univerſam rempublicam eſſe deletam? Iisdem conſulibus inſpectan- 34
tibus, ſervorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum, quum vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur. Iisdem conſulibus arma in

---

§. 34. *Tribunal Aurelium* erat in foro, exſtructum ſaxo circumdatumque gradibus; unde *Aurelii gradus* pro Clu. 34, 93. pro Flacc. 28 in.; ibi verſari ſolitam fuiſſe multitudinem hominum plebeiorum et perditorum, ſuſpicatur Ern. in ind. geogr. *Pro trib. Aur.* i. e. ante, ſed ita ut utriusque loci, et tribunalis et loci, in quo multitudo verſabatur, continuatio ſignificetur (itaque ad Quir. p. red. 5, 13. pro dom. 21 de eadem re eſt *in tribunali Aurelio*) et utergue eodem ſpectet. Accuratiſſime de hac praepoſit. diſſeruit Hoffmann in *Jahrb. d. Philol.* VII, 1. p. 28 ſq. De re cf. in Piſ. l. c. *collegia, non ea ſolum, quae ſenatus ſuſtulerat,* (vid. ad XIV, 32.) *reſtituta, ſed innumerabilia quaedam nova ex omni fece urbis ac ſervitio concitata.* Cl. ibid. §. 11, c. 10 §. 23. ad Quir. p. red. 5, 13. *nomine collegiorum.* poſt red.

templum Caſtoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur, armati homines forum et conciones tenebant, caedes lapidationesque fiebant; nullus erat ſenatus, nihil reliqui magiſtratus; unus omnem omnium poteſtatem armis et latrociniis poſſidebat, non aliqua vi ſua, ſed quum duo conſules a republica provinciarum foedere retraxiſſet, inſultabat, dominabatur, aliis pollicebatur, terrore ac metu multos, plures etiam ſpe et promiſſis tenebat.

XVI Quae quum eſſent eiusmodi, iudices, quum ſenatus 35 duces nullos, ac pro ducibus proditores aut potius apertos hoſtes haberet, equeſter ordo reus a conſulibus citaretur, Italiae totius auctoritas repudiaretur, alii nominatim relegarentur, alii metu ac periculo terrerentur, arma eſſent in templis, armati in foro, eaque non ſilentio con-

---

in ſen. c. 13 §. 33 *ſimulatione collegiorum.* — *Cum vicatim h. conſcr.* pro dom. 21 in. *quum in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſervos, ex omnibus vicis concitatos. Conſcribebant* et *decuriabant* vel etiam *centuriabant* homines, qui largitionibus vel pollicitationibus, praemiis propoſitis, eorum auxilio in ſeditioſis conſiliis ſuis exſequendis uti volebant, etiam in comitiis ad tribus corrumpendas.

in templum Caſt. Cf. Piſon. 5, 11. 10, 23. Gradus templi ſignificat etiam or. p. red. in ſen. 13, 32. *Aditus templorum erant non ſolum praeſidiis et manu, verum etiam demolitione ſublati.* pro dom. 21, 54. *Quum arma in aedem Caſtoris comportabas, nihil aliud, niſi uti ne quid per vim agi poſſet, machinabare?* (imo ut per vim ageres et leges tuas perferres.) *Quum vero gradus Caſtoris convelliſti ac removiſti, tum, ut modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu atque adſcenſu repuliſti?* imo homines audaces ibi congregaſti.

nihil reliqui magiſtratus. De hac formula conſulere Broukhuſ. ad Tib. I, 5, 30 iubet Garaton. ad Att. I, 19 (epp. 12, 8) *ille alter* (cos.) *ita nihil eſt, ut etc.*

provinc. foedere. de prov. conſul. 2, 3. *Syria et Macedonia, quas, vobis invitis et oppreſſis, peſtiferi illi conſules pro everſae reip. praemiis occupaverunt.*

c. XVI. §. 35. *ac* pro *ſed.* vid. ad Cic. epp. XXXV, 5. Rectius dicas, ubi nos oppoſitionem exprimamus, ibi Latinos ſatis habere, ſimplicem coniunctionem ponere.

equeſter ordo. vid. §. 28.

ſilentio, quod ipſum eſſet ſcelus. in Piſon. 5. in. *Neque vero multum intereſt, praeſertim in conſule, utrum ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus*

ſulum diſſimularentur, ſed et voce et ſententia comprobarentur, quum omnes urbem nondum exciſam et everſam, ſed iam captam atque oppreſſam videremus, tamen his tantis malis, tanto bonorum ſtudio, iudices, reſtitiſſemus. Sed me alii metus atque aliae curae ſuſpicionesque mo- 36
verunt. Exponam enim hodierno die, iudices, omnem rationem facti et conſilii mei, neque huic veſtro tanto ſtudio audiendi, neque vero huic tantae multitudini, quanta, mea memoria, numquam ullo in iudicio fuit, deero: nam, ſi ego in cauſa tam bona, tanto ſtudio ſenatus, conſenſu tam incredibili bonorum omnium, tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, ceſſi tribuni plebis, deſpicatiſſimi hominis, furori, contemptiſſimorum conſulum levitatem audaciamque pertimui, nimium me timidum, nullius animi, nullius conſilii fuiſſe confiteor. Quid enim ſimile fuit in Q. Metello? cuius cauſam etſi 37
omnes boni probabant, tamen neque ſenatus publice, neque ullus ordo proprie, neque ſuis decretis Italia tota ſuſceperat: ad ſuam enim magis quandam ille gloriam, quam ad perſpicuam ſalutem reipublicae ſpectarat, quum

---

remp. vexet, an alios vexare patiatur. Abram. qui ad loc. or. in Piſ. laudat Senecam Troad. v. 293. *in me culpa cunctorum redit. Qui non vetat peccare, quum poſſit, iubet.*

tanto bonorum ſtudio. Eſt quaſi inſtrumentum, quo adiutus reſtitit: niſi mavis explicare, quum tantum bonorum ſtudium eſſet. (vid. ad Manil. §. 20) qua vi ponitur infra §. 36 *tanto ſtudio ſenatus.*

§. 36. *neque vero* augendi vim habet: multo minus, inquit, deero multitudini illi tantae, ut recte Ern. Müller. ſimilem locum laudat pro Muren. 35, 74.

deero, non ſatisfaciam: deeſt enim orator iudicibus et populo, quum ea, quae requirit cauſa, non exponit. *Manut.*

ad omnem contentionem, ad omne genus contentionis cum inimicis meis ſuscipiendae.

§. 37. *Q. Metello*, Numidico, qui quum in legem agrariam ab Apuleio Saturnino latam iurare nollet, urbem relinquere ſeditione coactus eſt a. u. 654. Rem exponit Appianus de b. civil. I, c. 29 — 31. Cf. Cic. pro Planc. 36, 89.

proprie, quod noſtri dicerent *peculiariter*, ut infra §. 38. vid. ad or. pro Sull. III, 9.

ſpectarat. Alias *ſpectare ad al.* eſt ad aliquid pertinere, referri, eo valere, ut de orat. III, 22, 82. *intelligo, illa te ſemper etiam potiora duxiſſe, quae ad ſapientiam ſpectarent. Spectare al.* contra eſt in animo habere, quod conſequi vel efficere velis,

unus in legem per vim latam iurare noluerat; denique videbatur ea conditione tam fortis fuisse, ut cum patriae caritate constantiae gloriam commutaret. Erat autem ei res cum exercitu C. Marii invicto; habebat inimicum C. Marium, conservatorem patriae, sextum iam illum consulatum gerentem; res erat cum L. Saturnino iterum tribuno plebis, vigilante homine et in causa populari, si non moderate, at certe populariter abstinenterque versato. Cessit, ne aut victus a fortibus viris cum dedecore caderet, aut victor multis et fortibus civibus rempublicam or-
58 baret. Meam causam senatus palam, equester ordo acerrime, cuncta Italia publice, omnes boni proprie enixeque susceperant; eas res gesseram, quarum non unus auctor, sed dux omnium voluntatis fuissem, quaeque non modo ad singularem meam gloriam, sed ad salutem com-

---

ut infra c. XXIII, 51. Sed tamen haec nonnumquam inter se permutantur. in Vatin. 10, 24 *ipse ad imperatorias laudes a puero videlicet spectaras*, i. e. aspiraveras, ut explicat Forcellini. Quam contigua haec sint, apparet ex epp. famil. IV, 2 (XCI, 5) *omnia utriusque nostrum consilia ad concordiam spectaverunt*, quod sive explices *ad conc. pertinuerunt, referebantur*, sive *concordiam propositam sibi habuerunt, quam efficerent*, non multum intereft. Cf. Drakenb. ad Liv. I, 47 a quo qui allati sunt loci, ex iis huc pertinent, quibus *populus ad rebellionem spectare* dicitur. — *Spectarat, quum — noluerat* dixit, quia, quum duae res uno eodemque temporis momento factae designantur, idem tempus grammaticum repetitur. Vid. Exc. ad orr. VII, p. 241.

cum patriae caritate — mallet constantiae gloriam adipisci, quam in patria manere. Sic in ea pro Balbo (c. 5 in.) *Q. Metellus — ille vir, cui patriae salus dulcior, quam conspectus, fuit, qui de civitate decedere, quam de sententia maluit. Hotomann.*

cum exercitu C. Marii. Vid. in Pison. 9, 20.

populariter, cum populi gratia et secunda voluntate. *Graev. abstinenter*, ita ut ipse nihil lucri inde perciperet. Clodius contra vocatur *testamentarius* §. 39.

cum dedecore caderet, quasi contra remp. arma tulisset: nam ex eventu plerumque res iudicantur.

§. 38. *non unus auctor*, sed cum senatu, qui coniuratos supplicio afficiendos esse censuerat, referente tamen Cicerone, qui ideo *dux* vocatur.

non modo — sed. Vid. ad Catil. 3, 10, 24. Kritz. ad Sall. Catil. 18, 7. p. 89. *Non modo — sed etiam* ponitur, quum utrumque coniunctum esse significatur, ita tamen ut in secundo membro gravius aliquid addatur, *non mod. — sed*, ubi secundum verius esse indicatur.

munem omnium civium et prope gentium pertinerent; ea conditione gesseram, ut meum factum semper omnes praestare tuerique deberent. Erat autem mihi contentio XVII
non cum victore exercitu, sed cum operis conductis et ad diripiendam urbem concitatis; habebam inimicum non C. Marium, terrorem hostium, spem subsidiumque patriae, sed duo importuna prodigia, quos egestas, quos aeris alieni magnitudo, quos levitas, quos improbitas tribuno plebis constrictos addixerat; nec mihi res erat cum Saturnino, 59
qui, quod a se quaestore Ostiensi per ignominiam ad principem et senatus et civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur, sed cum scurrarum locupletium

---

praestare, omne periculum in se recipere, et ut vulgus loquitur, pro me respondere. Infr. c. 28, §. 61.

c. XVII. §. 38. *egestas, aeris al. magnit. levitas* ad Gabinium spectant. vid. §. 18, *improbitas* ad Pisonem, ut recte monet Manut.

§. 39. *quaestore Ostiensi*, de harusp. resp. 20 extr. *Saturninum, quod in annonae caritate quaestorem a sua frumentaria procuratione senatus amovit, eique rei M. Scaurum praefecit, scimus, dolore factum esse popularem.*

scurrarum. Sic appellare videtur homines intemperantes, nullam pudoris partem retinentes, ut verbis utar P. Manutii, quod scurrae, qui proprie dicuntur, impudentes sunt nec in facetiis modum servant. Exempla scurrarum, a potentioribus ad summas opes evectorum commemorat Abramius, in his Sext. Naevium, de quo Cicero complura in Quintiana. Idem comparat locum or. de harusp. resp. c. 20. e nostro fortasse ductum: *Qui post patris mortem primam illam aetatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit.* Similiter Eurip. Melan. fr. XXIX (XX ap. Musgr.) *Ἀνδρῶν δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος οὕνεκα ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους, — — οἰκοῦσι δ' οἴκους καὶ τὰ ναυτολοίμενα ἔσω δόμων σώζουσι*, i. e. ut H. Grotius vertit, *Est excitandis risibus natum genus Convicioſa venere. — Bene interim habitant atque corrasas opes Intra coercent limen.*

cum sororis adultero, uxoris L. Luculli, qui Tigranem Mithridatemque acie vicit. pro Mil. 27, 73. Plut. in Lucull. c. 34. Caes. c. 10. Cicer. c. 29. Vellei. II, 45. Sororius adulter vocatur in Pis. 12, 28. Cf. supra c. VII, 16.

ſcorto, cum ſororis adultero, cum ſtuprorum ſacerdote cum venefico, cum teſtamentario, cum ſicario, cum latrone. Quos homines, ſi, id quod facile factu fuit et quod fieri debuit quodque a me optimi et fortiſſimi cives flagitabant, vi armisque ſuperaſſem, non verebar, ne quis aut vim vi repulſam reprehenderet, aut perditorum civium, vel potius domeſticorum hoſtium mortem maereret. Sed me illa moverunt: omnibus in concionibus illa furia clamabat, ſe, quae faceret contra ſalutem meam, facere auctore Cn. Pompeio, clariſſimo viro mihique et nunc et quoad licuit amiciſſimo; M. Craſſus, quocum mihi erant omnes amicitiae neceſſitudines, vir fortiſſimus, ab eadem illa peſte infeſtiſſimus eſſe meis fortunis praedicabatur; C. Caeſar, qui a me nullo meo merito alienus eſſe debebat, inimiciſſimus eſſe meae ſaluti ab eodem quotidianis con-
40 cionibus dicebatur. His ſe tribus auctoribus in conſiliis capiendis, adiutoribus in re gerenda eſſe uſurum dicebat; ex quibus unum habere exercitum in Italia maximum, duo, qui privati tum eſſent, et praeeſſe et parare, ſi vellent, exercitum poſſe, idque facturos eſſe dicebat. Nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec diſceptationem aut cauſae dictionem, ſed

cum ſtuprorum ſacerdote, quod, ut Pompeiam, C. Caeſ. uxorem, ſtupraret, ad aras Bonae Deae tanquam ſacerdos acceſſiſſet, ut, quemadmodum ſacrorum ſacerdotes ſunt, ſic ipſe ſtuprorum ſacerdos eſſet. Simile illud ad Att. I, 18 (epp. XI, 10) *M. Luculli uxorem Memmius ſuis ſacris initiavit. Manut.*

Venefico, teſtamentario. Huc fortaſſe ſpectant illa de haruſp. reſp. 20, 42. *ſe in Galliam contulit; in qua provincia mortuorum teſtamenta conſcripſit, pupillos necavit etc.*

optimi et fortiſſimi cives, maxime L. Lucullus, ut in Plutarcho ſcriptum eſt (vit. Cicer. c. 31.) *Manut.*

vim vi repulſam. Repelli proprie dicitur vis, quae infertur, *depelli* omnino eſt arceri, amoveri.

quoad licuit per Caeſarem ſocerum. Plut. Cic. 31. *Καῖσαρ —— τόν τε Κλώδιον ἐπέῤῥωσε καὶ Πομπήϊον ἀπέστρεψε κομιδῇ τοῦ Κικέρωνος.*

§. 40. *unum*, C. Caeſarem, qui exercitum quatuor legionum habebat, ut et Plut. Caeſ. c. 14. notat Abram.

praeeſſe, conſulendo, providendo, curando ſe adiuvare, ut Erneſt. in clav. explicat locum Ciceronis de orat. I, 10. et alios.

legitimam aliquam contentionem. Vid. ad Catil. I, §. 15.

vim, arma, exercitus, imperatores, caſtra denuntiabat. Quid ergo? inimici oratio, vana praeſertim, tam improbe XVIII
in clariſſimos viros coniectâ me movit? Me vero non illius oratio, ſed eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur, qui tum, quamquam ob alias cauſas tacebant, tamen hominibus omnia timentibus tacendo loqui, non infitiando confiteri videbantur. Illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa atque omnes res anni ſuperioris labefactari a praetoribus, infirmari a ſenatu atque principibus civitatis putabant, tribunum popularem a ſe alienare nolebant, ſuaque ſibi propiora pericula eſſe, quam mea, loquebantur. Sed tamen 41
et Craſſus a conſulibus meam cauſam ſuſcipiendam eſſe dicebat, et eorum fidem Pompeius implorabat, neque ſe privatum publice ſuſceptae cauſae defuturum eſſe dicebat; quem virum ſtudioſum mei, cupidiſſimum reipublicae conſervandae, certi homines ad eam rem compoſiti monuerunt, ut eſſet cautior, eiusque vitae a me *inſidias* apud me domi poſitas eſſe dixerunt, atque hanc ei ſuſpicionem alii litteris mittendis, alii nuntiis, alii coram ipſi excitaverunt, ut ille, quum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, ſibi cavendum putaret. Ipſe autem Caeſar, quem maxime homines iguari veritatis mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas,

c. XVIII. §. 40. *non infitiando confit. non* cum *infitiando* iungendum eſt, non cum *confiteri*, ne confiteri viderentur eo ipſo, quod non inficiarentur.

quod acta illa, quae Caeſar ſuperioris anni ab a. u. 694. conſul communicatis cum Pompeio et Craſſo conſiliis contra auſpicia egerat de agrorum diviſione, civitatis donatione, vectigalium remiſſione etc. Piſ. 32, 79. *Adducta res in certamen, te* (Piſone) *conſule, putabatur, utrum, quae ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur. Quid loquar plura? ſi tantum eſſe in me uno roboris et virtutis putavit, ut ea, quae ipſe geſſerat, concidérent, ſi ego reſtitiſſem, cur ei non ignoſcam, ſi antepoſuit ſuam ſalutem meae?* Praetores intelliguntur C. Memmius et L. Domitius Ahenobarbus, Sueton. Caeſ. 23. Neron. 2. Cic. pro dom. 15, 40. De *actis* vid. ad c. 64. §. 133.

§. 41. *a conſulibus*, ut pro l. Man. 2 extr.

publice ſusceptae, ſi Conſules ex S. C. rempubl. defenderent.

compoſiti, i. e. ſubornati, ſubmiſſi. De re vid. infr. 64. §. 135. ubi Vatinius auctor fuiſſe narratur, in Piſ. 31, 76. pro dom. 21, 55.

erat cum imperio, erat in Italia eius exercitus, inque eo exercitu ipsius tribuni plebis inimici mei fratrem praefecerat.

IX Haec ego quum viderem (neque enim erant occulta),
42 senatum, sine quo civitas stare non posset, omnino de civitate esse sublatum, consules, qui publici consilii duces esse deberent, perfeciſſe, ut per ipsos publicum consilium funditus tolleretur, eos, qui plurimum possent, opponi omnibus concionibus, falso, sed formidolose tamen, auctores ad perniciem meam, conciones haberi quotidie contra me, vocem pro me ac pro republica neminem mittere, intenta signa legionum existimari cervicibus ac bonis vestris, falso, sed putari tamen, coniuratorum copias veteres et fusam illam ac superatam Catilinae manum importunam novo duce et insperata commutatione rerum
43 esse renovatam, — haec quum viderem, quid agerem, iudices? scio enim, tum non mihi vestrum studium, sed meum prope vestro defuisse. Contenderem contra tribunum plebis privatus armis? viciſſent improbos boni, fortes inertes, interfectus esset is, qui hac una medicina sola potuit a reipublicae peste depelli. Quid deinde? quid reliquiarum restaret? quid denique erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo praesertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus? quum quidem in concione dixisset, aut mihi semel pereundum, aut bis esse vincendum. Quid erat bis vincere? Id profecto, ut, cum amentissimo tribuno plebis quum decertassem, cum consulibus ceterisque eius ultoribus dimicarem. Ego vero, si mihi uni pereundum fuisset, ac non 44

---

inimici mei fratrem, Appium Claudium, legatum in exercitu Caesaris. *inque eo exercitu praefecerat* non valet ei exercitui praefecerat, sed aliquam in exercitu potestatem, curationem dederat, qualem nempe in exercitibus plures simul legati habebant, quum pro numero legionum praficiebantur, ut explicat Garaton. Neque enim verisimile, omnem Clodii fratri exercitum regendum a Caesare traditum esse. Sed in Verr. III, 77. *in provincia praefuisti* est pro provinciae praef.

c. XIX. §. 42. *neque enim erant occulta.* Manut. laudat Demosth. de coron. p. 231, 10. ed. Reisk. *ταῦτα δ' ὁρῶν ὁ Φίλιππος (οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ·)* recte addens in eius imitationem non de industria, sed casu et ex legendi consuetudine incidisse Ciceronem; praeterea epp. famil. I, 9 (epp. 41, 14.) or. agrar. II, 4. Ad haec Müller. addit Milon. 10 in.

opponi, commemorari in contrariam partem, ut explicat Ernest. in clav. Phil. II, 4, 8. *Quid habes, quod mihi opponas — — ? Omnibus concionibus* non pro dativo accipio pendente ex *opponi*, sed pro ablativo pro in omnibus concionibus.

renovatam, recreatam, ad novam spem concipiendam. Sic c. 69, §. 147. *reficere ac renovare rempublicam.*

§. 43. *quid agerem* i. e. quid agere debebam. Nos diceremus: *was hätte ich thun sollen?* Cf. §. 46, 54 extr. 89. Sed imperfectum rem praeterito tempore continuatam significat. Sic mox *contenderem.* Sed paulo post *quid reliq. restaret* est consequens conditionis suppressae pro eo quod nos dicimus *restitisset*, de qua legitima constructione vid. ad Rosc. §. 103.

hac una medic. sola. Sic infra c. 62, 130. Verr. II, 5, in. in Pis. 40, 96. Coel. 8, 19. Sic Graeci *εἷς μόνος* iungunt; nos nur *durch dieses* einzige *Mittel.*

a reip. peste depelli i. e. ita depelli, ut reip. pestem afferre non posset. Sic de orat. I, 1, 3. *fluctus per nos a communi peste depulsi*, ubi vid. Peare. qui similem locutionem laudat ex or. post red. in sen. 3. *quos nec tela nec faces a mea salute depellerent* i. e. ita depellerent, ut meam salutem non tuerentur. Cum toto hoc loco cf. Planc. c. 36.

§. 44. Hunc ego locum, inquit Garat. neque a viris doctissimis ausim sanatum dicere, neque a me sanari posse confido. Nos tamen experiamur, an aliquid ad eum explicandum afferre possimus. Interpretes non videntur attendisse ad vim formulae *ac non*, quae in eo posita est, ut eo, quod verius est, addito praecedentia corrigantur. vid. ad or. pro S. Rosc. §. 92. Itaque hoc dicit Cicero, non tam timendum fuisse, ne Cicero periret in primo certamine, quam ne in altera contentione (ad hanc enim respici, monstrant ea quae sequuntur: *erat enim illa altera* etc.) plures cives perirent, quum ipse viciſſet; etsi autem hi cives iidem illi essent, qui hanc plagam imposuissent, Clodius, duo consules et qui ab horum partibus starent, se tamen semel unum perire, quam bis vincere, ita ut tot cives interirent, maluisse. Ita *tamen* in quo haerebat Abramius, non ad verba *si mihi uni pereundum fuisset, semel perire tamen maluissem*, sed ad ea, quae proxime praecedunt, *etsi plaga illa mihi sanabilis, illis mortifera fuisset*, refertur. Verba *mihi sanabilis* oppositionis causa adiecta sunt, pro *plaga, quae, quamquam mihi sanabilis, illis tamen mortifera esset*, de qua consuetudine vid. Wolf. anal. litt. I, p. 318 et quae notavi ad Manil. §. 2. et in gramm. gr. mai. §. 622, 4. p. 1262. min. §. 622, p. 590 sq. Cf. infr. §. 105. 138.

accipienda plaga mihi ſanabilis, illis mortifera, qui eam impoſuiſſent, ſemel perire tamen, iudices, maluiſſem, quam bis vincere. Erat enim illa altera eiusmodi contentio, ut neque victi, neque victores rempublicam tenere poſſemus. Quid, ſi in prima contentione vi tribunicia victus in foro cum multis bonis viris concidiſſem? Senatum conſules, credo, vocaſſent, quem totum de civitate delerant; ad arma vocaſſent, qui ne veſtitu quidem defendi rempublicam ſiſſent; a tribuno plebis poſt interitum meum diſſediſſent, qui eandem horam meae peſtis et ſuo-
XX rum praemiorum eſſe voluiſſent. Unum mihi reſtabat
45 illud, quod forſitan non nemo vir fortis et acris animi magnique dixerit: reſtitiſſes, repugnaſſes, mortem pugnans oppetiſſes. De quo te, te, inquam, patria, teſtor,

---

in prima contentione pro in priore cont. nam duae tantum commemorantur contentiones. Alia exempla e Cicerone affert Gesner. in theſ. Verr. II, 74, 183. (poſt *inveni duos ſolos libellos ab L. Canuleio miſſos*) *Recita mihi, quaeſo, hunc primum libellum, deinde illum alterum.* de invent. II, 3, 11. *librum primum* commemorat eius operis, quod non niſi duobus libris conſtabat. Adde Verr. V, 63, 163. ubi *primam actionem* commemorat, quae ibid. 61, 158 vocata erat *prior.* pro Cluent. 37, 103 *prima actione* eius, qui *bis* dixit.

credo, ironicum, extra interrogationem eſt etiam Catil. I, 2, 5. Cf. ad or. pro S. Roſc. §. 52.

de civitate delerant. Alibi eſt *ex aliqua re delere* ut pro S. Roſc. 2, 6. pro Flacc. 25, 60. ſed hoc tunc uſurpatur, quum res, quae deleri dicitur, in alia continetur et intra eam eſt; ſenatus autem non poteſt in interiore reip. parte eſſe dici. Hinc ſupra 19, 42 *ſenatum omnino* de *civitate eſſe ſublatum*, non *e rep.* cf. §. 30. *Deleri* autem ſenatus dicitur etiam Philipp. IV, 6, 14. *ſenatum, id eſt, orbis terrae conſilium, delere geſtit*, i. e. efficere, ut nullus amplius ſit. Cf. Piſ. 17, 39. Alii probant *deiecerant*, quod pro *delerant* ſuppeditant duo codd. MSS. et edd. antiquae. At *deiici ex aliqua re* non magis dicitur, nec ſenatus ſic ſimpliciter *deiici*, non adiectis verbis *a gubernaculis reip.* ut pro dom. 10, 24.

ſiſſent. Antiquos dixiſſe *ſiſti, ſiſtis, ſiſſe, ſirim*, non *ſiviſti* etc. recte monuit Wunder. in *Jahrb. d. Phil. u. Paedag.* V, p. 141.

c. XX. §. 45. *reſtitiſſes* etc. Trochaicus tetrameter excidit Ciceroni. Neque tamen e veteri poeta hoc deſumtum puto, quum, praeter metrum, nihil poëtici coloris in verbis inſit. *reſtitiſſes* i. e. reſiſtere debebas. vid. ad §. 43. 54.

et vos, penates patriique dii, me veſtrarum ſedum templorumque cauſa, me propter ſalutem meorum civium, quae mihi ſemper fuit mea carior vita, dimicationem caedemque fugiſſe. Etenim, ſi mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc, iudices, accidiſſet, ut multi ex multis locis praedones claſſibus eam navem ſe oppreſſuros minitarentur, niſi me unum ſibi dedidiſſent, ſi id vectores negarent ac mecum ſimul interire, quam me tradere hoſtibus, mallent, ieciſſem me ipſe potius in profundum, ut ceteros conſervarem, quam illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, ſed in magnum
vitae diſcrimen adducerem. Quum vero in hanc reipu- 46

ſedum. Priſcian. VII, 16, 77. p. 343 ed. Krehl. monens *frequentius in es terminantia absque i inveniri, ut vatum pro vatium* hunc ipſum locum laudat. Cf. Ruddimann. inſtit. gr. I, p. 98 not. ed. Stallb. Schneid. gramm. lat. I, 2. p. 243. *veſtrarum ſedum templorumque cauſa* n. conſervandorum, ne templa veſtra everterentur. *Cauſa* enim poſt genit. tum poni ſolet, quum de re futura, quae efficienda ſit, ſermo eſt, non quum de re iam praeſente vel praeterita. Sed tamen pro Flacc. etiam eſt 39, 98. *Quanta reipublicae cauſa laetitia pop. R. conſecuta eſt?* non, ut reſp. defenderetur, ſed propter remp. Corn. N. Att. 8, 5. *provinciae necis cauſa datae erant* i. e. propter interfectum Caeſarem. Et ſic hoc etiam loco accipi poteſt. *benevolentiae cauſa* Off. II, 6, 21. eſt vel pro benev. teſtificandae cauſa vel pro ob benevolentiam, benevolentia adducti. *conſuetudinis cauſa* Cluent. I, 1. eſt ut conſuetudini ſatisfiat, quae ſententia non multum ab altera recedit, propter conſuetudinem. Illa vero *praeſidii adiumentique cauſa, non benevolentiae neque caritatis* Lael. 13, 46. *Medicorum ſcientiam non ipſius artis, ſed bonae valitudinis cauſa probamus.* Fin. I, 13, 42. denique orat. 27, 92. *ſuavitatis aut inopiae cauſa* pro praeſ. adiumentique inde capiendi cauſa, non propter benevolentiam, Med. ſc. non propter ipſam artem, ſed valit. tuendae cauſa probamus, Suav. cauſa aut propter inopiam, attractionem aliquam habent, ut *belli forisque, domi militiaeque*, etſi per ſe nec *belli*, nec *militiae* dicitur. Cum toto loco apte Manut. comparat Virg. Aen. II, 431. *Iliaci cineres et flamma extrema meorum, Teſtor in occaſu veſtro nec tela, nec ullas Vitaviſſe vices Danaûm.* Nam ſolere homines, ubi crimen in ſe coniectum teſtibus redarguere non liceat, iureiurando id, quod dicant, confirmare.

ſi mihi in aliqua nave — — — ſi id vectores negarent. Priore *ſi* ponitur totum vel univerſae con-

blicae navem, ereptis ſenatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, armatae tot claſſes, niſi ego unus deditus eſſem, incurſurae viderentur, quum proſcriptio, caedes, direptio denuntiarentur, quum alii me ſuſpicione periculi ſui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obſtare ſibi me arbitrarentur, alii ulciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alii rem ipſam publicam atque hunc bonorum ſtatum otiumque odiſſent, et ob haſce cauſas tot tamque varias me unum depoſcerent, depugnarem potius cum ſummo, non dicam exitio, ſed periculo certe veſtro liberorumque veſtrorum, quam non id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus ſuſciperem ac ſubirem? XXI „Victi eſſent improbi.“ At cives; at ab eo privato, qui 47 ſine armis etiam conſul rempublicam conſervarat. Sin

---

ditionis deſcriptio, deinde pars, ut Acad. diſp. I, 2, 4. *exiſtimavi, ſi qui de noſtris philoſophiae ſtudio tenerentur, ſi eſſent Graecis doctrinis eruditi.* pro ſi qui de noſtris, quum phil. ſtudio tenerentur (ſed illud dubitanter rem exprimit) Gr. doctr. eſſent erud. Similiter infra *quum* duplex eſt infr. c. 32, in. ubi prius totum tempus complectitur, alterum, *quum iam ſuſtinere non poſſent*, partem eius temporis. Plane diverſus eſt locus Cicer. de orat. 42, 144. ſi *monendo*, ſi *cohortando*, ſi *percunctando*, ſi *communicando*, ſi *interdum etiam una legendo aut audiendo, docendo etiam aliquid aliquando* ſi *poſſis meliores facere* — ubi ob anaphoram *ſi* ſexies repetitur pro *ſi monendo, cohortando* etc. pro Sulla 7, 22 verba *Si hoc tibi concedam* repetuntur illis *ſi hoc tibi dem*, media autem ſententia *ſi* tantum habet pro Si Q. Hortenſium et tales viros non ſuo ſtare iudicio tibi concedam. Diverſus etiam ille epp. famil. I, 9 (41, 35) *ſi accuſandi ſunt, ſi qui pertimuerunt.* ibi enim *ſi qui* cum dubitatione aliqua dictum eſt pro *qui*. Vid. Malaſpina ad epp. ad Att. IV, 2. Ellendt ad Cicer. Brut. §. 242. — Fin. III, 13, 44, duplex *ſi* ad duas enunciationes pertinet, quarum utraque ſuam et protaſin et apodoſin habet. Quartus autem locus, quem laudat Görenz ad Acad. Fin. V, 15, 41, ſi ſanus eſſet, *ſi* quod ab initio poſitum eſt, repetitum eſſet poſt nonnulla verba interiecta; ſed haud dubie ſcribendum eſt, *ſi — ſe quisque cognoſceret.*

ſuſpicione peric. ſui, propter ſuſpic. Vid. ad Muren. §. 23, 87. Sed proprie ablativus hic quoque ſignificat id, quo illud *non defendere* efficitur.

depugnarem, ut ſupra §. 45. *quid agerem?*

victi eſſent boni, quid ſupereſſet? non ad ſervos videtis rem venturam fuiſſe? An mihi ipſi, ut quidam putant, fuit mors aequo animo appetenda? quid? tum mortemne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine quum gerebam, non mihi mors, non exſilium ob oculos verſabantur? non haec denique a me tum, tamquam fata, in ipſa re gerenda canebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta diſiunctione, tanta acerbitate, tanta ſpoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis, tam ignarus rerum, tam expers conſilii aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipſe legendo quaerendoque cognoveram? neſciebam vitae brevem eſſe curſum, gloriae ſempiternum? quum eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe, ut vita, quae neceſſitati deberetur, patriae potius donata, quam reſervata naturae videretur? neſciebam, inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe, ut alii dicerent animos hominum ſenſusque morte reſtingui, alii autem tum maxime mentes ſapientium ac fortium virorum, quum e corpore exceſſiſſent, ſentire ac vigere? quorum alterum fugiendum

---

c. XXI. §. 47. *quid ſupereſſet.* vid. ad Roſc. §. 103, nihil enim ſupererat.

non haec canebantur? Vid. Catil. IV, 2, 3. 11, 23. De hac divinandi facultate idem gloriatur epp. 114, 4, 12. (famil. IV, 4.) et vid. interpr. ad Corn. N. vit. Att. 16 extr. noſtra ad Milon. 26, 69.

aut natura aut fortuna. Liberos natura, rem fortuna dat; utrumque ſignificat. *Manut.*

vitae brevem eſſe curſum. pro Rabir. perduell. r. c. 10 extr. *exiguum nobis vitae curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriae* comparat Garaton.

neceſſitati naturae, ut loquitur Catil. IV, 4, 7. ubi vid. not. unde *neceſſaria mors* dicitur, quam naturae neceſſitas affert. *quae nec. deberetur*, ut *Debemur morti nos noſtraque* apud Horatium. Nam natura *dedit uſuram vitae, tanquam pecuniae*, ut loquitur Tuſc. I, 39, in. *Vita patriae donatur*, quum pro patria profunditur, *reſervatur naturae*, quum protrahitur, donec natura finem faciat.

ut alii dicerent, ut Epicurei, *alii autem*, Pythagorei, Socratici etc. Confer Tuſc. I, 9, 18. Lael. 4.

quorum alterum fugiendum non eſſe. Cf. Tuſc. I, 11, 36 ſqq. Lael. I, c. epp. 117, 4, ubi vid. not.

non esse, carere sensu, alterum etiam optandum, meliore
48 esse sensu. Denique, quum omnia semper ad dignitatem retulissem, nec sine ea quidquam expetendum esse homini in vita putassem, mortem, quam etiam virgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiae, pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis, tantis rebus gestis, timerem? praesertim quum eius essem civitatis, ex qua Q. Mucius solus in castra Porsenae venisset eumque interficere, proposita sibi morte, conatus esset; ex qua P. Decius primum pater, post aliquot annos patria virtute praeditus filius se ac vitam suam, instructa acie, pro salute populi Romani victoriaque devovisset; ex qua innumerabiles alii partim adipiscendae laudis, partim vitandae turpitudinis causa mortem in variis bellis aequissimis animis oppe-

---

§. 48. *Erechthei filiae*, quae in bello ab Eumolpo Thracum, qui Eleusine consederant, rege Athenis illato ex responso oraculi morti se obtulerunt. vid. Lycurg. c. Leocr. p. 160, 9. ed. H. Steph. Apollod. III, 15, 4. Cf. Cic. de nat. d. III, 19, 50. Tusc. I. 48, 116. Fin. V, 22, 62. Eurip. Ion. 280. *Ιων· πατὴρ Ἐρεχθεὺς σὰς ἔθνας συγγόνους; Κρε. ἔτλη πρὸ γαίας σφάγια παρθένους κτανεῖν* comparat Barnes. ad l. Eur. v. 277.

venisset — conatus esset etc. Hi coniunctivi non rem incertam esse significant, sed rem, quam, etsi veram, cogitatione tantum se nunc complecti indicat, ut vulgo notam, quamque omnes tenerent, ut verba *ex qua Q. Mucius venisset* etc. idem valeant, quod *ex qua Q. Mucium venisse omnes sciunt*, vel *scitis* quod genus est orationis obliquae. Accedit, quod hae causae sunt, cur se ad mortem pro patria obeundam paratum esse dicit, quod imprimis de verbis *in qua civitate ipse meminissem* valet. Cf. ad Rosc. §. 4. Hanc vero ipsam ob causam, quia res ad cogitationem refertur, Plusquamperfecta posuit *venisset — conatus esset — devovisset — oppetissent*, e verbis *quum eius essem civitatis* pendentia, quum in oratione recta praeteritis locus esset, *ex qua venit — conatus est — devovit — oppetiit*. Accuratiorem huius quaestionis explicationem dissertationi de vi Coniunctivi Latinorum reservo.

Decius pater bello Latino, a. u. c. 414. Liv. VIII, 9. *post aliquot annos — filius* a. u. c. 459. Etrusco bello. Liv. X, 28. Tertium Decium adiungit Cicer. Tusc. I, 37, 89. Fin. II, 19, 61. Eum hic omissum esse, quod tertius Decius non pro patria se devoverit, sed ab hostibus circumventus fortiter pugnans perierit, ostendit Ferrat. Cf. Goerenz. ad locum Fin.

tissent; in qua civitate ipse meminissem, patrem huius M. Crassi, fortissimum virum, ne videret victorem inimicum, eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem saepe hostibus obtulisset. Haec ego et multa alia cogitans, XXII
hoc videbam, si causam publicam mea mors peremisset, 49
neminem umquam fore, qui auderet suscipere contra improbos cives reipublicae salutem. Itaque non solum si vi interissem, sed etiam si morbo exstinctus essem, fore putabam, ut exemplum reipublicae conservandae mecum simul interiret. Quis enim umquam me a senatu populoque Romano tanto omnium bonorum studio non restituto, quod certe, si essem interfectus, accidere non potuisset, ullam reipublicae partem cum sua minima invidia auderet attingere? Servavi igitur rempublicam discessu meo, iudices; caedem a vobis liberisque vestris, vastitatem, incendia, rapinas meo dolore luctuque depuli, et unus rempublicam bis servavi, semel gloria, iterum aerumna mea: neque enim in hoc me hominem esse infitiabor umquam, ut me optimo fratre, carissimis liberis, fidelissima

---

patrem huius M. Crassi, P. Crassum, qui in Mariana seditione, dominante L. Cinna, se ipse interfecit. de orat. III, 3, 10. Cf. or. pro Scauro p. 1057. ed. Ern.

c. XXII §. 49. *causam publicam peremisset*, pessumdedisset. Off. III, 7, 33 *occupatio consilium eius peremisset*, fecisset ut consilium abiiceret.

si vi interissem etc. Similiter, sed paulo modestius, pro Planc. 37, 90. *Quin etiam, si me vis aliqua morbi aut natura ipsa consumsisset, tamen auxilia posteritatis essent imminuta, quod peremtum esset mea morte id exemplum, qualis futurus in me retinendo fuisset senatus populusque Romanus.*

me — non restituto, si non restitutus essem. *quod — accidere non potuisset*, ut restituerer.

cum sua minima invidia, cum sua invidia, etiamsi minima illa esset. De vi praepos. *cum* vid. ad or. pro Mur. §. 2.

auderet attingere. Non dixit *ausus esset*, quia hoc rem eo temporis puncto cito praetereuntem significaret, sed *auderet*, quia indicare vult, hoc aliquantum temporis futurum fuisse, ut §. 43. *quid reliquiarum restaret?*

semel gloria coniurationis oppressae, *iterum aerumna mea* exilii. *Manut.* Hi non sunt ablativi instrumenti, quos vocant, sed significant id quod cum servandi labore coniunctum fuit, ubi paulo ante *cum* ponebatur, *cum sua invidia.* ad Attic. VII, 8. *nihil incommodo valetudinis feceris.* Sic paulo ante *meo dolore luctuque depuli.* infr. 22, 50,

coniuge, veſtro conſpectu, patria, hoc honoris gradu ſine dolore caruiſſe glorier. Quod ſi feciſſem, quod a me beneficium haberetis, quum pro vobis ea, quae mihi eſſent vilia, reliquiſſem? Hoc, meo quidem animo, ſummi in patriam amoris mei ſignum eſſe debet certiſſimum, quod, quum abeſſe ab ea non poſſem ſine ſummo dolore, hunc me perpeti, quam illam labefactari ab improbis, malui. Memineram, iudices, divinum illum virum atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad ſalutem imperii huius, C. Marium, ſumma ſenectute, quum vim prope iuſtorum armorum profugiſſet, primo ſenile corpus palu-

periculo reip. vivebam. Mil. 27, 72. *quum patriam periculo ſuo liberaſſet*, i. e. cum ſuo per. ita ut ſuum periculum in eo ſubiret. Cf. Ellendt ad Brut. §. 118. Similis locus eſt or. pro domo c. 37, 99. *Bis ſervavi, ut conſul togatus armatos vicerim, privatus conſulibus armatis ceſſerim.* et c. 36, 97. *An ego poteram, quum a tot rerum tanta varietate divellerer, — infitiari me eſſe hominem et communem naturae ſenſum repudiare? Tum vero neque illud meum factum laudabile, nec beneficium ullum a me in remp. profectum dicerem, ſi quidem ea reipublicae cauſa reliquiſſem, quibus aequo animo carerem.* quae cum noſtro loco ita conſpirant, ut ea hinc imitatione expreſſa eſſe dicas. Cf. IV Catil. 2, 3. *Nec tamen ego ſum ille ferreus* etc.

meo quidem animo, quum meus is animus eſſet. Nos dicimus *bei dieſer Geſinnung.*

§. 50. *iisdem radicibus*, Arpino et e plebe.

ſumma ſenectute, annos natum ſeptuaginta ſeo. Vellei. II, 19.

vim — profugiſſet, conſtructio hoc uno loco, niſi fallor, a Cicerone admiſſa. Sed in Antonii epiſtola octavae epp. ad Attic. l. X ſubiecta (epp. 94, 32.) eſt *eum ne profugias*, ubi vid. Graev.

, ſenile corpus etc. Vellei. II, 19. *Marius poſt ſextum conſulatum annoque ſeptuageſimo nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricae — in carcerem Minturnenſium iuſſu duumviri perductus eſt. Ad quem interficiendum miſſus cum gladio ſervus publicus, natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno eiulatu expromenti indignationem caſus tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere.* (Haec officinam rhetoris cuiusdam redolent.) *Tum cives, ab hoſte miſereri paulo ante principis viri docti, inſtructum cum viatico collataque veſte in navem impoſuerunt.* Cf. Plutarch. Mar. c. 37 — 41. Cic. pro Planc. 10, 26. in Piſon. 19. in.

dibus occultaſſe demerſum, deinde ad infimorum ac tenuiſſimorum hominum Minturnis miſericordiam confugiſſe, inde navigio perparvo, quum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africae deſertiſſimas perveniſſe. Atque ille vitam ſuam, ne inultus eſſet, ad incertiſſimam ſpem et ad reipublicae ſtatum reſervavit; ego, qui, quemadmodum multi in ſenatu, me abſente, dixerunt, periculo reipublicae vivebam, quique ob eam cauſam conſularibus litteris de ſenatus ſententia exteris nationibus commendabar, nonne, ſi meam vitam deſeruiſſem, rempublicam prodidiſſem? in qua quidem nunc, me reſtituto, vivit mecum ſimul exemplum fidei publicae, exemplum reipublicae defendendae; quod ſi immortale retinetur, quis non intelligit, immortalem hanc civitatem futuram? Nam externa bella regum, gentium, nationum, iampridem ita exſtincta ſunt, ut praeclare cum iis agamus, quos pacatos eſſe patiamur; denique ex bellica victoria non fere quemquam eſt invidia civium conſecuta. Domeſticis malis et audacium civium conſiliis ſaepe eſt reſiſtendum, eorumque periculorum eſt in republica retinenda medi- XXIII 51

ad incertiſſimam ſpem ſeſe ulciſcendi, *et ad reip. ſtatum*, ad id tempus, quo resp. ſtatum ſuum i. e. bonam conditionem, recuperaſſet. Nam ſtatus, ut gladiatorum, militum, ſic reip. plerumque eſt ſalva et proſpera conditio. Status autem reip. Mario poſitus eſſe videbatur in plebis imperio, Sullae in optimatibus.

periculo reip. vivebam, ita ut in mea vita periculum adiret resp. mecumque ſimul periclitaretur. *Manut.*

conſularibus litteris, quae ex SCto facto in monumento C. Marii ſcripſerat P. Lentulus cos. Vid. pro Planc. 32. in Piſon. 15. Eiusdem Lentuli ſunt, quae infra c. 60 commemorantur, litterae conſulares. *Garat.*

deſeruiſſem, tueri neglexiſſem. Nam *deſerere* dicimur ea, quibus opem ferre debemus.

c. XXIII. §. 51. *gentium, nationum.* Natio latius patet, quam gens: ſic enim plures in natione gentes, ut plures in gente populi. Itaque Virgil. Aen. X, 202 de natione Etruſca: *Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.* Tamen interdum confunduntur, ut in orat. de provinciis, conſul. quum dixit, *Agentibus inimicis huic imperio* — de iisdem proxime ſubiunxit, *quas nationes. Manut.* Cf. nunc Kritz. ad Sall. Catil. 10, 1. Ad ſententiam cf. Catil. II, 5, 11 et not.

ex bellica victoria non ferre — conſecuta, ſed e civili ſeu domeſtica, ut Ciceronem ob devictum

cina; quam omnem, iudices, perdidiſſetis, ſi meo interitu ſenatui populoque Romano doloris ſui de me declarandi poteſtas eſſet erepta. Quare moneo vos, adoleſcentes, atque hoc meo iure praecipio, qui dignitatem, qui rempublicam, qui gloriam ſpectatis, ne, ſi qua vos aliquando neceſſitas ad rempublicam contra improbos cives defendendam vocabit, ſegniores ſitis, et recordatione mei caſus
52 a conſiliis fortibus refugiatis. Primum non eſt periculum, ne civitas umquam incidat in eiusmodi conſules, praeſertim ſi erit his id, quod debetur, perſolutum; deinde numquam iam, ut ſpero, quisquam improbos conſilio et auxilio bonorum ſe oppugnare rempublicam dicet, illis tacentibus, nec armati exercitus terrorem opponet togatis, neque erit iuſta cauſa ad portas ſedenti imperatori, quare terrorem ſuum falſo iactari opponique patiatur: numquam enim erit tam oppreſſus ſenatus, ut ei ne ſupplicandi quidem ac lugendi ſit poteſtas, tam captus equeſter ordo, ut equites Romani a conſule relegentur. Quae quum omnia, atque etiam multo alia maiora, quae conſulto

---

Catilinam et ſocios. Quo magis providendum, ne eiusmodi viris fortibus invidia improborum noceat. *non fere quemquam eſt invidia civ. conſecuta*, de eo, quod poſtea fit, ut Fin. I, 10, 32. *conſequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem ſequi neſciunt.* Nat. d. I, 10 extr. *omne quod ortum eſt, mortalitas conſequitur.*

vocabit rem continuatam ſignificat; neque enim ſtatim deſinit vocare ad ſe defendendam resp. quum viri fortes ad eam tuendam aggrediuntur (tunc dicendum eſſet *vocarit*, quod Ern. h. l. latinius eſſe dicit) ſed vocare pergit, donec periculum depulſum eſt.

§. 52. *his*, Gabinio et Piſoni, quos paulo ante commemoraverat.

auxilio bonorum. vid. §. 39, 40. 42.

illis tacentibus. c. XVIII. §. 40.

ad portas ſedenti imperatori. §. 41.

numquam enim erit. quamvis enim talis imperator ad portas ſedeat, non tamen id curabit, ut ſenatui ne ſupplicandi quidem etc.

ne ſupplicandi quidem. §. 26. 32.

equeſter ordo. §. 27 ſqq.

multo alia maiora. Multo vim addit comparativo; tantum abeſt ut frigeat, quod Erneſtio videbatur. Nec raro haec particula a comparativo ſeparatur aliis interiectis vocabulis, ut Verr. II, 44, 109. pro Planc. 37, 90. *multo mortis cupiditas*

praetereo, accidiſſent, videtis me tamen in priſtinam meam dignitatem, brevi tempore doloris interiecto, reipublicae voce eſſe revocatum.

Sed, ut revertar ad illud, quod mihi in hac omni XXIV
eſt oratione propoſitum, omnibus malis illo anno ſcelere 53
conſulum rempublicam eſſe confectam, primum illo ipſo die, qui mihi funeſtus fuit, omnibus bonis luctuoſus, quum ego me e complexu patriae conſpectuque veſtro eripuiſſem, et metu veſtri periculi, non mei, furori hominis, ſceleri, perfidiae, telis minisque ceſſiſſem, patriamque, quae mihi erat cariſſima, propter ipſius patriae caritatem reliquiſſem, quum meum illum caſum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum, non ſolum homines, ſed tecta urbis ac templa lugerent, nemo veſtrum forum, nemo curiam, nemo lucem adſpicere vellet, illo, inquam, ipſo die, — die dico? immo hora atque etiam puncto temporis eodem mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Piſoni provincia rogata eſt. Pro dii immortales, cuſtodes

---

mea turpior fuiſſet de nat. d. III, 27, 69. ubi v. Creuz. Offic. I, 33, 119.

c. XXIV. §. 53. *omnibus malis — remp. eſſe confectam* brevius loquitur pro *quod mihi eſt propoſitum* ut oſtendam, *omn. mal. remp. eſſe confectam.* Similiter ſupra c. VII, §. 15. *Hunc Pompeius omni cautione devinxerat, nihil contra me eſſe facturum* pro devinxerat ita ut polliceretur. E tribus autem illis ablativis primus *omnibus malis* indicat id quo confecta erat resp. tertius *ſcelere conſ.* id quo effectum erat, ut omnibus malis conficeretur, medius tempus ſignificat.

funeſtus. Dies *funeſtus* dicitur familiae in qua quis mortuus eſt, ceteris amicis extra familiam *luctuoſus.* Cf. c. XII. in. *Abram.*

ſed tecta urbis ac templa. in Piſon. 9, 21. *quum omnes boni abditi incluſique moererent, templa gemerent, tecta ipſa urbis lugerent.* poſt red. in ſen. 3, 6. *mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis.* Conf. ad c. LX, §. 128. *Abram.*

die dico? Cf. Catil. I, §. 2. et not.

provincia rogata eſt, poſt red. in ſen. 7, 17. *tanta intemperantia fuiſti, ut ne unam quidem horam intereſſe paterere inter meam peſtem et tuam praedam.* (cf. infr. §. 54) et ſtatim poſt: *uno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat, bona ad vicinum conſulem de Palatio, de Tuſculano ad item vicinum alterum conſulem deferebantur, quum iisdem operis ſuffragium ferentibus, eodem gla-*

et conſervatores huius urbis atque imperii! quaenam illa in republica monſtra, quae ſcelera vidiſtis! civis erat expulſus is, qui rempublicam ex ſenatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, et expulſus non alio aliquo, ſed eo ipſo crimine. Erat autem expulſus ſine iudicio, vi, lapidibus, ferro, ſervitio denique concitato; lex erat lata, vaſtato ac relicto foro et ſicariis ſervisque tradito, et ea lex, quae ut ne ferretur, ſenatus fuerat veſte mu-
54 tata. Hac tanta perturbatione civitatis ne noctem quidem conſules inter meum caſum et ſuam praedam intereſſe paſſi ſunt; ſtatim, me perculſo, ad meum ſanguinem hauriendum et, ſpirante etiam republica, ad eius ſpolia detrahenda advolaverunt. Omitto gratulationes, epulas, partitionem aerarii, beneficia, ſpem, promiſſa, praedam, laetitiam paucorum in luctu omnium. Vexabatur uxor

diatore latore, vacuo non modo a bonis ſed etiam a liberis atque inani foro, ignaro populo Romano quid ageretur, ſenatu vero oppreſſo et afflicto, duobus impiis nefariisque conſulibus aerarium, provinciae, legiones, imperia donabantur. Cf. prov. conſul. 2, 5.

vaſtato, deſerto, civibus de foro depulſis, vacuo non modo a bonis ſed etiam *a liberis atque inani*, ut eſt in or. poſt red. in ſen. *vaſto*, quod ipſum in nonnullis edd. legitur, de Manutii coniectura ut de leg. agrar. II, 26, 70. *genus agrorum — propter peſtilentiam vaſtum atque deſertum.* Sed illo verbo ſignificat per vim, caede, lapidationibus forum vacuum eſſe factum.

§. 54. *ne noctem quidem.* Vid. loc. adſcriptum ad vv. *provincia rogata eſt* §. 53.

gratulationes. Vid. ad c. LII §. 111.

partitionem aerarii. Clodius legem tulerat de maximis pecuniis Piſoni et Gabinio quaſi in provinciam euntibus attribuendis, quas cum ipſis deinde partitus eſt. *Hottom.*

beneficia, centurionatus, tribunatus et aliarum militarium dignitatum ornamenta. Aliis igitur Coſſ. beneficia tribuebant ſtatim, aliis ſpem dabant, aliis promittebant. *Graev.*

Vexabatur uxor mea, contumelioſe tractabatur, per vim ignominiae cauſa ducebatur ad tabul. Valer. ut ſcribit ad famil. XIV, 2. *Ern.* ad h. l. et ad c. LXIX §. 145. Cf. pro dom. 23. Videtur autem liberos pro uno filio nominaſſe, etſi *liberos diſſipatos* infra quoque commemorat. Sed pro dom. 23. *parvus filius* tantum nominatur: *quid parvus filius? quid fecerat, quod eum toties per inſidias interficere voluiſtis?* Vid. ad or. pro l. Manil. §. 33.

mea, liberi ad necem quaerebantur, gener, et Piſo gener, a Piſonis conſulis pedibus ſupplex reiiciebatur, bona diripiebantur, eaque ad conſules deferebantur, domus ardebat in Palatio, conſules epulabantur. Quod ſi meis incommodis laetabantur, urbis tamen periculo commoverentur.

Sed, ut a mea cauſa iam recedam, reliquas illius xxv
anni peſtes recordamini: — ſic enim facillime perſpicietis, 55
quantam vim omnium remediorum a magiſtratibus proximis respublica deſiderarit; — legum multitudinem, quum earum, quae latae ſunt, tum vero, quae promulgatae fuerunt. Nam latae quidem ſunt conſulibus illis, tacentibus dicam? immo vero approbantibus etiam, ut cenſoria notio et graviſſimum iudicium ſanctiſſimi magiſtratus de republica tolleretur, ut collegia non modo illa vetera contra ſenatus

gener et Piſo gener. Garat. comparat ad Div. II, 7 (epp. 57, 8) *a tribuno plebis et a Curione tribuno.* De re vid. in Piſ. c. 6.

bona diripiebantur. pro dom. 24, 62. *domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum conſulem transferebatur, — columnae marmoreae ex aedibus meis, inſpectante populo Romano, ad ſocrum conſulis portabantur. — — Domus ardebat in Palatio non fortuito, ſed oblato incendio; conſules epulabantur, et in coniuratorum gratulatione verſabantur, quum alter ſe Catilinae delicias, alter Cethegi conſobrinum fuiſſe diceret.* cf. in Piſon. 11, 26.

commoverentur, commoveri eos conveniebat, ut pro Sull. 8, 25. *ſi ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium fileretur.* Cf. pro Arch. 7, 16. ſupra §. 43. Rabir. Poſt. 10, 29. Abram. laudat Phil. II, 34, 86. *tibi uni peteres, a populo Rom. mandatum id certe non habebas.* Ramshorn. gramm. lat. §. 166. 2. c. p. 410. hoc dicendi genus confudit cum illis *Mallem metueres, Nollem accidiſſet, crederes victos*, quae plane diverſa ſunt.

c. XXV, 55. *quum earum, quae latae ſunt.* De his loquitur uſque ad §. 66. tum de promulgatis.

cenſoria notio, quam vulgo notationem vocant. Sic de prov. conſ. 19, 46. in Piſ. 5, 10. pro Clu. 46, 129. Offic. III, 31, 111. quos locos affert Io. Fr. Gronov. ad Liv. 27, 25, 5. De re cf. Piſon. 4, 9. ibique Aſcon. *Tulit P. Clodius tribunus pl. legem, ne quem cenſores in ſenatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus et utriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet.* Cf. Dio Caſſ. 38, 13.

consultum restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conscriberentur, ut, remissis semissibus et trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur, ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur, ut uni heluoni bis de eadem re deliberandi esset potestas, et, rogata lege,
XXVI legem ferret provinciae commutandae. Mitto eam legem,
56 quae omnia iura religionum, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quae sunt de iure et de tempore legum rogandarum, una rogatione delevit. mitto omnem domesticam labem. Etiam exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus. Lege tribunitia Matris Magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus et spoliatus sacerdotio

---

innumerabilia alia nova. Cf. supra ad c. XIV, 32. Ascon. ad Pison. 4. post commemorata collegia SC. sublata ita pergit: *Post novem deinde annos, quam sublata erant, P. Clodius trib. pl. lege lata restituit collegia.* Idem narrat Dio Cass. l. c.

remissis semissibus et triente, i. e. remisso dextante, seu decem unciis. vid. Gronov. de sestert. IV, 12. ubi ostendit, dextantis nomen eo tempore nondum in usu fuisse. Liv. epit. l. 60. *C. Gracchus Tiberii frater pernicio-sas aliquas leges tulit, inter quas frumentariam, ut semisse et triente frumentum plebi daretur.* Cf. Ernesti ind. leg. *Frumentaria Sempronia.* Ascon. in Pison. l. c. p. 612. ed. Graev. legem annonariam Clodii commemorat, qua sancitum erat, *ut frumentum populo, quod antea semis aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.* Dio Cass. l. c. *τόν τε σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε.*

pro illa sua Cilicia. pro domo 9, 23. *Cui quidem quum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem et Ciliciam ad praetorem idem extra ordinem transtulisti, Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dedisti.*

uni heluoni, Gabinio, ut recte Hottom. quod locus ille pro domo satis ostendit. In sqq. secutus sum Orellium, ita tamen ut servarem *et*, pro quo ille *ut*. Nam non sunt haec duae leges. sed *ut* est explicativum, id est; de quo vid. Beier. ad Offic. III, 5, 23. Kritz. ad Sall. Catil. 19, 2.

c. XXVI. §. 56. *eam legem*, quae legem Aeliam et Fufiam evertit. vid. ad c. XV, 33.

domesticam labem, leges de rebus urbanis a Clodio latas. Et dixit *omnem*, quasi praeter ea, quae iam commemoravit, supersint multa. *Manut.* Equidem ad domesticae vitae turpitudinem simul respici puto.

Pessinuntius ille sacerdos videtur esse rex Deiotarus. Nam de harusp. resp. 13, 28. *Sed quid ego id admiror? qui accepta pecunia, Pessinuntem ipsum, sedem domiciliumque matris deorum, vastaris et Brogitaro Gallograeco, impuro homini ac nefario — totum illum locum fanumque vendideris, sacerdotem ab ipsis aris pulvinaribusque detraxeris.* et §. 29. *Quod fanum, quum Deiotarus religione sua castissime tueretur* et quae sequuntur.

est fanumque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum venditum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini atque indigno illa religione, praesertim quum ea sibi ille non colendi, sed violandi causa appetisset; appellati reges a populo, qui id numquam ne a senatu quidem postulassent; reducti exsules Byzantium condemnati tum, quum indemnati cives e civitate eiiciebantur; rex Ptolemaeus, 57
qui si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater eius regis, qui quum esset in eadem causa,

---

praesertim quum ea, sacra, cuius vocis vis inest in vv. *fanum* et *religionum.*

appellati reges, ut Brogitarus, de harusp. resp. l. c. §. 29. *a populo* contra morem maiorum: nam a senatu reges appellabantur.

postulassent, etiamsi maxime cupissent.

exsules Byzantium a Clodio redactos commemorat etiam Plutarch. Cat. p. 776. B. c. 34. 36.

§. 57. *rex Ptolemaeus*, Cypri; quare Cyprius rex vocatur pro dom. 20, 52. et infra §. 59. frater *Ptolemaei Auletae* regis Aegyptii. Dio Cass. 38, 30. *βουληθεὶς ὁ Κλώδιος τόν τε Κάτωνα ἐκποδὼν, ὅπως ῥᾷον ὅσα ἔπραττε, κατορθώσῃ, ποιήσασθαι, καὶ τὸν Πτολεμαῖον τότε τὴν Κύπρον ἔχοντα ἀμύνασθαι, ὅτι αὐτὸν παρὰ τῶν καταποντιστῶν οὐκ ἐλύσατο, τήν τε νῆσον ἐδημοσίευσε καὶ πρὸς τὴν διοίκησιν αὐτῆς τὸν Κάτωνα καὶ μάλα ἄκοντα ἀπέστειλε.* Appian. b. civ. II, 23, Vol. II, p. 204. ed. Schweigh. regem, divitiis in mare abiectis, sibi ipsum manus intulisse scribit. Cf. Plutarch. Cat. p. 776, c. 34, 36. pro dom. 8, 20. Vellei. II, 38. 45. Strab. XIV p. 1003. ed. Almel. Est autem oratio *ἀνακόλουθος, Rex Ptolemaeus de hoc nihil cogitante* etc. pro rex Ptol. subiectus est. Male Garat. iungit *Rex Ptolem. regali otio perfruebatur*, ita ut media omnia a relativo *qui* pendere existimentur: nam illud *reg. ot. perfr.* est secundarium, ad indignitatem rei augendam adiectum, quum primarium sit et proprie criminis loco positum, quod rex publicatus est.

quum esset in eadem causa, qua frater eius rex Aegypti; nam ex antiquo pacto constitutum senatu adiuvante, ut, quum alter fratrum Aegypti regnum teneret, alter Cypro imperaret. Strabo l. c.

iam erat a ſenatu honorem iſtum conſecutus, erat eodem genere iisdemque maioribus, eadem vetuſtate ſocietatis, denique erat rex, ſi nondum ſocius, at non hoſtis, pacatus, quietus, fretus imperio populi Romani, regno paterno atque avito regali otio perfruebatur; de hoc nihil cogitante, nihil ſuſpicante, eisdem operis ſuffragium ferentibus eſt rogatum, ut ſedens cum purpura et ſceptro et illis insignibus regiis praeconi publico ſubiiceretur, et imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere conſuevit, rex amicus, nulla iniuria commemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publi-
XXVII caretur. Multa acerba, multa turpia, multa turbulenta
58 habuit ille annus; tamen illi ſceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud ſcio, an recte hoc proximum eſſe dicam. Antiochum illum Magnum maiores noſtri, magna belli contentione terra marique superatum, intra montem Taurum regnare iuſſerunt, Aſiam, qua illum multarunt, Attalo, ut is regnaret in ea, condonaverunt. Cum Armeniorum rege Tigrane grave bellum diuturnumque geſſimus, quum ille, iniuriis in ſocios noſtros inferendis, bello prope nos laceſſiſſet. Hic et ipſe per ſe vehemens fuit et acerrimum hoſtem huius imperii Mithridatem, pulſum Ponto, opibus ſuis regnoque defendit, et a Lucullo, ſummo viro atque imperatore, pulſus, animo tamen hoſtili cum reliquis copiis ſuis in priſtina mente manſit.

ſedens in ſolio regio, cum *purpura*, *ſceptro*, *et* reliquis *insignibus regiis* ad dignitatem regiam deſignandam valet, qua commemorata caſus eius eo miſerabilior fit.

c. XXVII. §. 58. *Antiochum*, quem L. Cornel. Scipio ad Magneſiam devicit. Vid. Liv. 35, 42 ſqq. uſque ad 38, 38. *marique*, ad Erythras. Liv. 36, 43. et ad Myonneſum. id. 37, 13 ſqq. *intra montem Taurum regnare*, ita ut montem non transgrederetur: nam tota Aſia, quae *cis* Taurum eſt, cedere iuſſus eſt. Cf. Gellius N. Att. XII, 13.

Attalo, imo Eumeni, filio Attali eius, qui fratri Eumeni Pergami ſucceſſit. Liv. 38, 39.

iniuriis in ſocios noſtros inf., nam Tigranes Ἑλλήνων τὴν Μεσοποταμίαν ἐνέπλησε, πολλοὺς μὲν ἐκ Κιλικίας, πολλοὺς δὲ ἐκ Καππαδοκίας ἀναστάστους κατοικίζων, ut ait Plutarch. Luc. 21. conf. c. 14. Dio Caſſ. 35, 2.

a Lucullo — pulſus, ad Tigranocerta. Plut. Luc. c. 26 ſqq. *Diuturnum* autem bellum per exaggerationem dixit Cicero: primo enim conflictu ſuperatus Tigranes cum Pompeio Luculli ſucceſſore ne congreſſus eſt quidem. *Abram.*

Huno Cn. Pompeius, quum in ſuis caſtris ſupplicem abiectumque vidiſſet, erexit atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, et, imperatis certis rebus, regnare iuſſit, nec minus et ſibi et huic imperio glorioſum putavit, conſtitutum a ſe regem, quam conſtrictum, videri. Tigranes igitur, qui et ipſe hoſtis fuit populi Ro- 59
mani et acerrimum hoſtem in regnum recepit, qui conflixit, qui ſigna contulit, qui de imperio paene certavit, regnat hodie et amicitiae nomen ac ſocietatis, quod armis violarat, id precibus eſt conſecutus; ille Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, de quo nulla umquam ſuſpicio durior aut ad ſenatum aut ad imperatores noſtros allata eſt, vivus, ut ajunt, eſt et vi-

---

Huno Cn. Pompeius — erexit. Plutarch. Pomp. c. 33. ὡς πρὸς αὐτὸν ἦλθε τὸν Πομπήϊον, ἀφελόμενος τὴν κίταριν, ὥρμησε πρὸ τῶν ποδῶν θεῖναι, καὶ καταβαλὼν ἑαυτὸν, αἴσχιστα δὴ πάντων, προσπεσεῖν αὐτοῦ τοῖς γόνασιν. ἀλλ' ὁ Πομπήϊος ἔφθη, τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ λαβόμενος, προσαγαγέσθαι καὶ πλησίον ἱδρύσασθαι ἑαυτοῦ. Cf. Dio Caſſ. 35, 36. apud quem etiam Pompeius ταινιώσας αὐτὸν τῷ ἀναθήματι παρεκάθισεν.

imperatis certis rebus, ut Cappadocia, Syria, Phoenicia cederet et ſex millia talentorum Romanis ſolveret. Plut. et Dio Caſſ. ib.

quam conſtrictum, eleganter et concinne pro captum et in vincula coniectum, ut ſimilius eſſet alteri *conſtitutum*. *Ern.*

§. 59. *id precibus eſt conſec. Id* ponitur, etſi nomen ipſum praeceſſit, *amicitiae nomen ac ſocietatis*, non per pleonaſmum aliquem, ſed quum id quod additum eſt, ei quod proxime praeceſſit, cum vi opponendum eſt. Verr. V, 53, 139. *ſupplicia, quae in convictos maleficii ſervos conſtituta ſunt, ea in cives Romanos expromere.* Cf. 8, 18. IV, 52, 116 bis. 55, 123. Sull. §. 58. Etiam extra oppoſitionem demonſtrativo cum vi repetitur nomen, ut Verr. V, 38, 99. Piſ. 38, 99. quo pertinet etiam locus de nat. d. II, 13, 27. Vid. Heind. Cf. ad Catil. II, §. 27.

vivus et videns. Terent. Eunuch. I, 1, 27. *Et taedet et amore ardeo, et prudens, ſciens, Vivus videnſque pereo, nec quid agam, ſcio.* ubi Donatus, *Bene addidit* videns: *nam vivus perit, qui etiam dormiens opprimitur, videns autem qui vigilans vim patitur et perit: nam videre pro vigilare poſuit, ut Virgilius quum de Sileno dicit* Ecl. VI, 22, *iamque videnti Sanguineis frontem moris et tempora pingit.* Noſter pro Quintio 15, 50. *Huic acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur* et omnium, ni fallor, elegantiſſime Lucretius de nat. rer. III, 1059. *Tu vero*

dens cum victu ac veſtitu ſuo publicatus. En, cur ceteri reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur, quum hoc illius funeſti anni prodito exemplo videant, per tribunum aliquem et ſexcentas operas ſe fortunis ſpoliari et regno
XXVIII omni poſſe nudari. At etiam eo negotio M. Catonis ſplendorem maculare voluerunt, ignari, quid gravitas,
60 quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret; quae in tempeſtate ſaeva quieta eſt et lucet in tenebris et pulſa loco manet tamen atque haeret in patria ſplendetque per ſe ſemper, neque alienis umquam ſordibus obſoleſcit. Non illi ornandum M. Catonem, ſed relegandum, nec illi committendum illud negotium, ſed

---

dubitabis et indignabere obire, Mortua cui vita eſt prope iam vivo atque videnti? qui ſomno partem maiorem conteris aevi? [ubi vid. Lambin.] et l. V, 990 ſqq. *Et nemora ac montes gemitu ſilvasque replebat Viva videns vivo ſepoliri viſcera buſto.* *Abram.* Sic Hom. Il. α', 88, *ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.*

En, cur ceteri r. Poſt narrationem indignatio cum irriſione, ut Verr. Act. II, 1, 37. *En cui tuos liberos committas; en memoria mortui ſodalis, en metus vivorum exiſtimationis,* V, 47, 124. *En quod Tyndaritani libenter praedicent — —* ib. 21, 55. *En foederum interpretes, ſocietatis pactores, religionis auctores.* Phil. 3, 9, 22. *En cur magiſter eius ex oratore arator factus poſſideat.* *Manut.* ad Verrin. II.

ſexcentas operas ad paucitatem deſignandam valet. Nam ſexcenti homines, inquit Garaton., pauci ſunt, ſi cum populo Romano univerſo conferas.

c. XXVIII. §. 60. *virtus valeret.* Hunc locum Claudianus de conſul. Mallii Theod. in. prae oculis habuiſſe videtur: *Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late Fortunae ſecura nitet, nec faſcibus ullis Erigitur plauſuque petit clareſcere vulgi, Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis, Divitiis animoſa ſuis immotaque cunctis Caſibus e celſa mortalia deſpicit arce.* *Abram.* Idem ad vv. *Lucet in tenebris* laudat Laberium apud Macrob. *Bona fama in tenebris proprium ſplendorem obtinet.* (Legitur in ſententiis P. Syri v. 87.) Similis etiam Horatii locus Od. III, 2, 17. *Virtus repulſae neſcia ſordidae intaminatis fulget honoribus.*

relegandum. Hinc Vellei. II, 45. *Idem P. Clodius ſub honorificentiſſimo miniſterii titulo M. Catonem a republica relegavit.* Timebant enim Pompeius et Caeſar, eorumque miniſter Clodius, ne Cato, quae ipſi in rep. novare vellent, impediret. Vid. Plut. Cat. min. c. 34.

imponendum putaverunt; qui in concione palam dixerint, linguam ſe evelliſſe M. Catoni, quae ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet. Sentient, ut ſpero, brevi tempore, manere libertatem illam, atque hoc etiam, ſi fieri poterit, eſſe maiorem, quod cum conſulibus illis M. Cato, etiam quum iam deſperaſſet aliquid auctoritate ſua proficere poſſe, tamen voce ipſa ac dolore pugnavit, et poſt meum diſceſſum iis Piſonem verbis flens meum et reipublicae caſum vexavit, ut illum hominem perditiſſimum atque impudentiſſimum paene iam provinciae poeniteret. Cur igitur rogationi paruit? Quaſi vero ille 61
non in alias quoque leges, quas iniuſte rogatas putaret, iam ante iurarit! Non offert ſe ille iſtis temeritatibus, ut, quum reipublicae nihil profit, ſe cive rempublicam privet. Conſule me, quum eſſet deſignatus tribunus plebis, obtulit in diſcrimen vitam ſuam; dixit eam ſententiam, cuius invidiam capitis periculo ſibi praeſtandam

---

imponendum, tanquam ſervo; quo pertinent illa Plutarch. l. c. *ἀναχραγόντος δὲ τοῦ Κάτωνος, ὡς ἐνέδρα τὸ πρᾶγμα καὶ προπηλακισμὸς, οὐ χάρις ἐστὶν, ὑπερηφάνως ὁ Κλώδιος καὶ ὀλιγώρως, Οὐκοῦν, εἶπεν, εἰ μὴ χάριν ἔχεις, ἀνιώμενος πλεύσῃ.*

contra extraordinarias poteſtates. Hinc auctor or. pro dom. 8, 22. *gratulari tibi* Caeſarem, *quod in poſterum M. Catonem tribunatu tuo removiſſes, et quod eidem in poſterum de extraordinariis poteſtatibus libertatem ademiſſes.* Extraordinariae autem poteſtates h. l. vocantur, quae non magiſtratui alicui, ſed privato homini ad certam rem adminiſtrandam mandantur.

aliquid proficere poſſe pro ſe al. prof. p. Vid. ad Roſc. §. 61. Mur. §. 7. Cf. Beier. ad offic. III, 26, p. 367. ad fr. orat. p. 127. Kritz. ad Sall. Catil. p. 147. Neque tamen *profici*, ut Lambin. ſcripſit, a more Ciceronis abhorret. Vid. infr. 33, 71. pro Cluent. 71, 201. Phil. I, 6, 14.

§. 61. *Quaſi vero — non iurarit*, ut in legem agrariam Iul. Caeſaris. Plutarch. Cat. min. 32.

quas — putaret, quas tamen putabat, quamquam eas putabat. Vid. ad or. pro S. Roſc. §. 23. Coniunctivo enim res declarantur, non quatenus factae ſunt, ſed quatenus cogitatione comprehenduntur.

dixit eam ſententiam, ut de coniuratis ſupplicium ſumeretur. Vid. Salluſt. Catil. 52. Dio Caſſ. 37, 36.

invidiam praeſtare dicitur, ut *damnum, noxam, periculum praeſt.* ſpondere nullam invidiam inde conſecuturam eſſe; quae ſi tamen conſequatur, ſe vitae periculum ſubire velle.

videbat; dixit vehementer, egit acriter, ea quae ſenſit, prae ſe tulit, dux, auctor, actor rerum illarum fuit. non quo periculum ſuum non videret, ſed in tanta reipublicae tempeſtate nihil ſibi, niſi de patriae periculis, cogitandum
XXIX putabat. Conſecutus eſt ipſius tribunatus. Quid ego de
62 ſingulari magnitudine animi eius ac de incredibili virtute dicam? meminiſtis illum diem, quum, templo a collega occupato, nobis omnibus de vita eius viri et civis timentibus, ipſe animo fortiſſimo venit in templum, et clamorem hominum auctoritate, impetum improborum virtute ſedavit. Adiit tum periculum, ſed adiit ob cauſam, quae quanta fuerit, iam mihi dicere non eſt neceſſe. At, ſi iſti Cypriae rogationi ſceleratiſſimae non paruiſſet, haereret illa nihilominus in republica turpitudo. Regno enim iam publicato, de ipſo Catone erat nominatim rogatum. Quod ille ſi repudiaſſet, dubitatis, quin ei vis eſſet allata, quum omnia acta illius anni per illum unum
63 labefactari viderentur? Atque etiam hoc videbat, quoniam illa in republica macula regni publicati maneret, quam nemo iam poſſet eluere, quod ex malis boni poſſet in republica provenire, id utilius eſſe per ſe conſervari, quam per alios. Atque ille etiam ſi aliquapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facile pateretur;

---

non quo — ſed putabat, pro ſed quod putabat. Vid. ad Manil. §. 70.

C. XXIX, 62. *ipſius tribunatus*, a. u. 691. D. Iunio Silano, L. Licinio Murena coſſ.

meminiſtis illum diem. Dio Caſſ. 37, c. 43. *τὸν Πομπήϊον τοῦ Νέπωτος μεταπεμφθῆναι σὺν τῷ στρατεύματι (ἐν γὰρ τῇ Ἀσίᾳ ἔτ' ἦν) προφάσει μὲν τοῦ τὰ παρόντα κατασταθῆναι, ἐλπίδι δὲ τοῦ δι' αὐτοῦ, ἅτε τὰ τοῦ πλήθους φρονοῦντος, ἰσχύσειν ἐν οἷς ἐτάρασσεν, ἐσηγησαμένου, διεκώλυσαν (ἡ σύγκλητος) αὐτὸ κυρωθῆναι. τὰ μὲν γὰρ πρῶτα ὅ τε Κάτων καὶ Κόϊντος Μινούκιος (Μινούκιος Θέρμος* Plut.) *δημαρχοῦντες ἀντέλεγον τοῖς γραφεῖσι, καὶ τὸν γραμματέα τὸν ἀναγινώσκοντα τήν τε γνώμην ἐπέσχον, καὶ τοῦ Νέπωτος τὸ γραμματεῖον, ὅπως αὐτὸς ἀναλέξῃ, λαβόντος ἐξήρπασαν, ἐπειδή τε καὶ ὡς ἀπὸ γλώσσης τινὰ εἰπεῖν ἐπεχείρησε, τὸ στόμα αὐτοῦ ἐπέλαβον. μάχης δὲ ἐκ τούτου, καὶ ἐκείνων καὶ ἄλλων τινῶν ἑκατέροις βοηθησάντων, ξύλοις καὶ λίθοις, ἔτι δὲ καὶ ξίφεσι γενομένης, οἱ βουλευταὶ συνῆλθον αὐθημερὸν ἐς τὸ συνέδριον κ. τ. λ.* Uberius eamdem rem perſequitur Plutarch. Cat. min. 26 — 29.

a collega, Metello Nepote. *Templum* autem eſt tribunal pro roſtris. vid. ad Manil. 70.

etenim, qui ſuperiore anno ſenatu caruiſſet, quo ſi tum veniret, me tamen ſocium ſuorum in republica conſiliorum videre poſſet, is aequo animo tum, me expulſo, et meo nomine quum univerſo ſenatu tum ſententia ſua condemnata, in hac urbe eſſe poſſet? Ille vero eidem tempori, cui nos, eidem furori, eisdem conſulibus, eisdem minis, inſidiis, periculis ceſſit; luctum nos hauſimus maiorem, dolorem ille animi non minorem.

His de tot tantisque iniuriis in ſocios, in reges, in XXX liberas civitates, conſulum querela eſſe debuit; in eius 64 magiſtratus tutela reges atque exterae nationes ſemper fuerunt. Ecquae vox umquam eſt audita conſulum? quamquam quis audiret, ſi maxime queri vellent? De Cyprio rege quererentur, qui me civem nullo meo crimine, patriae nomine laborantem, non modo ſtantem non defenderunt, ſed ne iacentem quidem protexerunt? Cefferam, ſi alienam a me plebem fuiſſe vultis, quae non

---

§. 63. *Superiore anno*, proximo ante Gabinium et Piſonem conſules, eo, quo Caeſar coſ. fuit; quo anno quum nihil more maiorum gereretur, Caeſare leges et auſpicia negligente, Cato deſperatione quadam in ſenatum non venit. *Manut.*

ſi tum veniret — poſſet. nam non *veniebat*, itaque nec videre me *poterat*. vid. ad or. pro S. Roſc. §. 103. Non eſt pro *veniſſet — potuiſſet*, quod locum haberet, ſi *ſemel* veniſſet; quamquam nos ita loqui ſolemus. Sic paulo ante *ſi expelleretur, — pateretur:* nam facile patiebatur, quum expellebatur. c. XXX §. 64. *quis audiret, ſi vellent.*

c. XXX. §. 64. *iniuriis in ſocios.* Ex hoc loco intelligitur, verum eſſe, quod Zumptius contendit, poſt ſubſtantiva praepoſitiones etiam caſui ſuo iunctas poni licere. Verr. IV, 29, 67. *de ceteris operibus ex auro et gemmis ſe non laborare.* cf. 33. 72, Verr. V, 8. extr. *tua crudelitate in alios*, pro *tua in alios crud.* N. D. I, 6 in. *ponam in medio ſententias philoſophorum de natura deorum.* Cf. ſupra II, 5. V, 12. Raro tamen hoc fieri, negari non poteſt.

patriae nomine, propter patriam ab interitu vindicatam.

non modo non — ſed ne — quidem. Quando alterum *non* ante *ne — quidem* poni debeat, quando non debeat, primus monſtravit Roſenheyn in diar. litt. Jen. an. 1818. n. 73 in cenſura editionis meae epiſtolarum Cic. Pro *defenderunt — protexerunt* Erneſt. edidit *defenderant — protexerant*, latinitate vera ſcilicet poſtulante. „At vero hic error eſt — verba ſunt Fr. A. Wolfii ad Suet. Caeſ. 84 p. 107. — in

fuit, invidiae, si commoveri omnia videbantur, tempori, si vis suberat, armis, si societas, magistratuum pactioni, 65 si periculum civium, reipublicae. Cur, quum de capite civis (non disputo, cuiusmodi civis) et de bonis proscriptio ferretur, quum et sacratis legibus et XII tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari, nulla vox est audita consulum, constitutumque est illo anno, quantum in illis duabus huius imperii pestibus fuit, iure posse per operas concitatas quemvis civem nominatim tribuni plebis consilio ex civitate exturbari?

66 Quae vero promulgata illo anno fuerunt? quae promissa multis? quae conscripta? quae sperata? quae

---

quem saepe apud historicos incidunt Viri docti, ut putent, ea per relativam constructionem dici, quae absolute vel ἀορίστως posita sunt. Utrumque autem genus constructionis rectum est interdum; sed alterum praetulerunt boni scriptores. Sic Liv. 2, 1. *Libertas ut lactior esset, proximi regis superbia fecerat. Nam priores ita* regnarunt, *ut non immerito omnes deinceps conditores partium certo urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudinis addiderunt, numerentur;* in hoc igitur loco etiam scribi potuisset *regnarant* et *numerarentur*, sed maluit scriptor haec absolute narrare." Cf. Kritz. ad Sallust. Catil. 17, 2.

societas deteriore sensu est etiam Verr. V, 21, 54 *praedonis improbissimi societas.* Cf. pro S. Rosc. 34, 96. Catil. 1 extr.

§. 65. *sacratis legibus*, non tantum iis, quae a. u. 260 secessione plebis facta, in monte latae sunt, qui inde *sacer* appellatus est, sed aliis etiam, quas qui violasset, eius caput diis inferis consecrabatur, seu diris devovebatur. Ex eo genere est lex de provocatione sec. Liv. II, 8. qua continebatur etiam illa, quae de capite civis indemnati ferri vetabat. Vid. Ernesti clav. Cic. in ind. legum. pro domo 16 extr. *quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? Vetant leges sacratae, vetant duodecim* tabulae, *leges privis hominibus irrogari; id est enim privilegium.* Hinc Cicero de leg. III, 4. *Privilegia ne irroganto; de capite civis, nisi per maximum comitiatum* (i. e. per comitia centuriata) — *ne ferunto*, ubi vid. Creuzer.

tribuni plebis consilio non valet de concione, ut visum Ernestio, sed est tribuno plebis consilium dante ac suadente, ut c. XXXV, 75. Sic etiam Garaton.

§. 66. *quae conscripta.* int. de pactis scriptis, syngraphis et similibus, quas cum coss. fecerat Clodius. *Ern.*

cogitata? quid dicam? qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus? cuius negotii publici cogitari, optari, fingi curatio potuit, quae non esset attributa atque descripta? quod genus imperii, aut quae provincia, quae ratio auferendae aut conflandae pecuniae non reperiebatur? quae regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat? Damnatis de vi restitutio, consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti comparabatur. Haec gemebant boni, sperabant improbi, agebat tribunus plebis, consules adiuvabant.

Hic aliquanto serius, quam ipse vellet, Cn. Pompeius, XXXI invitissimis iis, qui mentem optimi ac fortissimi viri suis 67 consiliis fictisque terroribus a defensione meae salutis averterant, excitavit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam consuetudinem reipublicae bene gerendae. Non est passus ille vir, qui sceleratissimos cives, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras atque inauditas, qui praedonum infinitam

---

qui locus. Non tam nomen loci quaerit quam naturam, quasi dicat Nullus orbis terrae locus tam abditus erat aut desertus. Cf. ad §. 68.

redimendum, quod habebat, pecuniam dandam, ne auferretur. *Ern.*

Quis provinciam etc. in Vatin. 15, 35. *ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo umquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur?* ib. §. 36. *Eripueras senatui provinciae decernendae potestatem, imperatoris deligendi iudicium, aerarii dispensationem, quae nunquam sibi populus Rom. appetivit, qui numquam haec a summi consilii gubernatione auferre conatus est*, et c. 12, 29. *volo uti mihi respondeas —— erogarisne pecunias ex aerario tuis legibus.*

Damnatis de vi. Quinque illos intelligit Garat., qui commemorantur pro Sulla 2, 6.

populari sacerdoti. Sic Clodium vocat etiam or. in Pison. 36, 89.

c. XXXI. §. 67. *fictis terroribus.* Respicit ad ea, quae supra commemoravit c. XVIII, 41.

sceleratissimos cives, Cn. Carbonem, Cn. Domitium, Q. Sertorium, partium Marianarum fautores. Commentarii instar est totus locus Manilianae c. XI, 30 sqq.

qui — domuisset, qui sibi conscius erat domuisse.

manum, qui etiam ſervitia virtute victoriaque domuiſſet, qui omnibus bellis terra marique compreſſis, imperium populi Romani orbis terrarum terminis definiſſet, rempublicam everti ſcelere paucorum, quam ipſe non ſolum conſiliis, ſed etiam ſanguine ſuo ſaepe ſervaſſet; acceſſit ad cauſam publicam; reſtitit auctoritate ſua reliquis rebus; de praeteritis queſtus eſt. Fieri quaedam ad me-
68 liorem ſpem inclinatio viſa eſt. Decrevit ſenatus frequens de meo reditu kalendis Iun. diſſentiente nullo, referente L. Ninnio, cuius in mea cauſa numquam fides virtusque contremuit. Interceſſit Ligus iſte neſcio qui, additamentum inimiçorum meorum. Res erat, et cauſa noſtra eo

---

ſanguine ſuo, quum bello Sertoriano Sacronenſi proelio vulnus accepit. Plut. Sertor. c. 19. Pomp. c. 19. *Manut.*

auctoritate ſua. Bene *auctoritate*, non *poteſtate*, quia privatus erat. in Piſ. 4, 8. *illo deſignatus conſul, quum quidam trib. plebis ſuo auxilio magiſtros ludos contra SC. facere iuſſiſſet, privatus fieri vetuit, atque id, quod nondum* poteſtate *poterat, obtinuit* auctoritate. *Abram.*

§. 68. *L. Ninnio.* Vid. Dio Caſſ. 38, 30. poſt red. in ſen. 2.

Ligus iſte Aelius Stalenus. pro Cluent. 26, 72. *Quid tu, inquit, Paete? hoc enim ſibi Stalenus cognomen ex Aeliorum imaginibus delegerat, ne, ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuae, quam generis uti cognomine videretur.* Cf. infr. XXXII, 69.

neſcio qui i. e. cuius ingenii homo: *neſcio quis* eſſet eius, qui nomen quaereret. Vid. nunc Georg. Buſch in Allgem. Schulz. 1828. nr. 84. p. 694.

additamentum per contemtum vocat Stalenum. Recte Abram. comparat locutionem graecam *ἐν προσθήκης μέρει εἶναι*, quae ſaepius apud Demoſthenem legitur, ut *π. συντάξ.* p. 175, 16. ed. Reiſk. *κύριοι μὲν τῶν ἀγαθῶν οὗτοι, καὶ διὰ τούτων ἅπαντα πράττεται· ὁ δὲ δῆμος ἐν ὑπηρέτου καὶ προσθήκης μέρει.* Orell. legendum coni. *auctoramentum*, i. e. mercenarius, ut pro dom. 19, 49. idem homo *ille novitius Ligur* vocatur *venalis adſcriptor et ſubſcriptor* Clodii. Sed nec ulla idonea cauſa eſt ſcripturam mutandi, et *auctoramentum* nusquam vocatur homo auctoramento vel mercede conductus.

erat eo iam loci dictum ut *in poteſtatem alic. eſſe* i. e. in poteſtatem alic. veniſſe et in ea eſſe, nam, ut *quo*, ſic *eo* proprie cum verbis motus iungitur. E Cicerone unum praeterea exemplum habeo, quod affert Ruddim. II, p. 317 not. 6. ad Att. I, 13 (epp. 7, 12) *Res eodem eſt loci, quo reliquiſti.*

iam loci, ut erigere oculos et vivere videretur. Quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocumque venerat, quod iudicium cunque ſubierat, damnabatur. Inveniebatur nemo, qui ſe ſuffragium de me tuliſſe confiteretur. Deceſſerat ex Aſia frater meus magno ſqualore, ſed multo etiam maiore maerore. Huic ad urbem venienti tota obviam civitas cum lacrymis gemituque proceſſerat. Loquebatur liberius ſenatus; concurrebant equites Romani; Piſo ille, gener meus, cui fructum pietatis ſuae neque ex me, neque a populo Romano ferre licuit, a propinquo ſuo ſocerum ſuum flagitabat; omnia ſenatus reiiciebat, niſi de me primum conſules retuliſſent. Quae quum res iam manibus XXXII
teneretur, et quum conſules provinciarum pactione liber- 69
tatem omnem perdidiſſent, qui quum in ſenatu, privati ut de me ſententias dicerent, flagitabantur, legem illi ſe Clodiam timere dicebant, quum haec non poſſent iam diutius ſuſtinere, initur conſilium de interitu Cn.

---

quod iudicium cunque. de orat. III, 16, 59. *quam ſe cunque in partem dediſſet.* Fin. IV, 25, 69. *quod erit cunque viſum agens.* de divin. II, 2, 7. *ut prodeſſemus qua re cunque poſſemus.* Sic etiam Terentius, Salluſtius.

cui fructum pietatis ſuae neque ex me neque a pop. R. ferre licuit, quia periit ante reditum Ciceronis. *Ex me* dixiſſe videtur, quia fructus *ex animo* Ciceronis amoris pleno, quem poſt reditum maxime declarare poterat, percipiebatur, *a populo*, magiſtratu aliquo, externo aliquo praemio, ei mandato.

c. XXXII. §. 69. *In manibus eſſe, manibus teneri* dicuntur circa quae in praeſentia laboramus, ut explicat Forcell. in Lex.

privati ut de me ſententias dicerent, id eſt, tanquam privati, non conſules, ut, quamquam conſulum eſſet legem Clodiam in ſuo magiſtratu latam defendere ac tueri, ex animi tamen ſententia aperte, quid ſibi videretur, declararent. Similiter in Piſ. 13, 30. *quae lex* privatis *hominibus eſſe lex non videbatur, hanc qui ſe metuere dicerent, eos conſules non dicam animi hominum, ſed faſti ulli ferre poſſunt?* et paulo ante §. 29 *cupere vos* dicebatis, *ſed lege impediri.* Cf. pro dom. 26, 70. Sic optime loci ſententiam expedivit Ed. Wunder in *Jahrb. d. Philolog. u. Paedag.* V, p. 147 ſqq., ubi monſtravit etiam, quid intereſſet inter *ſententiam dicere*, quod ſenatorum eſt, et *referre ad ſen.*, quod eſt conſulum.

quum haec non poſſent d. ſuſt. non eſt novum antecedens, ut ait Ern., ſed quum primum *quum* totum tempus complexum eſſet,

Pompeii; quo patefacto, ferroque deprehenſo, ille incluſus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu. De meo reditu octo tribuni promulgarunt; ex quo intellectum eſt, mihi abſenti creviſſe amicos, in ea praeſertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos eſſe putaveram, non erant, ſed eos voluntatem ſemper eandem, libertatem non eandem ſemper habuiſſe: nam ex novem tribunis, quos tunc habueram, unus, me abſente, defluxit, qui cognomen ſibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo
70 magis nationis eius eſſe, quam generis, videretur. Hoc igitur anno, magiſtratibus novis deſignatis, quum omnes boni omnem ſpem melioris ſtatus in eorum fidem convertiſſent, princeps P. Lentulus auctoritate ac ſententia

---

hoc particulam tantum eius demonſtrat; vid. ad §. 45; cum prioribus autem huius antecedentis verbis, *Quae res quum iam man. ton.* ita continuatum ac connexum, ut ſimul ad interiectam ſententiam *qui — dicebant* reſpiciatur: *haec* enim eſt has ſenatorum flagitationes, quas ſuſtinere dicuntur, ut milites impetum hoſtium, vel disputantes argumenta adverſariorum.

ferroque deprehenſo. Vid. pro Mil. 7, 18. Cf. in Piſon. 12 extr. pro dom. 25, 67. Plutarch. vit. Pomp. c. 48. qui c. 49. *Πομπήϊος οὐκέτι προῆλθεν εἰς ἀγορὰν, ὅσον ἐκεῖνος ἦρχε χρόνον, ἀλλ' οἰκουρῶν διετέλει.* Eodem ſpectat, quod Pompeium *domum ſuam compuliſſe* dicuntur Piſo et Clodius in Piſ. 7, 16.

octo tribuni praeter duos de lapide emtos, ut loquitur in Piſ. 15, 35. *Octo* autem illi erant, ut monuit Garat. Milo, Sextius, Ceſtilius, Fadius, Curius, Meſſius, Cifpius et Fabricius, adverſati autem ſunt Numer. Quinctius et Sext. Atilius. Vid. poſt red. in ſen. 8 et 12. et infra 33. 35 et 38.

creviſſe amicos, quum ii etiam promulgarent, qui antea Ciceronis ſalutem defendendam ſuscipere auſi non erant. Quae ſequuntur *nam ex novem tribunis* ſpectant ad illa *nonnulli etiam, quos eſſe putaveram, non erant* amici.

quos tunc habueram, quum expellebar.

cognomen Liguris. Vid. ad c. XXXI, 68. *Ligures autem omnes mendaces ſunt*, inquit Cato Orig. II, ap. Servium ad Virg. Aen. XI, 700 et 715. *Sed ipſi, unde oriundi ſunt, exacti memoria illiterati mendacesque ſunt, et vera minus meminere.* Hinc Virg. Aen. X, 715 *vanus* vocatur *Ligus*, et ib. 701. *Haud Ligurum extremus, dum fallere fata ſinebant.* Sed Georg. II, 168. *aſſuetumque malo Ligurem*, malum de ſoli aſperitate capiendum, coll.

ſua, Piſone et Gabinio repugnantibus, cauſam ſuſcepit, tribunisque plebis octo referentibus, praeſtantiſſimam de me ſententiam dixit. Qui quum ad gloriam ſuam atque ad ampliſſimi beneficii gratiam magis pertinere videret, cauſam illam integram ad ſuum conſulatum reſervari, tamen rem talem per alios citius, quam per ſe tardius, confici malebat. Hoc interim tempore P. Sextius, iudices, XXXIII
deſignatus, iter ad C. Caeſarem pro mea ſalute ſuſcepit. 71
Quid egerit, quantum profecerit, nihil ad cauſam; equidem exiſtimo, ſi ille, ut arbitror, aequus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum, ſin iratior, non multum. Sed tamen ſedulitatem atque integritatem hominis videtis. Ingredior iam in Sextii tribunatum: nam hoc primum iter deſignatus reipublicae cauſa ſuſcepit; pertinere et ad concordiam civium putavit et ad perficiundi facultatem, animum Caeſaris a cauſa non abhorrere.

Abiit ille annus; reſpiraſſe homines videbantur, nondum re, ſed ſpe reipublicae recuperandae. Exierunt malis ominibus atque exſecrationibus duo vulturii paludati; quibus utinam ipſis eveniſſent ea, quae tum homines precabantur! neque nos provinciam Macedoniam cum

---

Ciceronis agrar. II, 35, 94. vid. Heyn. et Voſſ. ad loc. Acerba autem ineſt irriſio, qua id, quod ex eo cognomine eventurum erat, deſignat tanquam id, quod ipſe aſſequi vellet.

c. XXXIII. §. 71. *nihil ab hoc profectum*, nihil hunc, Sextium, profeciſſe: inutilis enim labor eſt eum placare velle, qui per ſe aequus eſt nec adverſatur.

putavit, abſolute et *ἀορίστως*, pro quo relativa etiam conſtructione dicere poterat *putabat*. Vid. ad XXX, 64.

vulturii, direptores et expilatores provinciarum, homines rapaces. in Piſ. 16 extr. *appellatus eſt hic vulturius illius provinciae, ſi diis placet, imperator.* Ad praecedentia cf. quae ibidem leguntur 14, 33. *tibi proficiſcenti evenit, ut omnes exſecrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam et perpetuam eſſe vellent.*

provinciam Maced. de prov. conſul. c. 2 §. 5. *Iam vero exercitus ille noſter ſuperbiſſimo delectu et duriſſima conquiſitione collectus omnis interiit* (c. 3), *miſerandum in modum milites pop. R. capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt, incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumti.* in Piſ. 17, 40. *exercitus noſtri interitus ferro, fame, frigore, peſtilentia.* Cf. infra c. XLIII, 94 et de Syria or. de prov. conſ. 4, 9. Gabinii *adventus in Syriam primus equitatus habuit interitum, poſt conciſae ſunt optimae cohortes.*

exercitu, neque equitatum in Syria et cohortes optimas per-
72 didiſſemus. Ineunt magiſtratum tribuni plebis, qui omnes ſe de me promulgaturos confirmarant. Ex his princeps emitur ab inimicis meis is, quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant; quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur arrodere. Alter vero non ille Serranus ab aratro, ſed ex deſerto Gavi Oleli horreo calatis granis in Calatinos Atilios inſitus, ſubito, nominibus in tabulas relatis, nomen ſuum de tabula ſuſtulit. Veniunt kalendae Ianuariae. Vos haec melius ſcire poteſtis; equidem audita dico, quae tum frequentia ſenatus, quae exſpectatio populi, qui concurſus legatorum ex Italia cuncta, quae virtus,

---

Plura de Macedonia in Piſ. 17. 20, 47. 34. 84. de Syria 21, 49. Sed accuratior harum rerum memoria deſideratur.

§. 72. *Gracchum vocabant*, per ironiam, quaſi trib. pl. valde popularem, vel potius quod filius eſſet illius Quintii, qui ſe olim Tib. Gracchi filium eſſe ſimularat. Nam hic noſter Quintius videtur filius fuiſſe illius inſitivi Quintii, qui ex compedibus et ergaſtulo productus ſe in Gracchorum familiam inſerebat; unde et infra *Gracchus inſitivus* vocatur. *Abram.* Intelligitur autem Numerius Quinctius trib. pl. eius anni. Eum cum *nitedula* e rubis aut vepretis ad rodendam ſegetem prodeunte comparat, quia homo ex agro Romam venerat et ad tribunatum: *nited.* enim eſt agreſtis mus. Hoc notarunt partim Abram. partim Erneſt.

Serranus, C. Attilius Ser. *quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt*, ut eſt pro S. Roſc. c. XVIII. §. 50. ubi vid. not. Pater huius Serrani, qui hic demonſtratur, erat Gavius quidam (*Oleli* corruptum eſt), unde ipſe *Gavianus* vocatur infr. §. 74.

calatis granis, ridiculum ex inopinato ſ. *παρὰ προσδοκίαν*, quum poſt *calatis* exſpectetur *comitiis*. Nam his comitiis ſ. curiatis arrogationes fiebant, ut ex Gellio XV, 27. docuit Perizon. Animadv. hiſt. c. I. Sed quum, ut ait Manut. in deſerto illo Gavii horreo ita pauca grana eſſent, ut calarentur, hoc eſt voce numerarentur (paucitas enim menſuram non requirebat) merito hic eius filius *a calatis granis* in eam familiam, quae Calatini cognomen habet, inſitus eſt. *Manut.*

ſubito, nominibus. Quum ſubito et praeter omnium opinionem tabulis Cenſorum ſua nomina *Sex. Atilius Serranus* inſeruiſſet, nomen ſuum ex tabula promulgationis ſuſtulit, nec inter ceterorum tribunorum promulgantium legem de Ciceronis reditu id voluit legi. *Graev.* Si tabulas argentariorum intelligi voluit Cicero, in quas Serranus, quia emptus ſ. corruptus erat a Clodianis, nomina ſua referri curaverit, quae ſententia eſt Schützii, nimis obſcure locutus eſt. In neutra explicatione *nomina* et *nomen* ſatis diſtincte inter ſe opponuntur, quum eiusdem hominis ſint: plurali etiam uti, quia tria nomina erant, *Sexti Atilii Calatini* haud ſcio an nimis putidae ſit diligentiae. Itaque *nomina* accipienda videntur de capitibus pecuniae in tabulis acceptorum et impenſorum ſcriptis ſeu de pecunia a Clodianis accepta, additis nominibus eorum, a quibus acceperat, et quibus officia debebat. Vid. Erneſt. in Cl. Hoc igitur vult, quum pecuniae ſummam, quantam a quoque (hinc *nominibus* plur. *die Poſten*, ut vertit Ern.) acceperat, in ſuas, non argentariorum, tabulas retuliſſet — vides hominem quaeſtus imprimis cupidum — nomen ſuum de tabula promulgationis ſuſtulit. Poſt *ſubito* interpunxit Garaton.

actio, gravitas P. Lentuli conſulis fuerit, quae etiam collegae eius moderatio de me; qui quum inimicitias ſibi mecum ex reipublicae diſſenſione ſuſceptas eſſe dixiſſet, eas ſe patribus conſcriptis dixit et temporibus reipublicae permiſſurum. Tum princeps rogatus ſententiam L. Cotta XXXIV
dixit id, quod digniſſimum republica fuit, nihil de me 73
actum eſſe iure, nihil more maiorum, nihil legibus; non poſſe quemquam de civitate tolli ſine iudicio; de capite non modo ferri, ſed ne iudicari quidem poſſe, niſi comitiis

---

collegae eius, Q. Caecilii Metelli Nepotis, eius, qui tribunus pl. Ciceronem conſulatu abeuntem concionis habendae poteſtate privarat. Vid. epp. fam. V, 2. (epp. 5.)

ex reip. diſſenſione, e diſſ. de rep. ſuscepta. Vid. ad or. de l. Manil. 15, 43. Mur. 4, 8. De re cf. infr. c. 62. §. 130. de prov. conſ. 9, 22. poſt red. in ſen. 10, 25. qui locus infra l. c. adſcriptus eſt.

permiſſurum non eſt ſimpliciter pro remiſſurum i. e. patrum et reip. cauſa depoſiturum, ſed hoc amplius, poteſtatem facturum patribus, eas ex ſuo arbitrio et ſecundum tempora reip. moderandi.

c. XXXIV. §. 73. *nihil de me actum eſſe iure.* Fuſe hoc perſequitur pro dom. c. 13 usque ad c. 16, 42. 29, 77 ſqq. *nihil more maiorum, nihil legibus* vid. pro dom. 16, 43 ſqq. De eadem re loquitur de Leg. III, 19, 45.

non modo ferri — poſſet: Vis eſt in *poſſet*, ut ſupra 9, 20, nec hi loci adverſari ei videantur, quod ad or. pro Muren. 3, 8.

centuriatis; vim fuiſſe illam, flammam quaſſatae reipublicae perturbatorumque temporum, iure iudiciisque ſublatis; magna rerum permutatione impendente, declinaſſe me paullulum, et, ſpe reliquae tranquillitatis, praeſentes fluctus tempeſtatemque fugiſſe. Quare, quum abſens rempublicam non minus magnis periculis, quam quodam tempore praeſens, liberaſſem, non reſtitui me ſolum, ſed etiam ornari a ſenatu decere. Diſputavit etiam multa prudenter, ita de me illum amentiſſimum et profligatiſſimum hoſtem pudoris et pudicitiae ſcripſiſſe quae ſcripſerat, iis verbis, rebus, ſententiis, ut, etiam ſi iure eſſet rogatum, tamen vim habere non poſſet. Quare me, qui nulla lege abeſſem, non reſtitui lege, ſed revocari ſenatus auctoritate
74 oportere. Hunc nemo erat, quin veriſſime ſentire diceret. Sed poſt eum rogatus Cn. Pompeius, approbata laudataque Cottae ſententia, dixit, ſeſe otii mei cauſa, ut omni populari concitatione defungerer, cenſere, ut ad ſenatus auctoritatem populi quoque Romani beneficium erga me adiungeretur. Quum omnes certatim, aliusque alio gravius atque ornatius de mea ſalute dixiſſet fieretque ſine ulla varietate diſceſſio, ſurrexit, ut ſcitis, Atilius hic Gavianus; nec auſus eſt, quum eſſet emptus, intercedere; noctem ſibi ad deliberandum poſtulavit. Clamor ſenatus, querelae, preces, ſocer ad pedes abiectus. Ille ſe affirmare, poſtero die moram nullam eſſe facturum. Creditum eſt; diſceſſum eſt. Illi interea deliberatori merces, longa interpoſita nocte, duplicata eſt. Conſecuti dies pauci omnino Ianuario menſe, per quos ſenatum haberi liceret; ſed tamen actum nihil, niſi de me.

Quum omni mora, ludificatione, calumnia ſenatus xxxv
auctoritas impediretur, venit tandem concilii de me agendi 75
dies, VIII kalendas Febr. Princeps rogationis, vir mihi

---

monui. *Iudicare de capite* minus h. l. eſt, quam *ferre*, quia iudicatur lege demum perlata.

niſi comitiis centuriatis. Vid. ſupra §. 65.

magna rerum permutatione, quam Tullius cedendo a rep. depulit. *Garaton.*

iis verbis. pro dom. 18, 47. *At quid tulit legum ſcriptor peritus et callidus? velitis, iubeatis, ut M. Tullio aqua et igni interdicatur? — Non tulit, ut interdicatur; quid ergo? ut interdictum ſit — — Quod factum non eſt, ut ſit factum, ferri ad populum poteſt?* et §. 50. *Quid ſi iis verbis ſcripta eſt iſta proſcriptio, ut ſe ipſa diſſolvat?* etc. Rebus, ibid. §. 50. *Quid ſi etiam pluribus de rebus uno ſortitu retuliſti?* et quae ſequuntur usque ad §. 54. *Abram.*

§. 74. *ſocer ad pedes abiectus.* ad Quir. poſt red. 5, 12. *Atque eo die confecta res eſſet, niſi is trib. pl. quem ego maximis beneficiis quaeſtorem conſul ornaveram, quum et cunctus ordo et multi eum ſummi viri orarent, et Cn. Oppius ſocer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret, noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet; quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, ſed, ut patefactum eſt, in augenda mercede conſumta eſt.* Eamdem fabulam poſtea etiam uterque egit, ut narratur epiſt. ad Attic. IV, 2. (epp. XXXIII, 10 ſqq.)

Conſecuti dies pauci. Caeſ. b. civ. I, 5. *Quinque primis diebus* (Ianuarii menſis) *quibus haberi ſenatus potuit, ex qua die conſulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali — — decernitur.* Dies comitiales duo fuerunt III, et pridie Nonas (i. e. dies III et IV). Itaque ſenatui habendo reliqui ſunt e quinque tres dies, Kal. Ian. et qui eos proxime ſequitur IV Non. tum Nonae ipſae. Vid. D. Voſſium ad loc. Caeſ. Praeterea VII et VI Idus, Idibus, XIX, XVII et XVI Kal. Febr. ſenatum habitum eſſe, ſedecim autem dies extremos menſes comitiales fuiſſe, ad h. l. oſtendit Abram.

c. XXXV. §. 75. *Calumnia*, quum falſa quaedam ad moram interponendam afferrentur. Sic epiſt. fam. I, 1. *calumniam religionis* dixit, quum falſam religionis inductionem ſignificaret. *Manut.* Falſum praetextum explicat Ern. in clav. Promulgata autem lege, Manut. monet exſpectaviſſe Fabricium, dum trinundinum praeteriret.

concilii de me agendi. Concilii delendum iudicat cum Graevio Erneſtus; Garatonio contra ea vox neceſſaria videtur, ut a ſenatu (de quo modo *actum nihil, niſi de me*) ad populum traduci ſermonem appareat. Idem *agere concilium* defendit loco Caeſaris b. G. VI, 4. Mihi haec locutio ſimilis eſſe videtur illis *exemplorum eligendi poteſtas, facultas agrorum ſuis latronibus condonandi*, aliis (quae vid. apud Zumpt. gramm. lat. §. 661 et quos citat Krüger in *Unterſuchungen* III, p. 151 ſq.) ita ut *dies concilii* unam per ſe notionem conſtituat, ab eaque pendeat *agendi de me.* Sic fere Stallbaum ad Ruddim. T. II. p. 246 ſq. Cf. Heinrich. epiſt. ad Tweſten. huius commentationi de Heſiodi Op. et D. ſubiecta, Kritz. ad Sall. Catil. 31. p. 144 ſq. Dicerem duas locutiones commixtas eſſe *dies concilii de me habendi* et *dies agendi de me*, niſi nonnullos viderem hanc mixtionem ita puerilem in modum reformidare, ut vel contortiſſimas explicationes praeferant.

amiciſſimus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupavit. Quietus eo die Sextius, is, qui eſt de vi reus; actor hic defenſorque cauſae meae nihil progreditur, conſilia exſpectat inimicorum meorum. Quid illi, quorum conſilio P. Sextius in iudicium vocatur? quo ſe pacto gerunt? Quum forum, comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus ac ſervis plerisque occupaviſſent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt
76 nonnullos, vulnerant multos. Venientem in forum virum optimum et conſtantiſſimum, M. Ciſpium tribunum plebis, vi depellunt, caedem in foro maximam faciunt, univerſique, deſtrictis gladiis et cruentis, in omnibus fori partibus fratrem meum, virum optimum fortiſſimum meique amantiſſimum, oculis quaerebant, voce poſcebant. Quorum ille telis libenter in tanto luctu ac deſiderio mei, non repugnandi, ſed moriendi cauſa, corpus obtuliſſet ſuum, niſi ſuam vitam ad ſpem mei reditus reſervaſſet. Subiit tamen vim illam nefariam conſceleratorum latronum, et, quum ad fratris ſalutem a populo Romano deprecandam veniſſet, pulſus e Roſtris in comitio iacuit, ſeque ſervorum et liberorum corporibus obtexit, vitamque ſuam tum noctis et fugae praeſidio, non iuris iudiciorumque defen-
77 dit. Meminiſtis tum, iudices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri, e foro ſpongiis effingi ſanguinem, ut omnes tantam illam copiam et tam magnificum apparatum, non privatum aut plebeium, ſed patricium

---

templum, locum pro roſtris, ut ſupra.

actor hic, Sextius — — *nihil progreditur* in Roſtra; et *nihil* pro nullo modo. Vid. Kritz. ad Sall. Catil. 16, 5.

Quid illi — vocatur? Vid. or. pro S. Roſc. c. XXXIII, §. 92. Interrogationis ſignum priore loco tollendum videbatur Beiero ad fr. or. pro Scauro p. 144.

multa de nocte, quum multa adhuc nox eſſet. Vid. ad or. pro Mur. §. 22. Cf. ad Attic. VII, 4. ad Quint. fr. II, 9.

ac ſervis plerisque i. e. quorum maxima pars erant ſervi; ne quis putet *plerisque* eſſe *multis*, ut apud ſcriptores poſterioris ſeculi, Suetonium et alios. *Ern.*

§. 76. *ac liberorum.* Sic legendum recte coniecit Manut. pro *libertorum.* Nam ubi genus hominum ſimpliciter deſignandum eſt, non ita ut patroni ſimul reſpiciantur, *libertini* dicuntur, non *liberti.* *Servi* et *liberi* inter ſe opponuntur etiam pro S. Roſc. 27, 74.

§. 77. *magnificum apparatum*, ironice, quia iſti gladiatores ſervi

et praetorium eſſe arbitrarentur; nihil neque ante hoc tempus neque hoc ipſo turbulentiſſimo die criminationis in Sextium. „Atqui vis in foro verſata eſt.“ Certe: xxxvi quando enim maior? lapidationes perſaepe vidimus; non ita ſaepe, ſed nimium tamen ſaepe gladios; caedem vero tantam, tantos acervos corporum exſtructos, niſi forte illo Cinnano atque Octaviano die quis umquam in foro vidit? qua ex concertatione animorum? nam ex pertinacia aut conſtantia interceſſoris oritur ſaepe ſeditio, culpa atque improbitate latoris, commodo aliquo imperitis aut largitione propoſita; oritur ex concertatione magiſtratuum; oritur ſenſim ex clamore primum, deinde aliqua diſceſſione concionis; vix, ſero et raro ad manus pervenitur; nullo vero verbo facto, nulla concione advocata, nulla lege recitata concitatam nocturnam ſeditionem quis audivit? An 78 veriſimile eſt, ut civis Romanus aut homo liber quisquam cum gladio in forum deſcenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, praeter eos, qui ab illo peſtifero ac perdito cive iampridem reipublicae ſanguine ſaginantur? Hic iam de ipſo accuſatore quaero, qui P. Sextium queritur cum multitudine in tribunatu et cum praeſidio magno fuiſſe, num illo die fuerit. Certe, certe non fuit.

---

ab Appio praetore parati ad ludos dicebantur in funere propinqui; unde et cetera intelligenda. *Ern.* Dio Caſſ. 39 c. 7. *τοὺς μονομάχους, οὓς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ πρὸς ἀγῶνας ἐπιταφίους ἐπὶ τῷ Μάρκῳ τῷ συγγενεῖ προπαρεσκεύαστο.*

c. XXXVI. *gladios* ut Gracchanis primum (vid. Appian. b. civ. I, 24) deinde Marianis temporibus. *Manut.*

concertatione anim. Probabiliter Orell. emend. *concitatione.*

pertinacia aut conſtantia. Dubitat Cic. utro nomine potius appellet, contumelioſo pertinaciae, an honeſto conſtantiae. Quum vero conſtantia in laude ponatur, non poteſt ea niſi in rebus bonis verſari, ut quum tribunus pernicioſae legi intercedit pertinacia ſalutari, ut annotat Manut.

§. 78. *An veriſimile eſt, ut.* vid. ad Sull. §. 57.

ſaginantur. Milon. c. 2. in. comparat Manut. Sed in hoc verbo deligendo ad gladiatores reſpexiſſe videtur Cicero, quorum proprie eſt ſagina. Vid. Spalding. ad Quintil. X, 5, 15.

de ipſo accuſatore, quodam M. Tullio, inquit Cicero ep. ad Quint. fr. II, 3. M. Tullium Albinovanum nominat Abramius, neſcio, quo auctore.

Victa igitur eſt cauſa reipublicae, et victa, non auſpiciis, non interceſſione, non ſuffragiis, ſed vi; manu, ferro. Nam, ſi obnuntiaſſet Fabricio is praetor, qui ſe ſervaſſe de caelo dixerat, accepiſſet respublica plagam, ſed eam, quam acceptam gemere poſſet. Si interceſſiſſet collega Fabricio, laeſiſſet rempublicam, ſed rempublicam iure laeſiſſet. Gladiatores tu novicios pro exſpectata aedilitate ſuppoſitos cum ſicariis e carcere emiſſis ante lucem in forum immittas? magiſtratus templo deiicias? caedem maximam facias? forum purges? et, quum omnia vi et armis egeris, accuſes eum, qui ſe praeſidio munierit, non ut te oppugnaret, ſed ut vitam ſuam poſſet defendere?

XXXVII Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sextius, ut
79 a ſuis munitus tuto in foro magiſtratum gereret, rempublicam adminiſtraret. Itaque fretus ſanctitate tribunatus, quum ſe non modo contra vim et ferrum, ſed etiam contra verba atque interfationem legibus ſacratis eſſe armatum putaret, venit in templum Caſtoris, obnuntiavit conſuli, quum ſubito manus illa Clodiana, in caede civium ſaepe iam victrix, exclamat, incitatur, invadit; inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis ſeptorum et fuſtibus; a quibus hic multis vulneribus acceptis ac debilitato corpore et contrucidato, ſe abiecit exanimatus, neque ulla alia re ab ſe mortem, niſi opinione mortis, depulit. Quem quum iacentem et conciſum plurimis vulneribus, extremo ſpiritu exſanguem et confectum viderent, defatigatione magis et errore, quam miſericordia et modo aliquando caedere deſtiterunt. Et cauſam dicit Sextius de vi! quid ita? quia vivit. At 80
id non ſua culpa; plaga una illa extrema defuit; quae ſi acceſſiſſet, reliquum ſpiritum exhauſiſſet. Accuſa Lentidium; non percuſſit locum; maledicito Sabinio, homini Reatino, cur tam tempori exclamarit occiſum. Ipſum vero quid accuſas? num defuit gladiis? num repugnavit?

---

non auſpiciis, quod de coelo ſe ſervaſſe diceret.

is praetor Appius, P. Clodii frater, ſignificari videtur Abramio. Quum autem de coelo *ſe ſervaſſe* dixiſſet praetor, debebat *obnuntiare*, quod factum eſſet iure et more maiorum; nunc non obnuntiavit, ſed vi et ferro concionem disturbari voluit. Praeterea illud etiam a more maiorum abhorrebat, quod ſe *ſervaſſe* de coelo dixerat: nam denuntiare tantum licebat magiſtratibus *ſe de coelo ſervaturos*, quo ipſo ferias in dies comitiales indicebant et comitia impediebant. Vid. Ferrarium apud Garaton. ad Phil. II, 32 p. 494 ed. Wernsdorf.

quam acc. gemere poſſet, ab eo, qui iure ſuo uſus eſſet. Contra ſi iniuria impediſſet legem, *queri* poterant cives.

novicios, recens comparatos, nondum a laniſta ſatis eruditos et inſtructos. *Abram.* Eos gladiatores ſe comparaſſe ad munera in aedilitate, quam peteret, populo edenda ſimulabat Clodius; hinc *ſuppoſiti* dicuntur *pro aedilitate*.

immittas. De hoc verbo vid. Kritz. ad Sall. Catil. 48 §. 8. de coniunct. ad or. pro Sull. 15 extr.

forum purges, expulſo populo vacues. Fortaſſe his verbis ipſi Clodiani uſi ſunt, quibus ii, qui pro Cicerone ſtabant, impuri videbantur, ut Cromwelli militibus et Robespierrii gladiatoribus ii, qui ſaniora de republica ſentiebant.

interfationem i. e. interpellationem; nam non licebat tribuno pl. loquenti interfari ſeu interloqui. Sic legitur e coniectura Adr. Turnebi, quum in aliis libris eſſet *interceſſionem*, in aliis *interfectionem*. Vocabulum legitur etiam apud Quint. IV, 2, 50. Plin. epiſt. I, 23, 2 verbis *quem interfari nefas eſſet*, deſignat tribunum; quem locum poſt Garaton, cum noſtro componit Beier ad fr. orat. pro Tull. p. 59.

obnunt. conſuli, Metello, legem aliquam ferenti, quam Sextius minus e republica iudicaret. Non enim hoc ad Ciceronis cauſam pertinuit, contra quem nihil geſſiſſe Metellum in conſulatu ſatis conſtat. *Manut.*

Quem quum etc. Cic. epp. ad Quint. fr. II, 3. *dixi pro Beſtia de ambitu —— incidique in eum locum in dicendo, quum Sextius, multis in templo Caſtoris vulneribus acceptis, ſubſidio Beſtiae ſervatus eſt.* Quod in defenſione Beſtiae tempori accommodatum erat, id hoc loco prudens omiſit, ne eo beneficio commemorando hanc eximiam orationis vim minueret.

§. 80. *Et* eſt indignantis. Vid. ad Manil. §. 42. et cf. Verr. IV, 47, 104. V, 16, 41. Cluent. 40, 111. Mil. 12, 33. agrar. II, 26, 69. de nat. d. I, 32, 91.

ſpiritum exhauſit dictum, ut ſupra c. 21 extr. *manu ſibi vitam exhaurire*.

locum, idoneum, quem percuti oportuit, ut letale vulnus eſſet, vitalem, ut expl. Beier ad Cicer. Off. III, 14, 58. Vid. Goerenz. ad Fin. IV, 1, 2. Cf. Mil. 16. ubi *loco* opponitur *iniquo loco*.

tam tempori, tam mature, antequam vere mortuus erat. *Graev.*

num defuit gladiis, num ſe ſubtraxit. Alia vis verbi eſt c. 47, 101. ubi *non deeſſe* eſt adiuvare, quod in hunc locum non cadit.

num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit?
XXXVIII An haec ipsa vis est, non posse emori? an illa, quod tribunus plebis templum cruentavit? an, quod, quum esset ablatus primumque respipisset, non se referri iussit? ubi est
81 crimen, quod reprehenditis? Hic quaero, iudices, si illo die gens ista Clodiana quod facere voluit, effecisset, si P. Sextius, qui pro occiso relictus est, occisus esset, fuistisne ad armaituri? fuistisne vos ad patrium illum animum maiorumque virtutem excitaturi? fuistisne aliquando rempublicam a funesto latrone repetituri; an etiam tunc quiesceretis, cunctaremini, timeretis, quum rempublicam a
82 facinorosissimis sicariis, et a servis esse oppressam atque occupatam videretis? Cuius igitur mortem ulciscemini, siquidem liberi esse et habere rempublicam cogitaretis, de eius virtute vivi quid vos loqui, quid sentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat, dubitandum putatis? At vero illi ipsi parricidae, quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna, adeo vim facinoris sui perhorruerant, ut, si paullo longior opinio mortis Sextii fuisset, Gracchum illum suum, transferendi in nos criminis causa, occidere cogitarint. Sensit rusticulus non incautus, (neque enim homines nequam tacere potuerunt) suum sanguinem quaeri ad restinguendam invidiam facinoris Clodiani; mulionicam penulam arripuit, cum qua primum Romam ad comitia venerat; messoria se corbe contexit. Quum quaererent alii Numerium, alii Quintium, gemini nominis errore servatus est. Atque hoc scitis omnes, usque adeo hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit Sextium vivere. Quod nisi esset patefactum paullo citius, quam vellem, non illi quidem morte mercenarii sui transferre potuissent invidiam in quos putabant, sed acerbissimi sceleris infamiam grato quodam scelere minuissent. Ac, 83
si tunc P. Sextius, iudices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset, non dubito, quin, si modo esset in republica senatus, si maiestas populi Romani revixisset, aliquando statua huic ob rempublicam interfecto in foro statueretur. Nec vero illorum quisquam, quos a maioribus nostris, morte obita, positos in illo loco atque in Rostris collocatos videtis, esset P. Sextio aut acerbitate mortis aut animo in rempublicam praeponendus; qui quum causam civis calamitosi, causam amici, causam bene de republica meriti, causam senatus, causam Italiae, causam reipublicae suscepisset, quumque auspiciis religionique parens obnuntiaret, quod senserat, luce, palam, a nefariis pestibus in deorum hominumque conspectu esset occisus, sanctissimo in templo, sanctissima in causa, sanctissimo in magistratu. Eius igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cuius mortem ornandam monumento sempiterno putaretis?

„Homines, inquit, emisti, coëgisti, parasti.“ Quid XXXIX uti faceret? senatum obsideret? cives indemnatos expel- 84
leret? bona diriperet? aedes incenderet? tecta disturba-

---

ferrum non recepit. Cf. ad or. pro S. Rosc. §. 33. Tusc. II, 17, 41. *quis* gladiator, *quum decubuisset, ferrum recipere iussus, collum contraxit?* Feralem victoris in arena vocem *recipe ferrum* vocat Gronov. ad Senec. ep. 7. Senec. de tranqu. anim. 11. *Vives diutius et expeditius morieris, qui ferrum non subducta cervice, nec manibus oppositis, sed animose recipis.*

c. XXXVIII. §. 81. *gens ista Clodiana*, invidiose quasi tota gens in id conspirasset, quod Clodius ope gladiatorum fratris perpetraverat.

si effecisset, fuistisne — ituri? Indicativus rem, quam certo apud animum constituisse finguntur, ideoque quae fieri debuerat, significat, ut recte Stallbaum. monet ad Ruddim. Instit. gr. II, p. 379. Cf. Ramshorn gramm. lat. §. 190. 3. c. Errat igitur Zumpt. quum in gramm. lat. §. 77, not. 1. (§. 519) hunc indicativum post coniunctivum conditionis praemissae in verbis tantum *debui* etc. poni dicit. Cf. ad Milon. §. 31. Paulo post sunt coniunctivi de iis, quae non per se facta essent, sed ita ut ex vv. *quum videretis* pendeant.

repetituri. Similiter pro dom. 55, 141. *Res vero publica ab istius inflammato atque ignito furore me seque repetebat.*

quiesceretis. Nam revera per totum illud tempus quiescebant, cunctabantur, timebant. vid. supra 22, 49. 29, 63.

occupatam ita ut in ea quasi regnarent, quum primo oppressissent remp.

§. 82. *cum qua*, i. e. qua indutus, ut Verr. V, 49 in. *cum hoc capillo atque veste*, hunc capillum et vestem habens, *cum armis esse*, de quo vid. ad Mil. c. IV, §. 11. Simile est *cum equis albis* i. e. equis albis insidentes, ut explicat Wyttenb. ap. Creuz.

acerbissimi sceleris, occisi Sextii, *grato quodam scelere*, interfecti Gracchi, hominis improbi.

c. XXXIX. §. 84. *senatum obsideret* etc. Commemorat ea, quae Clodius commiserat, ut Clodii invidiam augens Sextii causam adiuvet. De senatu a Clodio obsesso Plutarch. Cicer. 31. *Κλωδίου σιδηροφορουμένου περὶ τὸ βουλευτήριον. Cives indemn. exp.* ut

ret? templa deorum immortalium inflammaret? tribunos plebis ferro e Roſtris expelleret? provincias, quas vellet, quibus vellet, venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatos in liberas civitates per legatos noſtros reduceret? principem civitatis ferro obſeſſum teneret? haec ut efficere poſſet, quae fieri, niſi armis oppreſſa republica, nullo modo poterant, idcirco, credo, manum ſibi P. Sextius et copias comparavit? At nondum erat maturum; nondum res ipſa ad eius modi praeſidia viros bonos compellebat; pulſi nos eramus, non omnino iſta manu ſola, ſed tamen non ſine iſta; vos taciti maerebatis.
85 Captum erat forum anno ſuperiore, aede Caſtoris, tamquam arce aliqua, a fugitivis occupata; ſilebatur. Omnia hominum quum egeſtate tum audacia perditorum clamore, concurſu, vi, manu gerebantur; perferebatis. Magiſtratus templis pellebantur, alii omnino aditu ac foro prohibebantur; nemo reſiſtebat. Gladiatores ex praetoris comitatu comprehenſi, in ſenatum introducti, confeſſi, in vincula coniecti a Milone, emiſſi a Serrano; mentio nulla. Forum corporibus civium Romanorum conſtratum caede nocturna; non modo nulla nova quaeſtio, ſed etiam vetera

---

Lamiam §. 29. ipſum Ciceronem §. 53. *Bona diriperet, aedes inc. tecta diſt.* §. 54. *Templa inflamm.* ut Nympharum. pro Mil. 27, 73. Parad. 4. ubi vid. Gernh. p. 212 ſq. *trib. pl. — expell.* §. 75. ſq. *Provinc. — venderet* §. 53. *Reges appell.* §. 56. *Rerum cap. cond.* ibid. *Principem civit.* §. 69.

idcirco, credo, — comparavit? Interrogationem, indicem indignationis, hic agnoſco, quae eſt etiam in praecedentibus. *Credo* ironicum nonnumquam eſt in interrogatione, ut de N. D. I, 24, 67. *Sed ubi eſt veritas? in mundis, credo, innumerabilibus — an in individuis corpuſculis — —?* epp. fam. IV, 5. *An illius vicem, credo, doles?*

§. 85. *aede Caſtoris*, §. 34. *Magiſtr. — pelleb.* §. 75 ſq. *alii omnino aditu*, §. 76. 79.

emiſſi a Serrano tribunus enim plebis alterius trib. acta poterat reſcindere. Cic. in Vatin. 9, 21.

mentio nulla, int. in ſenatu, nulla relatio de ea re ad ſenatum. *Ern.*

nova quaeſtio, extra ordinem quaeſitori demandata, ut Pompeio in cauſa Milonis. E *ſublatu*, quod ſequitur, cogitandum *nov. quaeſtio conſtituta*, vel ſimpliciter *fuit.*

vetera iudicia ſubl. quia ne veteribus quidem legibus de caede in foro facta quaeſitum eſt: iudicium enim interceſſio Serrani trib. pl. impediebat. *Manut.*

iudicia ſublata. Tribunum plebis plus viginti vulneribus acceptis iacentem moribundumque vidiſtis, alterius tribuni plebis, divini hominis (dicam enim quod ſentio, et quod mecum ſentiunt omnes) divini, inſigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi, gravitate, fide praediti, domus eſt oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano. Et tu XL.
hoc loco laudas Milonem, et iure laudas: quem enim 86
umquam virum tam immortali virtute vidimus? qui, nullo praemio propoſito, praeter hoc, quod iam contritum et contemptum putatur, iudicium bonorum, omnia pericula, ſummos labores, graviſſimas contentiones inimicitiasque ſuſcepit; qui mihi unus ex omnibus civibus videtur re docuiſſe, non verbis, quid oporteret a praeſtantibus viris in republica fieri, et quid neceſſe eſſet; oportere hominum audacium, everſorum reipublicae, ſceleri legibus et iudiciis reſiſtere; ſi leges non valerent, iudicia non eſſent, ſi respublica vi conſenſuque audacium armis oppreſſa teneretur, praeſidio et copiis defendi vitam et libertatem neceſſe eſſe. Hoc ſentire prudentiae eſt, facere

---

Tribunum plebis Sextium. §. 79 ſq.

alterius trib. pl. Milonis. vid. ad Att. IV, 3. (epp. 34. §. 6.) *Milonis domum, quae eſt in Germalo, pridie id. Nov.* (a. u. 696) *expugnare et incendere ita conatus eſt, ut palam hora V cum ſcutis homines, eductis gladiis, alios cum accenſis facibus adduxerit.*

c. XL. §. 86. *contritum.* Sic Tuſc. V, 30, 85. *reliqua ex collatione facile eſt conterere atque contemnere.* Mox *iudicium bonorum* reſpondet fere ei, quod nos dicimus *die öffentliche Meinung.*

Oportet fieri, quae ut faciamus, officium et honeſtas poſtulat: *neceſſe eſt*, quae neceſſitate aliqua extrinſecus accedente facere cogimur. Ita haec duo nonnunquam inter ſe opponuntur, ut Verr. IV, 39, 84. *tanquam ita fieri non ſolum oporteret, ſed etiam neceſſe eſſet*, ſicut noſtri philoſophi ea, quae a magiſtratibus et legibus et iniunguntur et vindicantur, *perfecta officia* vocant, graviora ſcilicet iis, quae officio ducti facimus. Cf. Verr. III, 78, 181. V, 14 extr.

Hoc ſentire prudentiae eſt. Demoſthenes, ſive alius is fuerit, in Ἐπιτάφ. p. 243. C. ed. Francof. 1394, 3. ed. Lipſ. *Ἔστι γὰρ, ἔστιν ἁπάσης ἀρετῆς ἀρχὴ μὲν σύνεσις, πέρας δὲ ἀνδρία· καὶ τῇ μὲν δοκιμάζεται, τί πρακτέον ἐστι, τῇ δὲ σώζεται.* Hunc Tullii locum ibi attulit Wolfius p. 1310 in App. crit. Reiſk. p. 1047. *Garaton. Prudentia* non eſt, quam nos vocamus *Klugheit*, callida eorum, quae utilia ſunt, etſi mi-

fortitudinis; ſentire vero et facere perfectae cumulataeque
87 virtutis. Adiit ad rempublicam tribunus plebis Milo; de cuius laude plura dicam, non quo aut ipſe haec dici, quam exiſtimari, malit, aut ego hunc laudis fructum praeſenti libenter impertiam, praeſertim quum verbis conſequi non poſſim, ſed quod exiſtimo, ſi Milonis cauſam accuſatoris voce collaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sextii cauſam exiſtimaturos. Adiit igitur T. Annius ad cauſam reipublicae ſic, ut civem patriae recuperare vellet ereptum. Simplex cauſa, conſtans ratio, plena conſenſionis omnium, plena concordiae. Collegas adiutores habebat; conſulis alterius ſummum ſtudium, alterius animus paene placatus; de praetoribus unus alienus; ſenatus incredibilis voluntas; equitum Romanorum animi ad cauſam excitati, erecta Italia. Duo ſoli erant empti ad impediendum; qui ſi homines deſpecti et contempti tantam rem ſuſtinere non potuiſſent, ſe cauſam, quam ſuſceperat, nullo labore peracturum videbat. Agebat auctoritate, agebat conſilio, agebat per ſummum ordinem, agebat exemplo bonorum et fortium civium; quid republica, quid ſe dignum eſſet, qui ipſe eſſet, quid ſperare, quid maioribus ſuis reddere deberet, diligentiſſime cogita-

---

nus honeſta, conciliatrix, (quam rectius calliditatem vel aſtutiam dixeris, Cicero *malitiam* vocat. de offic. III, 17, 71. *quae vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea diſtatque plurimum*) ſed φρόνησις, rerum expetendarum fugiendarumque ſcientia, ut Cicero definit Off. I, 43, 153. nos *Verſtand.*

§. 87. *haec dici, quam* talis *exiſtimari*, fere ut Amphiaraus apud Aeſchylum *οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.* Aptius etiam eſt, quod e Soph. Oed. C. 1143 Br. comparat Abram. *οὐ γὰρ λόγοισι τὸν βίον σπουδάζομεν λαμπρὸν ποιεῖσθαι μᾶλλον, ἢ τοῖς δρωμένοις.*

Simplex cauſa, quia nihil, niſi reipublicae commodum ſpectabat Milo, *conſtans ratio*, quia in optima cauſa tuenda perſeverabat.

de praetor. unus alien. in Piſ. 15, 35. *De me quum omnes magiſtratus promulgaſſent, praeter unum praetorem, a quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emtos tribunos pl.* (Numerium Quinctium et Atilium Serranum) *legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus conſul de collegae Q. Metelli ſententia.*

quid maioribus ſuis reddere, tanquam debitum. Hoc autem debent maioribus poſteri, ut eorum

bat. Huic gravitati hominis videbat ille gladiator ſe, ſi XLI
moribus ageret, parem eſſe non poſſe; ad ferrum, ad 88
faces, ad quotidianam caedem, incendia, rapinas ſe cum exercitu ſuo contulit; domum oppugnare, itineribus occurrere, vi laceſſere et terrere coepit. Non movit hominem ſumma gravitate ſummaque conſtantia; ſed quamquam dolor animi, innata libertas, prompta excellensque virtus fortiſſimum virum hortabantur, vi vim oblatam, praeſertim ſaepius, ut frangeret et refutaret, tanta moderatio fuit hominis, tantum conſilium, ut contineret dolorem, neque eadem ſe re ulciſceretur, qua eſſet laceſſitus, ſed illum tot iam in funeribus reipublicae exſultantem ac tripudiantem legum, ſi poſſet, laqueis conſtringeret. Deſcendit ad accuſandum. Quis umquam tam proprie 89

---

virtutem imitentur. De maioribus Milonis Abramius: Qui fuerint Milonis maiores, certo affirmare non poſſum. Venit in mentem ſuſpicari Anniorum gentem e Latio et ex illo Lucio Annio Setino Latinorum praetore deſcendiſſe, qui quum legatus ad Senatum *Conſulem alterum Roma, alterum e Latio creari petiiſſet*, et *quum commotus ira ſe a veſtibulo templi*, Capitolii, *citato gradu proriperet, lapſus per gradus, capite graviter offenſo, impactus imo ita eſt ſaxo, ut ſopiretur.* ut narrat Liv. VIII, 6. Aliorum etiam Anniorum meminit lib. XXI, 25. XLII, 25. XLIII, 19. Sed eum praeſertim putem intelligi, qui ſe Tib. Gracchi ſeditioſis legibus oppoſuit, quem noſter opponens Clodio voluit imitari. Epit. Liv. LVIII. *Tot indignitatibus graviter commotus Senatus, ſed ante omnes Titus Annius Conſul, qui quum in ſenatu in Gracchum peroraſſet, raptus ab eo ad populum delatusque plebi rurſus in eum pro Roſtris concionatus eſt.* Meminit etiam Annii Lanuvini Silius Italicus.

c. XLI. §. 88. *moribus*, more et inſtituto civitatis. Sic pro Caec. I, *ſi facta vis eſſet moribus*, ibid. 7, 20. *de fundo Caecina moribus deduceretur.*

libertas, fortitudo in ſententiis dicendis, in agendis rebus, quae aliis displicent, ut explicat Ern. in clav.

tot iam in funeribus. Sic pro Balb. 26. *non exſultavit in ruinis noſtris veſtrisque diſcordiis Cornelius.* de rep. II, apud Non. v. *exſultare —— quae ſanguine alitur, atque in omni crudelitate ſic exſultat, ut vix hominum acerbis funeribus ſatietur.* In his *in* ſignificat quaſi materiam ſubiectam exſultationi, quae cauſam praebet; ſimplex ablat. ut pro Roſc. c. 6. id quo efficitur, ut quis exſultet.

Deſcendit ad accuſandum pro Mil. XV, 40.

§. 89. *proprie.* vid. ad c. XVI. §. 37.

reipublicae cauſa, nullis inimicitiis, nullis praemiis, nulla hominum poſtulatione, aut etiam opinione, id umquam eſſe facturum? Fracti erant animi hominis: hoc enim accuſante priſtini illius ſui iudicii turpitudinem deſperabat. Ecce tibi conſul, praetor, tribunus plebis, nova novi generis edicta proponunt, Ne reus adſit, ne citetur, ne quaeratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum aut iudiciorum facere liceat. Quid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus, vi ſceleratorum hominum corroborata, legibus iudiciisque ſublatis? Cervices tribunus plebis privato, praeſtantiſſimus vir profligatiſſimo homini daret? an cauſam ſuſceptam affligeret? an ſe domi con-

nullis inimicitiis etc., quum nullae inimicitiae eſſent et ſic etiam in ſqq., quum nulla opinio eſſet hominum. Locis ad Manil. §. 22. adſcriptis adde de nat. d. I, 55. 98. *nonne et ſimillimis formis diſpares mores et moribus ſimillimis figura diſſimilis?* Cf. Ellendt ad Cic. Brut. 79, 273. Kritz. ad Sall. Catil. 11, 4. Verba *id umquam eſſe facturum* pendere e voc. *opinione* recte vidit Garat. Raro quidem, at nonnumquam tamen, Cicero infinitivos e ſubſt. nectit, ut de orat. II, 2, 7 *ut illa opinio, quae ſemper fuiſſet, tolleretur, alterum non doctiſſimum, alterum plane indoctum fuiſſe.* de fin. I, 16, 50. *iuſtitia ſemper allicit — ſpe, nihil ea rum rerum defuturum.* Offic. I, 6, 22. homines *ducuntur — ſpe, ſibi id utile futurum.* Pronomina autem, ſubiecti vi fungentia, ante infinit. nonnunquam omitti, monui ad or. pro S. Roſcio §. 61. (Accuſativus *eum* omittitur etiam Tuſc. V, 20, 57. *De hoc homine ſic ſcriptum accepimus. ſummam fuiſſe eius in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et induſtrium.* Cf. Acad. I, 10, 38) quamquam h. l. etiam facile excidere potuit *eum* ante *umquam*.

indicii turpitudinem deſperabat, deſperabat ſe ita elapſurum, ut olim in illo turpi de inceſtu iudicio elapſus erat. *Ern.* Vid. ad Att. I, 16, (epp. 9, §. 15 ſqq.)

Ecce cum irriſione ponitur quaſi de re, quam vix quisquam exſpectaſſet.

edicta proponunt. Dio Caſſ. 39, 7. *ἐγράψατο γὰρ αὐτὸν (Κλώδιον) ὁ Μίλων καὶ οὐκ ἐσήγαγεν. οὔτε γὰρ οἱ ταμίαι, δι' ὧν τὴν ἀποκλήρωσιν τῶν δικαστῶν γενέσθαι ἐχρῆν, ἤρηντο, καὶ ὁ Νέπως ἀπεῖπε τῷ στρατηγῷ μηδεμίαν πρὸ τῆς κληρώσεως αὐτῶν δίκην προσέσθαι. ἔδει δ' ἄρα τοὺς ἀγορανόμους πρὸ τῶν ταμιῶν καταστῆναι, καὶ διὰ τοῦτο ὅτι μάλιστα ἡ διατριβὴ ἐγένετο.* Aedilitatem autem petebat Clodius. vid. Dio ibid. c. 18.

Quid ageret, vid. §. 43. 46.

cauſam ſuſcept. affligeret, non tantum omitteret, ſed eo ipſo, quod eam omittebat, vanam redderet ac peſſumdaret.

tineret? Et vinci turpe putavit, et deterreri. Etiam e republica credidit, ut, quoniam ſibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in ſuo neque in reipublicae periculo pertimeſceret. Quomodo igitur hoc in genere XLII
praeſidii comparati accuſas Sextium, quum idem laudes 90
Milonem? An, qui ſua tecta defendit, qui ab aris, focis ferrum flammamque depellit, qui ſibi licere vult tuto eſſe in foro, in templo, in curia, iure praeſidium comparat; qui vulneribus, quae cernit quotidie toto corpore, movetur, ut aliquo praeſidio caput et cervices et iugulum ac latera tutetur, hunc de vi accuſandum putas? Quis enim 91
veſtrum, iudices, ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali neque civili iure deſcripto, fuſi per agros ac diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera aut eripere aut retinere potuiſſent? Qui igitur primi virtute et conſilio praeſtanti exſtiterunt, ii, perſpecto genere humanae docilitatis atque ingenii, diſſipatos unum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa ad iuſtitiam atque manſuetudinem transduxerunt. Tum res ad communem utilitatem, quas publicas appel-

e rep. credidit, ut pertimeſceret pro *pertimeſcere.*

c. XLII. §. 90. *hoc in genere* h. e. hac in re. Vid. Manut. ad epiſt. ad div. II, 1. Vorſtius de latin. ſel. p. 18 ſq. Heuſing. ad offic. 2, 3, 4.

iure praeſidium comparat. Haec, *qui ſua tecta — comparat* de Milone valent, ſeqq. *qui vulneribus* etc. de Sextio, ut eiusmodi argumentationes ex oppoſitis duci ſolent.

movetur, admonetur, monetur, quod ipſum in nonnullis Codd. legitur, quum a litteratore aliquo interpretationis cauſa adſcriptum eſſet. *Monetur* tamen praefert Garaton., qui laudat I. Fr. Gronov. diatr. ad Stat. Silv. V, 2, cap. 49. p. 323.

§. 91. *Quis enim veſtrum ignorat.* Eodem fere modo originem vitae civilis exponit Cic. de inv. I, 2, 2. Cf. Horat. ep. ad Piſ. 391 ſqq.

perſpecto gen. h. doc. Cic. de inv. l. c. *Quo tempore quidam, magnus videlicet vir et ſapiens, cognovit, quae materia eſſet et quanta ad maximas res opportunitas in animis hominum, ſi quis eam poſſet elicere et praecipiendo meliorem reddere.*

ad communem utilitatem refertur non ad *res*, ſed ad verbum aliquod vel *coniunctae*, quod ſequitur, vel potius ad aliud ex illo eliciendum, ut *conſtituerunt.* Nam in locis a Garaton. allatis, Verr. IV, 56 extr. ib. 15 in. Nat.

lamus, tum conventicula hominum, quae poſtea civitates nominatae ſunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus, invento et divino et humano iure, moenibus ſe-
92 pſerunt. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate et illam immanem nihil tam intereſt, quam ius atque vis; horum utro uti nolimus, altero eſt utendum. Vim volumus exſtingui; ius valeat neceſſe eſt, id eſt, iudicia, quibus omne ius continetur. Iudicia diſplicent, aut nulla ſunt; vis dominetur neceſſe eſt. Haec vident omnes; Milo et vidit et fecit, ut ius experiretur, vim depelleret; altero uti voluit, ut virtus audaciam vinceret, altero uſus neceſſario eſt, ne virtus ab audacia vinceretur. Eademque ratio fuit P. Sextii, ſi minus in accuſando (neque enim per omnes fuit idem fieri neceſſe) at certe in neceſſitate defendendae ſalutis ſuae praeſidioque contra vim et manum comparando.

XLIII O dii immortales! quemnam oſtenditis exitum nobis?
93 quam ſpem reipublicae datis? quotusquisque invenietur tanta virtute vir, qui optimam quamque cauſam reipu-

---

d. III, 34. additum eſt eſſe, non *ad* cum nudo ſubſt. iunctum.

domicilia, quas urbes dicimus. Huius conſtructionis exemplorum pleni ſunt libri grammatici; ſed ratio ab aliis alia redditur. Mihi Cicero et optimus quisque Latinorum tunc *qui* ad genus nominis ſequentis referre videntur, quum hoc vocabulum vel rei proprium eſt, ut h. l. *civitates, urbes,* vel id, quod praecipue notari et adverti volunt.

nihil tam intereſt quam ius atque vis i. e. vita humana et immanis nulla re tantum inter ſe differunt, quam iure atque vi. Sic Senec. nat. quaeſt. 1 praef. *Quid vobis et nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi?* Ductum ex eo, quod *intereſſe* proprie ſignificat interiectum eſſe, quod ipſum diſcrimen aliquod facit: hinc inter hunc et illum intereſt iuſtitia ac ſuperbia, proprie interiecta eſt et diſcrimen facit.

§. 92. *utro* pro utrocunque, vel ſi alterutro, ut de divin. II, 56, 116. *Utrum igitur eorum accidiſſet, verum oraculum fuiſſet.*

Vim volumus exſtingui pro ſi vim vol. exſt. Vid. ad or. pro S. Roſc. §. 55. et cf. Beier. ad Cic. off. III, 19. p. 323. Si vero accuratius loqui volumus, non omiſſa eſt *ſi* coni. ſed res ſimpliciter ponitur, tanquam quae fieri vel cogitari poſſit. Conf. Gramm. gr. p. 1292. d.

ut ius experiretur, accuſando Clodio; quo referendum etiam eſt quod ſequitur *ne virtus ab audacia vinc.*

blicae amplectatur, qui bonis viris deſerviat, qui ſolidam laudem veramque quaerat, quum ſciat, duo illa reipublicae paene fata, Gabinium et Piſonem, alterum haurire quotidie ex pacatiſſimis atque opulentiſſimis Syriae gazis innumerabile pondus auri, bellum inferre quieſcentibus, ut eorum veteres illibatasque divitias in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundat, villam aedificare in oculis omnium tantam, tugurium ut iam videatur eſſe illa villa, quam ipſe tribunus plebis pictam olim in concionibus explicabat, quo fortiſſimum ac ſummum civem
in invidiam homo caſtus ac non cupidus vocaret; alterum 94
Thracibus ac Dardanis primum pacem maxima pecunia vendidiſſe, deinde, ut illi pecuniam conficere poſſent, vexandam iis Macedoniam et ſpoliandam tradidiſſe, eundemque bona creditorum, civium Romanorum, cum debitoribus

---

c. XLIII. §. 93. *alterum haurire.* Dio Caſſ. XXXIX, 56. *ὁ Γαουΐνιος πολλὰ μὲν καὶ τὴν Συρίαν ἐκάκωσεν, ὥστε καὶ τῶν ληστικῶν, ἃ καὶ τότε ἤκμαζε, πολὺ πλείω σφισι λυμήνασθαι.* ibid. *παρεσκευάζετο ὡς ἐπὶ τοὺς Πάρθους καὶ τὸν πλοῦτον αὐτῶν στρατεύσων.* Ibid. 55. *πλέον ἢ μυρίας ἐκ τῆς ἀρχῆς μυριάδας ἥρπασε* (i. e. decies millenos mille thaleros)

tribunus pl. anno u. c. 687. C. Calpurnio Piſone, M'. Acilio Glabrione coſſ. *Fortiſſimus ac ſummus civis,* qui paulo poſt commemoratur, videtur eſſe L. Lucullus, quod ſuſpicatur P. Manutius.

caſtus. vid. ad or. pro l. Manil. I, 2.

§. 94. *vexandam his Maced.* de prov. conſul. 2, 4. *Macedonia — ſic a barbaris, quibus eſt propter avaritiam pax erepta, vexatur, ut — via illa noſtra, quae per Macedoniam eſt uſque ad Helleſpontum militaris, non ſolum excurſionibus barbarorum ſit infeſta, ſed etiam caſtris Thraciis diſtincta ac notata. Ita gentes eae, quae, ut pace uterentur, vim argenti dederant praeclaro noſtro imperatori, ut exhauſtas domos replere poſſent, pro emta pace bellum nobis prope iuſtum intulerunt.* Hinc *Macedonia condonata barbaris in* Piſ. 40, 96. Cf. ad c. 33 §. 71.

bona creditorum, civ. Rom. de prov. conſul. 4, 7. *Emiſti a foediſſimo trib. pl. — grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis in liberos populos contra SC et contra legem generi tui* (C. Caeſaris ab eo conſule latam, qua cautum erat, ne magiſtratus ius in civitatibus liberis dicerent.) *dicere liceret. Id emtum ita vendidiſti, ut aut ius non diceres, aut bonis cives Romanos everteres.* in Piſ. 40, 96. *cives Romani, qui in iis locis negotiantur, te unum ſolum ſuum depeculatorem, vexato-*

Graecis diviſiſſe, cogere pecunias maximas a Dyrrhachinis, ſpoliare Theſſalos, certam Achaeis in annos ſingulos pecuniam imperaviſſe, neque tamen ullo in publico aut religioſo loco ſignum aut tabulam aut ornamentum reliquiſſe. Hos ſic illudere, quibus omne ſupplicium atque omnis iure optimo poena debetur! reos eſſe hos duos, quos videtis! Omitto iam Numerium, Serranum, Aelium, quisquilias ſeditionis Clodianae; ſed tamen hi quoque etiam nunc volitant, ut videtis, nec, dum vos de vobis aliquid timebitis, illi umquam de ſe pertimeſcent. Nam
XLIV quid ego de aedile ipſo loquar, qui etiam diem dixit et
95 accuſavit de vi Milonem? neque hic tamen ulla umquam iniuria adducetur, ut eum tali virtute tantaque firmitate animi ſe in rempublicam fuiſſe poeniteat. Sed, qui haec vident, adoleſcentes, quonam ſuas mentes conferent? ille, qui monumenta publica, qui aedes ſacras, qui domos inimicorum ſuorum oppugnavit, excidit, incendit, qui ſti-

---

rem, praedonem, hoſtem veniſſe ſenſerunt. Ibid. 35, 86. Apolloniatas CC talenta Piſoni Romae dediſſe, ne pecunias creditas ſolverent. Hoc eſt *bona creditorum cum debitoribus Graecis dividere.* De flagitiis provincialibus Piſonis vide etiam in Piſ. c. 34 — 39.

illudere quaſi irridere malis artibus circumventos, ut ipſi iudiciorum poenam effugiant. Sed aptius videtur, quod coni. Garaton. ad Mil. 12 *eludere*, i. e. inſolenter ſe gerere, vel, ut ipſe explicat, bacchari quodammodo, et quaſi per ludum ac iocum, nemine reſiſtente, audaciſſime omnia permiſcere, ſubvertere, ut Verr. III, 4 *iſtum rebus omnibus ereptis impune eludentem circumfluere.*

quisquilias homines nullius pretii ad Att. I, 16 (epp. 9, 18) vocat etiam Taluam et Plautum et Spongiam; ut *nugas* Graecos comites Mil. 21, 55. Cf. ſupra §. 24; *quisqu. ſed. Clod.* participes ſed. Cl. ſed ne in ea quidem ponderis aliquid habentes.

aliquid timebitis, ideoque languebitis, nec fortiter eorum conatus reprimetis.

c. XLIV, §. 95. *de aedile ipſo*, Clodio.

accuſavit de vi Mil. Vid. Dio Caſſ. XXXIX, 18.

monumenta publica. Opinor intelligi porticum Catuli de Cimbricis manubiis exſtructam, quam Clodius, quia cum Ciceronis domo coniuncta erat, evertit. *Manut.*

aedes ſacras, aedem Nympharum. vid. ad c. 39, 84.

inimicorum ſuorum, M. Tullii et Quinti fratris, Milonis. ad Attic. IV, 3. (ep. XXXIV).

patus ſemper ſicariis, ſaeptus armatis, munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat, qui et peregrinam manum facinoroſorum concitavit, et ſervos ad caedem idoneos emit, et in tribunatu carcerem totum in forum effudit, volitat aedilis, accuſat eum, qui aliqua ex parte eius furorem exſultantem repreſſit; hic, qui ſe eſt tutatus ſic, ut in privata re deos penates ſuos, in republica iura tribunatus auſpiciaque defenderet, accuſare eum moderate, a quo ipſe nefarie accuſatur, per ſenatus auctoritatem non eſt ſitus.

Nimirum hoc illud eſt, quod de me potiſſimum tu 96
in accuſatione quaeſiſti, quae eſſet noſtra natio optimatium: ſic enim dixiſti. Rem quaeris et praeclaram iuventuti ad diſcendum, nec mihi difficilem ad perdocendum; de qua pauca, iudices, dicam, et, ut arbitror, nec ab utilitate eorum, qui audient, nec ab officio noſtro, nec ab ipſa cauſa

---

munitus indicibus, pro Muren. §. 49 *vallatus indicibus*, ubi vide quae adſcripſimus. Indices autem non minus periculi afferunt, quam ſicarii et armati, quamquam illi non ſtatim, ut hi, conſilium ſuum aſſequuntur.

peregrinam manum, fortaſſe ex Etruria conductam. Milon. c. IX. *Manut.*

carcerem. Vid. §. 78.

exſultantem repreſſit. Exſultare in omnibus dici, in quibus licentius nos gerimus, ex hoc loco et multis aliis docet Mencken. obſerv. l. lat. p. 391.

per ſenatus auctoritatem, quia, quae conſul, praetor, tribunus pl. edixerant §. 89. ea antea in ſenatu, ſententiis dictis, comprobata fuerant, ut explicat Manutius, qui laudat epiſt. Cicer. famil. I, 9 (epp. 41, 39).

§. 96. *Nimirum hoc illud eſt.* Videtur iam antea Cicero ſenatum vituperaſſe, quod accuſari Clodium a Milone non ſiviſſet; quam reprehenſionem paulo ante etiam non obſcure ſignificavit. Quae reprehenſio quum non ſatis convenire videretur ei, qui ſe optimatem haberi vellet, i. e. ſenatus partibus faventem, accuſator Tullus irridens ab eo quaeſiviſſe videtur, quosnam optimates diceret.

natio. vid. ad or. pro Mur. §. 69.

et praeclaram. Et cum Muellero recepi e codd. Oxon. quatuor. *Et — neque* ſaepe apud Cicer. ſibi reſpondent: vid. Goerenz. ad Cic. de legg. p. 15 ſq Beier. ad offic. III, 4, 20. p. 215. ſicut *neque — et:* vid. ad Sull. V, 17. *Et* cur omiſerint librarii, cauſa in aperto eſt, cur addiderint, nulla excogitari poteſt.

P. Sextii abhorrebit oratio mea. Duo genera ſemper
XLV in hac civitate fuerunt eorum, qui verſari in republica atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt, quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates et haberi et eſſe voluerunt. Qui ea, quae faciebant quaeque dicebant, multitudini iucunda eſſe volebant, populares, qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique
97 probarent, optimates habebantur. Qui ergo iſti? de numero ſi quaeris, innumerabiles: — neque enim aliter ſtare poſſemus — ſunt principes conſilii publici, ſunt, qui eorum ſectam ſequuntur, ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia, ſunt municipales

---

c. XLV. §. 96. *Duo genera fuerunt eorum, qui — ſtuduerunt.* Recitus *ſtuderent*, inquit Ern. In quo hanc locutionem confudiſſe videtur cum altera conſimili, *Fuerunt, qui ſtuderent.* Poſt *is qui* uſus legitimus eſt indicativi, niſi ubi res in cogitatione vel ſermone aliorum poſita indicatur, vel in *qui* vis particul. *quum* vel *quamvis* (vid. ad Roſc. §. 4. 23.) latet. Sin illa *duo genera eorum* omiſiſſet Cicero, haud dubie dixiſſet *Semper in hac civitate fuerunt qui ſtuderent*, non quo coniunctione rem incertam eſſe indicaret, quae mira eſt Heuſingeri explicatio ad Offic. p. 204. 9. cui explicationi plurimi Ciceronis aliorumque loci refragantur, ſed quia haec conſtans conſuetudo eſt optimorum ſcriptorum, ut, ubi ſententiae aliam adiiciunt, quae ad priorem explendam neceſſaria eſt, coniunctivum poſt *qui* ponant, quia ſic optime declaratur, alterum ab altero ne *cogitatione* quidem divelli poſſe. Sic ubi in ſententia a *qui* incipiente ſenſus adiectivi ineſt, plerumque praecedente adiectivo, *qui* coniunctivum aſciſcit, ut de divin. I, 1. in *Magnifica quidem res et ſalutaris, quaque proxime ad deorum vim natura mortalis* poſſit *aſcendere.* Multum etiam intereſt, utrum dicas, *Tum primum poetae exſtiterunt, qui alios ad eamdem artem tractandam* excitabant, quo indicatur duo diverſa commemorari, primum exſtitiſſe poetas, et hos excitaſſe, an *qui — excitarent*, quod ſignificat, non in eo ſummam ſententiae poſitam eſſe ut poetae exſtitiſſe dicantur, ſed certi generis poetas, qui excitarent. Idem fieri ſolere poſt *multi, pauci ſunt, duo ſunt* etc. monui ad Roſc. §. 35. Sed de his alius commodior locus erit uberius diſputandi. De *popularibus* cf. egregium locum Livii III, 68. Demoſt. Olynth. III p. 34, 14. quos locos adſcripſit Abram.

conſilii publici, vid. ad Roſc. 151.

quibus patet curia, etiamſi non ſunt ſenatores. Nam, ut ait Gellius N. A. III, 18. *nondum a Conſoribus in ſenatum lecti Senatores quidem non erant, ſed quia honoribus populi uſi quidem erant, in ſenatum veniebant et ſententiae ius habebant: nam et curulibus magiſtratibus functi, qui nondum a Conſoribus in ſenatores lecti erant, ſenatores non erant.* Cf. Valer. Maxim. II, 2, 1.

ruſticique Romani, ſunt negotii gerentes, ſunt etiam libertini optimates. Numerus, ut dixi, huius generis late et varie diffuſus eſt, ſed genus univerſum, ut tollatur error, brevi circumſcribi et definiri poteſt: omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Eſto igitur, ut hi ſint, quam tu nationem appellaſti, qui et integri ſunt et ſani et bene de rebus domeſticis conſtituti. Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republica ſerviunt, defenſores optimatium ipſique optimates, graviſſimi et clariſſimi cives numerantur et principes civi-
tatis. Quid eſt igitur propoſitum his reipublicae guber- 98
natoribus, quod intueri et quo curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt praeſtantiſſimum maximeque optabile omnibus ſanis et bonis et beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optimates, qui efficiunt, ſummi viri et conſervatores civitatis putantur: neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit,

---

negotii gerentes. Sic ex optimis Codd. auctore Garaton. edidit Orell. ut idem dedit Vatin. 5. pro *negotia gerentes.* Sic pro Quint. 19, 62. *eques Romanus ſui negotii bene gerens.* Nec in ſingulari haerendum eſſe monet Garat., quo Ciceronem tam ſaepe uti dicit, ut ſolenne apud eum ſit *negotium gerere.* Verr. II, 3. V, 60. de prov. conſ. 5. Lael. 23. Catil. II, 18. Quid intereſſet inter *negotia ger.* et *negotii ger.* optime docuit Zumptius Gramm. lat. §. 438. Uno verbo ſunt *negotiatores.*

Circumſcribi et definiri. de nat. d. II, 59. 147. *ſingulas res definimus circumſcripteque complectimur.* Proprie *circumſcribere rem* eſt eius terminos ſeu fines conſtituere, ex quo, quid ad eam pertineat, quid non, intelligitur. Hoc vero ipſum eſt *definire*, fines rei ſ. notionis deſignare. Graece ὁρίζειν ab ὅρος *finis, terminus.* Minus recte Ern. in clav. h. l. *circumſcribere* explicat complecti paucis.

qui et integri ſunt. integri opponuntur *nocentibus* et *natura improbis*, ſicut §. 98. *boni, ſani furioſis, bene de rebus domeſticis conſtituti* ſeu *beat* iis, qui *malis domeſticis impediti* ſunt.

§. 98. *cum dignitate otium.* Cf. de orat. I, 1. in. epp. famil. I, 9 (41, 61.)

ut otio non prospiciant, neque ullum amplexari otium,
XLVI quod abhorreat a dignitate. Huius autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra, quae tuenda principibus et vel capitis periculo defendenda sunt, religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iurisdictio, fides, provinciae, socii,
99 imperii laus, res militaris, aerarium. Harum rerum tot atque tantarum esse defensorem et patronum magni animi est, magni ingenii magnaeque constantiae. Etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum poenae, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesque reipublicae quaerant, aut qui propter insitum quendam animi furorem discordiis civium ac seditione pascantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quam suo, deflagrare. Qui quum auctores sunt et duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in republica fluctus excitantur; ut vigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriae depoposcerunt, enitendumque omni scientia ac diligentia, ut, conservatis his, quae ego paullo ante fundamenta ac membra esse dixi, tenere cursum possint et capere otii

---

c. XLVI, 99. *qui — quaerant* sunt *nocentes et* natura improbi §. 97. *qui pascantur* furiosi, *qui — deflagrare* malis domesticis impediti. Coniunctivus autem positus est, quia *magna multitudo eorum est, qui quaerant* idem valet, quod multi sunt, qui quaerant, de quo vid. ad Rosc. XIII §. 35. At in illis coniunctivus significat id, quod in cogitatione tantum positum est: Fin. V, 11, 31. *nec vero dico eorum metum mortis, qui, quia — arbitrentur, aut — extimescant, aut si metuant, mortem fugiant* i. e. quos mortem fugere ponimus. Rabir. Post. 11, 29. *nisi forte eos etiam, qui in hostes aut in latrones inciderint* etc. Nonnumquam coni. causam indicat, ut pro Lig. 8, 25. *quum eum accusatis, a quo quaeramini* etc. Vid. ad Rosc. §. 4.

pascantur, tamquam victum sibi inde quaerentes. Cf. pro Mil. 2. in. de offic. II, 11, 40. *qui scelere et maleficio pascuntur.*

communi incendio. Cf. Catil. IV, 7, 14. Ruhnk. ad Vellei. II, 91, 4.

omni scientia. Hinc supra *magni ingenii* esse dixit harum rerum defensionem esse. *Diligentia* autem ad *constantiam* refertur.

tenere cursum possint. Quod habet Herodot. I, 24. καὶ τοὺς μὲν ἀποπλέειν ἐς Κόρινθον, ita expressit Gellius XVI, 19 *navitae cursum, quem facere coeperant, tenuerunt.* Vide quoque infra

illum portum et dignitatis. Hanc ego viam, iudices, si 100
aut asperam atque arduam aut plenam esse periculorum aut insidiarum negem, mentiar; praesertim quum id non modo intellexerim semper, sed etiam praeter ceteros senserim. Maioribus praesidiis et copiis oppugnatur respu- XLVII
blica, quam defenditur, propterea quod audaces homines et perditi nutu impelluntur, et ipsi etiam sponte sua contra rempublicam incitantur, boni nescio quomodo tardiores sunt et, principiis rerum neglectis, ad extremum ipsa denique necessitate excitantur, ita ut nonnumquam cunctatione ac tarditate, dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant. Propugnatores 101
autem reipublicae qui esse voluerunt, si leviores sunt, desciscunt, si timidiores, desunt; permanent illi soli atque omnia reipublicae causa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, quem nulla umquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecit; aut qualis Q. Metellus, patruus matris tuae, qui quum florentem ho-

---

ad c. 47. Item III de N. D. 34. *navigabat Syracusas; isque, quum secundissimo vento cursum teneret* etc. *Garaton.*

c. XLVII. §. 100. *sponte sua.* Alias est *sua sponte*, qui ordo mutatus videtur h. l. quod *ipsi etiam* praecessit, quo vis, quae inest in *sua*, praecipitur.

boni nescio quomodo. Apte Abram. comparat locum Plinii epist. IV, 7. *Minor vis bonis, quam malis, inest, ac sicut ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει* (Thuc. II, 40) *ita recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia.* Formula *nescio quomodo* utitur Cicero, quum causam eius, quod dixit, indagare inutile esse putat.

§. 101. *desunt*, non adsunt, non defendunt rem. Similiter Phil. II, 29, in. *bello propter timiditatem defuisti:* cui loco Garaton. alios addit: de leg. III, 6. ad Att. 14, 13.

pater tuus. M. Scaurum eo anno praetorem fuisse, proximo rectorem Sardiniae, tertio repetundarum reum, subductis rationibus ad h. l. ostendit Manut. Eius pater est is, qui commemoratur pro Mur. 7, 16.

Q. Varium Sucronensem, qui trib. pl. a. u. c. 662 legem de maiestate tulit, qua postea ipse damnatus est, ut narrat Cic. Brut. 89, 305. *homo importunissimus* de nat. d. III, 33, 81. Garaton. laudat Wesseling. Observ. I, 11.

Q. Metellus Numidicus, *patruus matris tuae*, Caeciliae Metellae, filiae L. Caecil. Metelli,

minem in populari ratione L. Saturninum cenſor notaſſet, quumque inſitivum Gracchum contra vim multitudinis incitatae cenſu prohibuiſſet, quumque in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat, iurare unus noluiſſet, de civitate maluit, quam de ſententia, demoveri; aut, ut vetera exemplа, quorum eſt copia digna huius imperii gloria, relinquam, neve eorum aliquem, qui vivunt, nominem, qualis nuper Q. Catulus fuit, quem neque periculi tempeſtas, neque hominis aura potuit umquam de
XLVIII ſuo curſu vitae aut ſpe aut metu demovere. Haec imita-
102 mini, per deos immortales! qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaeritis; haec ampla ſunt, haec divina, haec

---

Dalmatici pontificis maximi, quae poſt mortem M. Scauri ſenioris Sullae dictatori nupſit, quo Fauſtum peperit, et Fauſtam, Milonis uxorem. Q. Metellus Numid. autem frater fuit Dalmatici. Vid. Garat. ad Verr. act. II. l. I c. 59.

inſitivum Gracchum, C. Quinctium Gracchum, qui ſe Tib. Gracchi filium ſimulabat eſſe, quo mendacio plebem uſque eo decepit atque induxit, ut tribunus pl. deſignatus ſit, quum tamen e Firmo Piceno obſcuriſſima ſtirpe atque adeo ſervili ſanguine genitus eſſet. Hinc *ille e compedibus et ergaſtulo Gracchus* pro C. Rabirio 7. *Manut.* De voce *inſitivus* ſ. *inſiticius* vid. interpretes ad Phaedr. III, 3, 10. Geſner ad Plin. epiſt. IV, 3, 5.

in eam legem. vid. c. XVI. *non iure.* Nos diceremus *verfaſſungswidrig.*

Demoveri et mox *demovere* recte Orell. pro *dimoveri.* (mutavit igitur ſententiam propoſitam ad or. pro Planc. p. 47 ed. Lipſ.) Nam, ut ait Forcel. in lex., quoties deorſum movendi ratio aliqua ſignificatur, per *de*, quoties vero in [aliam vel] diverſas partes, per *di* ſcribendum eſt, laudans Burm. ad Quintil. VII, 3. Cf. Heinſ. ad Ovid. Am. I, 5, 14. Graev. ad or. pro Sull. 1. Vulgatam tamen ſcripturam defendit Garaton. ad divin. in Caecil. c. 2. Verr. I, 17. et ad h. l.

Q. Catulus, conſul cum M. Lepido a. u. 675, is qui Ciceronem patrem patriae appellavit, et legi Maniliae reſtitit.

de ſuo curſu vitae. Sic Codd. Franc. Oxon. edd. vett. eamque lectionem defendit Garaton. Nam alii om. *vitae*, *de ſuo curſu vitae*, inquit, quem nempe ipſe delegerat, inſtituerat, quem in omni vita tenebat, aſperum atque difficilem, ſed glorioſum ſibi utilemque reip. *Curſum vivendi* appellat Cicero de offic. I, 32 ubi de illo deligendo diſſerit, et ibid. 33. *ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitae curſum ſequi vellent.*

immortalia; haec fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur. „Eſt labor;“ non nego; „pericula magna;“ fateor. *„Multae in ſidiae ſunt bonis.“* veriſſime dictum eſt. *„Sed, te id, quod multi invideant multique expetant, inſcitia ſit,* inquit, *poſtulare, ſi tu laborem ſumma cum cura efferas Nullum.“* Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi cives, *Oderint, dum*

Similes loci ſunt ad Div. I, 9 (epp. XLI, 45.) *hic meae vitae curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem et ſpeciem huius vitae intuentur.* XIII, 29. (epp. CI, 11) *pro ſtudiis et omni curſu noſtro totius vitae ſimillimo.* — Recte moreque Tulliano *ſuus curſus* dicitur abſolute, ut pro Planc. 21, 52 *ad curſum iſtum tenendum, quem a prima aetate ſuſcepiſti.* ad Div. I, 9 (XLI, 61) *ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius quam, eo commutato, quo velis, tandem pervenire.* quibus paria invenies pro Planc. 39. *Garaton.*

c. XLVIII. §. 102. *Multae inſidiae.* Plenus verſus eſt pro Planc. c. 24. *quae ille a Iove ortus ſuis praecipit filiis:*

Vigilandum eſt ſemper; multae inſidiae ſunt bonis.

Noſti cetera; nonne? quae ſcripſit gravis ille et ingenioſus poeta, non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, ſed ut nos et noſtros liberos ad laborem et ad laudem excitaret. Ex illis poetae verbis Garaton. cenſet conformatum locum Verr. V, 71. *Si tantulum oculos deiecerimus, praeſto eſſe inſidias: ſi ullum locum aperuerimus ſuſpicioni aut crimini, accipiendum eſſe ſtatim vulnus; eſſe nobis ſemper vigilandum, ſemper laborandum videmus.* Ultimum verſum *Oderint dum metuant* diſerte ex Atreo, quae fuit Accii fabula, petitum dicit Cicero de offic. I, 28. Cf. Senec. de ira I, 16. Hinc priores etiam ad eamdem fabulam vel eumdem poetam certe retulerunt Lambin. alii. Manutius ad or. pro Planc. 24. Atreum ab Accio induci haec Agamemnoni et Menelao (*regiis pueris* pro Planc. l. c.) praecipientem ſuſpicatur. Nec tamen video, cur non e diverſis fabulis haec ſumta eſſe exiſtimemus. Verſus ſic deſcripſit Bothe in Poët. Lat. ſcenicorum fr. V, 1. p. 284. partim poſt Scriverium p. 172. *Sed id, quod multi invideant multique expetant, inſcitia eſt. Te poſtulare, ſi laborem nulla cum cura efferas Nullum.*

laborem efferas nullum, pro ſimplici feras. Sic Lucret. I, 142. *quemvis efferre laborem.*

exciperent, arriperent, memoria tenerent, atque etiam imitatione uſque comprobarent, ut recte Manutius. Sic pro Planc. 23, 57. *nihil citius excipitur.* Excepit autem nequiſſimus et improbiſſimus imperator Caligula

103 *metuant.* Praeclara enim illa praecepta dederat iuventuti; ſed tamen haec via, haec ratio reipublicae capeſſendae olim erat magis pertimeſcenda, quum multis in rebus multitudinis ſtudium ac populi commodum ab utilitate reipublicae diſcrepabat. Tabellaria lex ab L. Caſſio ferebatur; populus libertatem agi putabat ſuam; diſſentiebant principes, et in ſalute optimatium temeritatem multitudinis et tabellae licentiam pertimeſcebant. Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat; grata erat populo, fortunae conſtitui tenuiorum videbantur; nitebantur contra optimates, quod ea diſcordiam excitari videbant, et, quum

---

apud Sueton. Calig. c. 30. Male pro verbo venatorio accepit Müller. — *quod exciperent*, quaſi hoc eo conſilio ille dixerit, ut excip. ad quod excipiendum per ſe promti erant.

§. 103. *ac populi commodum* e Lambini coniectura Schütz. Orell. pro *ad pop. comm.* Notandum autem populum h. l. opponi principibus et ſenatui, ut infra §. 104. quum alibi et nobiles et plebem complectatur.

Tabellaria lex pro Quum tabell. lex ferebatur, populus putabat, et ſic in ſqq. eadem ratione, qua pro *ſi* et eo quod e propoſita conditione ſequitur, duae enuntiationes iuxta ſe ponuntur, tanquam ſi altera ad alteram non referatur. vid. ad Roſc. §. 55. Cic. de leg. III, 15, 34. *Quis autem non ſentit, auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abſtuliſſe? quam populus liber nunquam deſideravit, idem oppreſſus dominatu ac potentia principum flagitavit.* ubi Turneb. citat or. de l. agr. III, 2. pro Planc. 6. *Tabellaria* autem iſta Caſſii, lata a. u. 616. ſanctum erat, ut tabellis etiam in iudicio populi ſententiae ferrentur praeterquam in iudicio perduellionis. vid. Cic. l. c. c. 16. Erneſt. clav. in ind. legum v. *Tabellariae.*

populus libertatem agi putabat ſuam, niſi illa lex perferretur. Hinc Cic. agr. I, 2. tabellam *vindicem tacitae libertatis* vocat. cf. de leg. III, 17, 39. et pro Planc. 6, 16. *populo grata eſt tabella, quae frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant, promittant autem, quod rogentur.* At Cicero cum optimatibus ſentiebat, de leg. III, 15, 34. *Quis non ſentit, auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abſtuliſſe? — — — Quamobrem — non latebra danda fuit populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque ſentiret, tabella vitioſum occultaret ſuffragium.*

Agrariam, ne quis agri plus quam quingenta iugera poſſideret. Vid. Erneſt. clav. Cic. ind. leg. v. *Semproniae.*

locupletes poſſeſſionibus diuturnis moverentur, ſpoliari rempublicam propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat; iucunda res plebi Romanae: victus enim ſuppeditabatur large ſine labore; repugnabant boni, quod et ab induſtria plebem ad deſidiam avocari putabant, et aerarium exhauriri videbatur. Multa etiam noſtra memoria, quae conſulto praetereo, XLIX
fuerunt in ea contentione, ut popularis cupiditas a conſilio principum diſſideret. Nunc iam nihil eſt, quod po- 104
pulus a delectis principibusque diſſentiat; nec flagitat rem ullam, neque novarum rerum eſt cupidus, et otio ſuo et dignitate optimi cuiusque et univerſae reipublicae gloria delectatur. Itaque homines ſeditioſi ac turbulenti, quia nulla iam largitione populum Romanum concitare poſſunt, quod plebs perfuncta graviſſimis ſeditionibus ac diſcordiis otium malle videatur, conductas habent conciones, neque id agunt, ut ea dicant aut ferant, quae illi velint audire, qui in concione ſunt, ſed pretio ac mercede perficiunt, ut, quidquid dicant, id illi velle audire videantur. Num vos exiſtimatis, Gracchos aut Saturninum aut quem- 105
quam illorum veterum, qui populares habebantur, ullum umquam in concione habuiſſe conductum? nemo habuit: ipſa enim largitio et ſpes commodi propoſiti ſine mercede ulla multitudinem concitabat. Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graves et honeſtos homines, ſed populi iudiciis atque

---

Frumentariam, qua ſancitum eſt, ut inopi plebi ſinguli modii venderentur a ſenatu triente cum ſemiſſe ($\frac{5}{6}$ aſſis) idque frumentum plebi dividendum ex aerario emeretur. Vid. Erneſt. ind. leg. v. *Frumentariae.*

c. XLIX. §. 103. *noſtra memoria.* Marii et Sullae temporibus. *Multa fuerunt in ea contentione* i. e. de multis eodem vel ſimili modo contendebatur.

§. 104. *a delectis* in ſummum ordinem, a ſenatu, qui de univerſa civitate pro cuiusque virtute ac meritis a Cenſoribus legi ſolitus erat. *Manut. Delecti viri* et *principes civitatis* iunguntur etiam Vatin. 9 extr.

quod plebs — malle videatur ex illorum hominum opinione dictum eſt, qui ipſi ſic locuti eſſent: non poſſumus concitare, quia, plebs — malle videtur; qui uſus facile ad eam conſuetudinem deflecti potuit, quam explicarunt Zumptius Gramm. lat. §. 551. Ramshorn p. 624. 6. Beier. ad Cicer. orat. fr. p. 130.

§. 105. *populi iudiciis*, quae magiſtratibus mandandis decla-

omni ſignificatione florebant. His in theatro plaudebatur; hi ſuffragiis, quod contenderant, conſequebantur; horum homines nomen, orationem, vultum, inceſſum amabant. Qui autem adverſabantur ei generi, graves et magni homines habebantur; ſed valebant in ſenatu multum, apud bonos viros plurimum, multitudini iucundi non erant; ſuffragiis offendebatur ſaepe eorum voluntas, plauſum vero etiam ſi quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccaſſet, pertimeſcebat. Attamen, ſi qua res erat maior, idem ille populus horum auctoritate maxime commovebatur.

L. Nunc, niſi me fallit, in eo ſtatu civitas eſt, ut, ſi
106 operas conductorum removeris, omnes idem de republica ſenſuri eſſe videantur. Etenim tribus locis ſignificari maxime populi Romani iudicium ac voluntas poteſt, concione, comitiis, ludorum gladiatorumque conſeſſu. Quae concio fuit per hos annos, quae quidem eſſet non conducta, ſed vera, in qua populi Romani conſenſus perſpici non poſſet? Habitae ſunt multae de me a gladiatore ſceleratiſſimo, ad quas nemo adibat incorruptus, nemo integer; nemo illum foedum vultum aſpicere, nemo furialem vocem bonus audire poterat. Erant, erant illae conciones perditorum hominum neceſſario turbulentae. Habuit de eodem me P. Lentulus conſul concionem.
107 Concurſus eſt populi Romani factus; omnes ordines, tota in illa concione Italia conſtitit. Egit cauſam ſumma cum gravitate copiaque dicendi, tanto ſilentio, tanta approbatione omnium, nihil ut umquam videretur tam populare ad populi Romani aures accidiſſe. Productus eſt ab eo Cn. Pompeius, qui ſe non ſolum auctorem meae ſalutis, ſed etiam ſupplicem populo Romano exhibuit. Huius oratio et pergravis et grata concioni fuit. Sic contendo, numquam neque ſententiam eius auctoritate, neque eloquentiam iucunditate fuiſſe maiore. Quo ſilentio ſunt au-
108 diti de me ceteri principes civitatis? quos idcirco non appello hoc loco, ne mea oratio, ſi minus de aliquo dixero, ingrata, ſi ſatis de omnibus, infinita eſſe videatur. Cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem. Quis non modo approbavit, ſed non indigniſſimum facinus putavit, illum non dicam loqui, ſed vivere ac ſpirare? quis fuit, qui non eius voce maculari rempublicam, ſeque, ſi eum audiret, ſcelere adſtringi arbitraretur? Venio ad comitia, LI
ſive magiſtratuum placet, ſive legum. Leges videmus 109
ſaepe ferri multas. Omitto eas, quae feruntur ita, vix ut quini, et hi ex alia tribu, qui ſuffragium ferant, reperiantur. De me, quem tyrannum atque ereptorem libertatis eſſe dicebat, in illa ruina reipublicae dicit ſe legem tuliſſe. Quis eſt, qui ſe, quum contra me ferebatur, iniſſe ſuffragium confiteatur? quum autem de me

---

rabant. vid. ad Roſc. §. 108. Manil. §. 43. *ſignificationo*, ut plauſu, ut mox ipſe rem explicat.

ſed valebant. Particula *ſed* Doering Chreſt. Cicer. p. 135, orationis nexum turbare videbatur. At dictum eſt pro: ſed, quum valerent in ſenatu multum — — multitudini iucundi non erant. Vid. ſupra ad §. 44 infra ad c. LXVI §. 138. *patiantur viros fortes.*

apud bonos viros. Significat etiam in populo fuiſſe, qui recte de rep. ſentirent. *Manut.*

peccaſſet, dixiſſet quod a cauſa principum et ſenatus ideoque a ſua ſententia abhorreret. Abram. laudat Plutarch. Phocion. c. 8. *ἐπεὶ δὲ λέγων ποτε γνώμην πρὸς τὸν δῆμον εὐδοκίμει καὶ πάντως ὁμαλῶς ἐώρα τὸν λόγον ἀποδεχομένους, ἐπιστραφεὶς πρὸς τοὺς φίλους εἶπεν· Οὐ δή πού τι κακὸν λέγων ἐμαυτὸν λέληθα;* et Diog. L. in Antiſth. VI, §. 5. extr. et 8.

c. L. §. 106, *niſi me fallit* ſc. opinio ſ. res i. e. niſi fallor. Sic pro Coel. 19, 45. *niſi me propter benevolentiam forte fallebat.* Cf. pro dom. 43, 113. ad Att. XIV, 12. offic. II, 7, 25. ubi Erneſt. qui ad h. l. alibi ſic nude poſitum non reperiri dicit, monet alibi quoque Ciceronem ſic dicere ſimpliciter. Cf. Ruhnk. ad Terent. Phorm. I, 3, 43.

operae conductorum, (pro quo ſupra c. XVII in. dixit *operas conductas*) ſunt operae ſ. homines operam ſuam alicui commodantes e conductis congregati, dictum ut *copiae peditum* ſim. pro copiae pedeſtres.

§. 107. *Productus eſt* vid. ad c. XIV. §. 33.

§. 108. *Quis non modo*, i. e. quis, ne dicam, appr. ut recte cepit Manut. Vid. Beier ad Cic. orat. pro Tull. p. 47. Cf. or. ad Quir. p. red. c. 2. ibique Heumann.

c. LI. §. 109 *quini* in ſingulis tribubus. Verbis *et hi ex alia tribu* Manutio notare videbatur populi confuſionem. Sed lectio incerta, quae dubium eſt, e codice MS an e coniectura recepta ſit a Naugerio. Optimi codd. habent *ex aliena tribu* i. e. non ex ea, in qua ſuffragium ferebant. Orell. *ex ima tribu* i. e. „ex unaquaque tribu, et hi infimae ſortis homines.“ Equidem *imam tribum* non memini usquam commemorari.

eodem ex ſenatusconſulto comitiis centuriatis ferebatur, quis eſt, qui non profiteatur ſe affuiſſe et ſuffragium de ſalute mea tuliſſe? Utra igitur cauſa popularis debet videri? in qua omnes honeſtates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una conſentiunt, an in qua furiae concitatae tamquam ad funus reipublicae convolant? An, ubicubi aderit Gellius, homo et fratre indignus, viro clariſſimo atque optimo conſule, et ordine equeſtri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta conſecit, id erit populare? eſt enim homo iſte populo Romano deditus; nihil vidi magis. Qui, quum eius adoleſcentia in ampliſſimis honoribus ſummi viri, L. Philippi vitrici florere potuiſſet, usque eo non fuit popularis, ut bona ſolus comeſſet; deinde ex impuro adoleſcente et petulante, poſteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philoſophorum regulam perduxit, Graeculum ſe atque otioſum putari voluit, ſtudio litterarum ſe ſubito dedidit. Nihil

110

---

omnes honeſtates civitatis, i. e. quidquid in civitate honeſtum eſt, ut explicat Geſsner. in theſ. vel, ut Forcell. omnes honeſti viri, ſeu qui honoribus functi ſunt et adhuc funguntur. At nusquam alibi hoc vocabulum de hominibus uſurpatum invenitur. Garat. ad Milon. c. 8. p. 95 ob nihil, niſi ob pluralem, laudat locum. Orellio legendum videbatur *poteſtates*, quod ſimili vi legitur §. 56 et 98. *Omnes aet. omnes ord.* idem eſt quod Catil. IV, 7, 14 *omnes omnium ordinum homines, omnium denique aetatum.* Alibi commemorantur *omnes boni omnium generum atque ordinum*, ut Sull. 10, 29. ſupra 11 in. Piſ. 22, 52. 40, 96.

§. 110. *Gellius*, is quem in Vatin. c. 2. *nutriculam ſeditioſorum* nominat. *Manut.* Eius frater fuit L. Gellius, conſul anni 681 cum Lentulo, biennio ante cenſor. Ciceroni civicam deberi dixit, in Piſ. 3, 6. *optimo conſule*, qui optimus conſul fuit. Sic *conſul* vocatur is, qui olim conſul fuit pro Sull. 4, 11. 10, 30.

ornamenta, cenſum equeſtrem, quadringentorum millium numum ſ. 12500 thal. In eo poſita etiam eſt *dignitas equeſtris*, et *ſplendor*.

L. Marcii *Philippi*, conſulis a. 662 cum Sext. Iulio Caeſare, homine eloquente, vid. Brut. 47 in.

ab idiotarum divitiis, quas indocti, non philoſophi, admirantur, ut explicat Erneſt. in clav. Faceta eſt igitur irriſio hominis, quaſi, ſubito philoſophus factus, divitias contemſerit, quas effuderat. Uberius haec ſic declaravit Moſer. in libello ſchol. a. 1828 p. 27. „Iſte vero homo luxurioſus quum divitias conſumpſiſſet, philoſophum agere coepit, idiotarum, dicens, non virorum ſapientium iſtae ſunt, quas habebam, divitiae; ego vero eas perduxi ad regulam philoſophorum, id eſt, ita imminui, ut iam habeam eas, quas philoſophi, Stoici potiſſimum, divitias dicunt, qui omnes eſſe divites contendunt, qui coelo et terra frui poſſunt (cf. epp. fam. VII, 16.) His ego iam fruor; quare ad philoſophorum regulam dives ſum, et ſtudio litterarum, cui me nunc dedere inſtitui, ditior etiam. In nota ſubiecta *idiotas* monet non eſſe *homines privatos*, ſed *philoſophis* ſapientibusque oppoſitos, et ad rem conferri iubet Lipſ. Manuduct. ad philoſoph. Stoic. III, 11. p. 779 — 783. T. IV. ed. Veſal.

Attae iuv. anagnoſtae. Quis fuerit ille Atta, ignotum eſt, fortaſſe T. Quinctius Atta togatarum, etiam epigrammatum et ſatirarum ſcriptor. vid. Fabric. Bibl. lat. T. III p. 240. De eo locum cepit etiam P. Victorius V. L. 22, 17. Ita *Attae anagnoſtae* nominati eſſent pro carminibus Attae, laſcivis fortaſſe et ad idiotas delectandos idoneis, quae Gellium non amplius *iuvabant* i. e. delectabant, quum philoſophum ſe eſſe ſimularet, revera quod pecunia ad anagnoſtas emendos et nutriendos neceſſaria non amplius ſuppetebat. Sed vera ſive explicatio ſive ſcriptura latet.

otio et tranqu. Addendum puto *in*, *in otio*. Nam praepoſitiones repetere ſolet Cicero, ubi res diverſae commemorantur. Sed poteſt etiam nudo ablativo deſignari id, quo factum eſt, ut conſeneſceret.

Conſeneſcebat. Vid. ad Milon. c. VIII.

c. LII. §. 111. *epulis et gratulationibus.* Cf. ſupra XXIV, 54. in Piſon. 10 in. *Quid ego illorum dierum epulas, quid laetitiam et gratulationem tuam, quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus intemperantiſſimas perpotationes prae-*

ſane Attae iuvabant anagnoſtae; libelli etiam pro vino ſaepe oppignerabantur; manebat inſaturabile abdomen, copiae deficiebant. Itaque ſemper verſabatur in ſpe rerum novarum; otio et tranquillitate reipublicae conſeneſcebat. Ecquae ſeditio umquam fuit, in qua non ille princeps? ecqui ſeditioſus, cui ille non familiaris? ecquae turbulenta concio, cuius ille non concitator? Cui bene dixit umquam bono? bene dixit? imo, quem fortem et bonum civem non petulantiſſime eſt infectatus? qui, ut credo, non libidinis cauſa, ſed ut plebicola videretur, libertinam duxit uxorem. Is de me ſuffragium tulit, is affuit, is interfuit epulis et gratulationibus parricidarum. In quo tamen eſt me ultus, cum

LII

111

illo ore inimicos eſt meos ſuaviatus. Qui, quaſi mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipſam cauſam eſt mihi inimicus, quia nihil habet. Utrum ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comediſti? quid? tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii, helluabare, ut, ſi ego conſul rempublicam contra te et gregales tuos defendiſſem, in civitate eſſe me nolles? Te nemo tuorum videre vult; omnes aditum, ſermonem, congreſſum tuum fugiunt; te ſororis filius Poſtumius, adoleſcens gravis ſenili iudicio notavit, quum in magno numero tutorem liberis non
112 inſtituit. Sed elatus odio, et meo et reipublicae nomine, quorum ille utri ſit inimicior, neſcio, plura dixi quam dicendum fuit, in furioſiſſimum atque egentiſſimum ganeonem. Illuc revertor: contra me quum ſit actum, capta urbe atque oppreſſa, Gellium, Firmidium, Titium eiusdem modi furias, illis mercenariis gregibus duces et auctores fuiſſe, quum ipſe lator nihil ab horum turpitudine, audacia, ſordibus abhorreret. At, quum de dignitate mea ferebatur, nemo ſibi nec valitudinis excuſationem nec ſenectutis ſatis iuſtam putavit; nemo fuit, qui ſe non rempublicam mecum ſimul revocare in ſuas ſedes arbi-
LIII traretur. Videamus nunc comitia magiſtratuum. Fuit
113 collegium nuper tribunicium, in quo tres minime, vehe-

---

dicem? et quae ſequuntur. *Gratulatio* autem non eſt, quam nos dicimus, ſed gaudii teſtificatio, qua quis diis tanquam gratias agit ob felicem rei eventum; unde ſaepe cum laetitia coniungitur, ut in Piſon l. c. Verr. IV, 34, 74. pro Flacc. 39, 98. ad Attic. IV, 10. Phil. X in.

ſenili iudicio. Abram. comparat Pindar. Ol. 4, 39. *φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας χρόνον.* Pyth. 4, 501. *κεῖνος γὰρ ἐν παισὶν νέος, ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς ἐγκύρσας ἑκατονταετεῖ βιοτᾷ.* (Cf. Pyth. 2, 121.) Aeſchyl. S. c. Th. 624. *γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἠβῶσαν φέρει.* Virg. Aen. 8, 510, *pulcher Iulus Ante annos animumque gerens curamque virilem.* Cf. Ellendt ad Cic. Brut. §. 265.

in magno numero, tutorum, quos teſtamento ſcripſerat filio. *Ern.* Ignominioſum autem erat, quod monuit Abram, teſtamento conſanguineorum improbari, nec liberis tutorem inſtitui. Vid. pro dom. 19, 32. Phil. II, 16. Suet. Aug. 66.

§. 112. *illuc*, ad id, de quo dicere inſtitui. Cluent. 41. in. *ut illuc revertar.* Cf. Corn. Nep. Dion. 4 extr. Ageſil. 4, *ſed illuc redeamus.* Eumen. 8. *ſed ad illos revertar.*

c. LIII. §. 113. *nuper*, biennio ante, Caeſare et Bibulo coſſ.

menter duo populares exiſtimabantur. Ex his, qui populares non habebantur, quibus in illo genere conductarum concionum conſiſtendi poteſtas non erat, duo a populo Romano praetores video eſſe factos, et, quantum ſermonibus vulgi et ſuffragiis intelligere potui, prae ſe populus Romanus ferebat, ſibi illum in tribunatu Cn. Domitii animum conſtantem et egregium, et Q. Ancharii fidem ac fortitudinem, etiam ſi nihil agere potuiſſent, tamen voluntate ipſa gratam fuiſſe. Iam de C. Fannio quae ſit exiſtimatio, videmus; quod iudicium populi Romani in honoribus eius futurum ſit, nemini dubium eſſe debet. Quid? populares illi duo quid egerunt? alter, 114
qui tamen ſe continuerat, tulerat nihil; ſenſerat tantum de republica aliud, atque homines exſpectabant, vir et bonus et innocens et bonis viris ſemper probatus; quod parum videlicet intellexit in tribunatu, quid vero populo probaretur, et quod illum eſſe populum Romanum, qui in concione erat, arbitrabatur, non tenuit eum locum, in quem, niſi popularis eſſe voluiſſet, facillime perveniſſet; alter, qui ita ſe in populari ratione iactarat, ut auſpicia, legem Aeliam ſenatus auctoritatem, conſulem, collegas, bonorum iudicium, nihili putaret, aedilitatem petivit cum bonis viris et hominibus primis, ſed non praeſtantiſſimis opibus, et gratia; tribum ſuam non tulit; Palatinam de-

---

§. 114. *alter, qui tamen.* Videtur eſſe C. Alfius, ut iam monuit Abram. Is enim in petitione praeturae repulſam tulit. Vid. in Vatin. c. 16. Schütz. cum Pighio Q. Caecilium Metellum Scipionem intelligit. Vid. ſummarium p. *alter qui ſe — iactarat*, eſt Vatinius.

opibus. De quo populus bene exiſtimat, quem civitas diligit, cui favet, is valere opibus recte et Latine dicitur: *opes* enim eſt id, quo poſſumus, ſive bona fama ſit, ſive divitiae, ſive bellica copia, ſive quidvis aliud. *Manut.*

tribum ſuam, Sergiam, quod Manut. demonſtravit ex or. in Vatin. 15 extr. *Ob haſce omnes res ſciasne te ſeveriſſimorum hominum, Sabinorum, fortiſſimorum hominum, Marſorum et Pelignorum, tribulium tuorum iudicio notatam, nec poſt Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam tribum Sergiam perdidiſſe.*

Palatinam, unam e quatuor urbanis, in quam Servius Tullius, et anno u. 449 Q. Fabius cenſor *omnem forenſem turbam excretam*, humillimos et libertinos, coniecit. Liv. IX, 46.

nique, per quam omnes illae peſtes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit, nec quidquam illis comitiis, quod boni viri vellent, niſi repulſam, tulit. Videtis igitur, populum ipſum, ut ita dicam, iam non eſſe popularem, qui ita vehementer eos, qui populares habentur, reſpuat, eos autem, qui ei generi adverſantur, honore
LIV digniſſimos iudicet. Veniamus ad ludos. Facit enim,
115 iudices, veſter iſte in me animorum oculorumque coniectus, ut mihi iam licere putem remiſſiore uti genere dicendi. Comitiorum et concionum ſignificationes interdum verae ſunt, nonnumquam vitiatae atque corruptae; theatrales gladiatoriique conſeſſus dicuntur omnino ſolere levitate nonnullorum emptos plauſus exiles et raros excitare. Attamen facile eſt, quum id fit, quemadmodum, et a quibus fiat, et quid integra multitudo faciat, videre. Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi civium maxime applaudatur? neminem veſtrum fallit. Sit hoc ſane leve, quod non ita eſt, quoniam optimo cuique impertitur; ſed, ſi eſt leve, homini gravi leve eſt, ei vero, qui pendet a rebus leviſſimis, qui rumore et, ut ipſi loquuntur, favore populi tenetur et ducitur, plauſum im-
116 mortalitatem, ſibilum, mortem videri neceſſe eſt. Ex te igitur, Scaure, potiſſimum quaero, qui ludos apparatiſſimos magnificentiſſimosque feciſti, ecquis iſtorum popularium tuos ludos adſpexerit, ecquis ſe theatro populoque Romano comiſerit. Ipſe ille maxime ludius, non ſolum ſpectator, ſed actor et acroama, qui omnia fororis embolia novit, qui in coetum mulierum pro pſaltria adducitur, nec tuos ludos adſpexit in ullo ardenti tribunatu ſuo, nec ullos alios,

---

vexare populum Rom. Probabilis eſt Garaton. coniectura legentis *vexare remp.* Conf. pro Mil. 9.

quod boni viri vellent, ut poenam ſua improbitate dignam.

c. LIV. §. 115. *remiſſiore*, minus adſtricto certis regulis, quae extra argumentum propoſitum egredi vetarent. Cf. pro Arch. 1, 3.

§. 116. *qui ludos.* Cf. de offic. II, 16, 57. ibique Beier. p. 112.

ecquis — ſe commiſerit. Vid. ad or. pro S. Roſc. §. 64. Similiter de ludorum ſignificatione loquitur in Piſ. 27, 65.

pro pſaltria adducitur, tum quum ad ludos Bonae Deae penetravit *λαβὼν ἐσθῆτα καὶ σκευὴν ψαλτρίας*, ut ait Plut. v. Cicer. 28. Hinc ei exprobratur *inceſſus pſaltriae* in fr. or. in Clod. p. 105 ed. Beier. Cf. p. 106. et vocatur *ſaltatrix tonſa* in Piſ. 8 extr.

niſi eos, a quibus vix vivus effugit. Semel, inquam, ſe ludis homo popularis commiſit omnino, quum in templo Honoris Virtutis honos habitus eſſet virtuti, Caiique Marii, conſervatoris huius imperii, monumentum municipi eius et reipublicae defenſori ſedem ad ſalutem praebuiſſet. Quo quidem tempore quid populus Romanus LV
ſentire ſe oſtenderit, utroque in genere declaratum eſt, 117
primo, quum, audito ſenatus conſulto, auctori ipſi atque abſenti ſenatui plauſus eſt ab univerſis datus, deinde, quum ſenatoribus ſingulis ſpectatum e ſenatu redeuntibus. Quum vero ipſe, qui ludos faciebat, conſul aſſedit, ſtantes et manibus paſſis gratias agentes et lacrymantes gaudio ſuam erga me benevolentiam ac miſericordiam declararunt. At, quum ille furibundus, incitata illa ſua vecordi mente, veniſſet, vix ſe populus Romanus tenuit, vix homines odium ſuum a corpore eius impuro atque infando

---

eos a quibus vix vivus effugit, eo die quo in templo Virtutis de Ciceronis reditu ſenatus conſultum factum eſt. Vid. §. 117.

in templo Honoris Virtutis, i. e. in templo, quod Honori Virtutis a Mario de manubiis Cimbricis dedicatum erat, ut explicat Garaton. in excurſ. XIII ad c. 32 or. pro Plancio. Aliud eſt templum Honoris et Virtutis, a Marcello multo ante exſtructum.

ſedem ad ſalutem praebuiſſet, quum excepit eos, qui de Ciceronis ſalute decreverunt. Cf. pro Planc. 32, 78.

c. LV. §. 117. *quid oſtenderit p. R. ſentire ſe* i. e. quomodo pop. R. animi ſenſus palam fecerit. Sic Doering in Chreſtom. Cicer. p. 116. Obſtat tamen, quod ſequitur *declaratum eſt*. Satis enim erat dicere *quid pop. Rom. ſenſerit, declaratum eſt*. Sed videtur eſſe genus pleonaſmi, ſimile ei, de quo ſupra ad §. 104. de Offic. I, 13. *Quum enim Hannibalis permiſſu exiſſet de caſtris, rediit paulo poſt, quod ſe oblitum eſſe neſcio quid diceret*, pro quod neſcio quid oblitus eſſet. Verr. V, 38. *Dicebant, quos ex ſua quisque navi miſſos ſciret eſſe* pro qui ex ſua cuiusque navi miſſi eſſent. Cf. Zumpt. gramm. lat. §. 750. Alienum videtur, quod Garaton. affert e Verr. II, 18. *Neque enim permiſſum eſt, ut impune nobis liceat* etc.

auctori ipſi ſive Lentulo conſuli, qui de Ciceronis reditu retulerat, ſive Cottae aut Pompeio, qui ſententiae eius principes erant. Dedi e coniectura Memmii Lambino commemorata, quod intelligi poſſet: nam vulgata lectio *ore ipſi* ſenſu caret.

ſtantes ut gaudium ſuum magis etiam declararent. Lael. 7, 24 *ſtantes plaudebant in re ficta.*

repreſſerunt; voces quidem et palmarum intentus et ma-
118 ledictorum clamorem omnes profuderunt. Sed quid ego populi Romani animum virtutemque commemoro, libertatem iam ex diuturna ſervitute reſpicientis, in eo homine, cui tum petenti iam aedilitatem ne hiſtriones quidem coram ſedenti pepercerunt? Nam quum ageretur togata, Simulans, ut opinor, caterva tota clariſſima concentione in ore impuri hominis imminens concionata eſt. *Huic vitae tuae — et, Poſt principia atque exitus vitioſae vitae!* Sedebat exanimatus, et is, qui antea cantorum convicio conciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorum vocibus eiiciebatur. Et, quoniam facta mentio eſt ludorum, ne illud quidem praetermittam, in magna varietate ſententiarum numquam ullum fuiſſe locum, in quo aliquid a poëta dictum cadere in tempus noſtrum videretur, quod aut populum univerſum fugeret, aut non exprime-
119 ret ipſe actor. Et — quaeſo hoc loco, iudices, ne qua me levitate ductum ad inſolitum genus dicendi labi putetis,

---

§. 118. *libertatem reſpicientis*, cuius curam haberet, quamque reſtitui vellet. Sic dii *reſpicere homines* dicuntur, et *Fortuna reſpiciens* commemoratur a Cicer. de leg. II, 11. Iterum aſpicientis explicat Garaton. qua vi dubito an vox illa nusquam poſita ſit.

togata. Simulans fabula erat Afranii, togatarum auctoris nobilis. Eam laudant etiam Feſtus v. *numero*, Nonius v. *icit* et *auſcultare*. Vid. Abram. *in ore imp. h.* coram, ut Verr. II, 33, 81. *quae in foro palam Syracuſis, in ore atque in oculis provinciae geſta ſunt.* Cf. pro S. Roſc. VI, 16. Non iungenda autem *in ore imminens*, ſed *in ore concionata eſt, imminens* ei, Clodio. Sic etiam Doering. l. c.

cantorum convicio. Exemplum habet Plutarch. v. Pompei. laudatus ab Abramio, c. 48 extr. *προελθόντος αὐτοῦ (Πομπηΐου) πρός τινα δίκην, (Κλώδιος) ἔχων ἐφ' αὑτῷ πλῆθος ἀνθρώπων ἀσελγείας καὶ ὀλιγωρίας μεστὸν, αὐτὸς μὲν εἰς ἐπιφανῆ τόπον καταστὰς ἐρωτήματα τοιαῦτα προὔβαλλε· τίς ἐστιν αὐτοκράτωρ ἀκόλαστος; τίς ἀνὴρ ἄνδρα ζητεῖ; τίς ἐνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν; Οἱ δ', ὥσπερ χορὸς εἰς ἀμοιβαῖα συγκεκροτημένος, ἐκείνου τὴν τήβεννον ἀνασείοντος, ἐφ' ἑκάστῳ μέγα βοῶντες ἀπεκρίναντο· Πομπήϊος.* Simile quid narrant Cic. ad Qu. fr. II, 3. et Dio Caſſ. XXXIX, 19. *Cantores* autem homines illos mercenarios vocat ob ſimilitudinem, et ut oppoſitione gravior eſſet irriſio.

§. 119. *Et — quaeſo.* Additurus erat poſt *Et* illa, quae §. 120 ſequuntur, *Quid fuit illud, quod recenti nuntio de illo*

ſi de poëtis, de hiſtrionibus, de ludis in iudicio loquar. Non ſum tam ignarus, iudices, cauſarum, non tam inſo- LVI
lens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper, et omnes undique floſculos carpam atque delibem. Scio, quid gravitas veſtra, quid haec advocatio, quid ille conventus, quid dignitas P. Sextii, quid periculi magnitudo, quid aetas, quid honos meus poſtulet. Sed mihi ſumpſi hoc loco doctrinam quandam iuventuti, qui eſſent optimates; in ea explicanda demonſtrandum eſt, non eſſe populares omnes eos, qui putentur. Id facillime conſequar, ſi univerſi populi iudicium verum et incorruptum, et ſi intimos ſenſus civitatis expreſſero. Quid fuit illud, 120
quod, recenti nuntio de illo ſenatusconſulto, quod factum eſt in templo Virtutis, ad ludos ſcenamque perlato, conſeſſu maximo, ſummus artifex et mehercule ſemper partium in republica, tamquam in ſcena, optimarum, flens, et recenti laetitia et mixto dolore ac deſiderio mei, egit aperte multo gravioribus verbis meam cauſam, quam egomet de me agere potuiſſem? ſummi enim poëtae in-

---

SC etc. Sed abrumpit orationem, ut inſolitum hoc in iudiciis dicendi genus excuſet.

c. LVI. *inſolens in dicendo*, forma dicendi ipſa eſt paulo inſolentior pro *inſ. dicendi*. Similiter *rudis rei* et *rudis in re* dicitur.

advocatio, ii qui ſuam praeſentiam, ut Pediani verbis utar, commodant reo. *Manut. ille conventus*, corona civium qui circumſtant iudicium.

quid aetas, quid honos. de orat. III, 55, 211. *quales ipſi quoque oratores, qua ſint aetate, honore, auctoritate, debet videri.*

§. 120. *ſummus artifex*, Aeſopus, tragoediarum actor.

ſummi poetae, Ennii, e cuius Andromacha hos verſus ſumtos eſſe ex eo colligitur, quod c. LVII
121 ſubiungitur ex eadem fabula petita eſſe *O pater — — Haec omnia vidi inflammari*, quae ad illam fabulam veriſimiliter retulerunt Scriverius p. 19. et Bentlei. ad Cic. Tuſc. III, 19. Sed mihi quidem res nondum certa eſſe videtur: neque enim usquam fabulam diſerte commemoratam inveni. Si ſunt ex Andromacha, priores verſus non poſſunt a Telamone pronunciati eſſe: nec enim quomodo in eadem fabula Andromacha et Telamon induci potuerint, perſpicio. Videtur potius Andromacha, quum captiva in Graeciam abducta eſſet, percontanti alicui, quis exitus ducum Graecorum fuiſſet, narraſſe cum de aliis, tum de Teucro, ille vero his verſibus exclamaſſe. Bothius illa *O pater — Haec omnia vidi inflamm.* ad Ennii An-

genium non ſolum arte ſua, ſed etiam dolore exprimebat. Quid enim? *qui rempublicam certo animo adiuverit, ſtatuerit, ſteterit cum Achivis.* Vobiscum me ſtetiſſe dicebat, veſtros ordines demonſtrabat. Revocabatur ab univerſis. *Re dubia, nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit.*
121 Haec quantis ab illo clamoribus agebantur? quum iam, omiſſo geſtu, verbis poëtae et ſtudio actoris et exſpectationi noſtrae plauderetur? „*Summum amicum, ſummo in bello* — (nam illud ipſe actor adiungebat amico animo, et fortaſſe homines propter aliquod deſiderium approba-
LVII bant) *ſummo ingenio praeditum.* Tum illa quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paullo poſt in eadem fabula ſunt acta? *O pater!* — Me, me ille abſentem, ut patrem, deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii ſaepe in ſenatu patrem patriae nominarant. Quanto cum fletu de illis noſtris incendiis ac ruinis, quum patrem puſſum, patriam afflictam deploraret, domum incenſam everſamque, ſic egit, ut demonſtrata priſtina fortuna quum ſe convertiſſet. *Haec omnia vidi in-*

---

dromacham retulit p. 35 priores vero et ſequentes verſus in fragm. incertorum tragicorum poſuit p. 286, additis etiam illis, quae Cicero ab ipſo actore adiuncta eſſe dicit, *ſummo ingenio praeditum*, a quo errore ne Garaton. quidem ſibi cavit. Is, voces *Quid enim?* non poetae, ſed Tullii eſſe contendens, ſic hos verſus deſcripſit,

— — — *certo animo qui rem publicam*
Adiuverit, ſtatuerit, ſteterit cum Achivis; re dubia
Nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit.

Tertius eſt trochaicus: at ſecundus iambicus, qui verſus inter ſe pugnant. *Adiuverit* primo verſui addendum in clauſula — ∪ — ∪| qui rem públicam certo animo adiuverit (Herm. coni. Quid enim? qui rempúblicam c. an. incertam adiúverit) Státuerit, ſteterít cum Achivis — ∪ — re dúbia. Nec dubit.

§. 121. *ſtudio actoris*, qui tantum in me ſtudium tantamque affectionem in agendo declarabat; *exſpectationi noſtrae*, quia reditum noſtrum exſpectabant. *E Manut.*

c. LVII. *patrem patriae.* Cf. in Piſ. 3. Catoni hoc tribuunt Plutarch. v. Cicer. 23 extr. Appianus de b. civ. II, 7. (T. II, p. 183 Schweigh.)

demonſtrata priſtina fortuna, Tuſc. III, 19, *exaggeratis regis opibus, quae videbantur ſempiternae fore, quid adiungit? Haec omnia etc. quum ſe convertiſſet*, ad ſpectatores: nam iis quae praecedebant, patrem, domum, patriam, abſentes allocutus erat.

flammari: — fletum etiam inimicis atque invidis excitaret. Pro, dii immortales! quid illa, quemadmodum dixit 122
idem? (quae mihi quidem ita et acta et ſcripta videntur eſſe, ut vel a Catulo, ſi revixiſſet, praeclare poſſe dici viderentur: is enim libere reprehendere et accuſare populi nonnumquam temeritatem ſolebat aut errorem ſenatus:) *O ingratifici Argivi, inanes Graii, immemores beneficii!* Non erat illud quidem verum: non enim ingrati, ſed miſeri, quibus reddere ſalutem, a quo acceperant, non liceret, nec unus in quemquam umquam gratior, quam in me univerſi. Sed tamen illud ſcripſit diſertiſſimus poëta pro me, egit fortiſſimus actor, non ſolum optimus, de me, quum omnes ordines demonſtraret, ſenatum, equites Romanos, univerſum populum Romanum accuſaret: *Exſulare ſinitis, ſiſtis pelli, pulſum patimini.* Quae tum ſignificatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab univerſo populo Romano in cauſa hominis non popularis, equidem audiebam, exiſtimare facilius poſſunt, qui adfuerunt. Et, quoniam me huc provexit oratio, LVIII
hiſtrio caſum meum toties collacrymavit, quum ita do- 123
lenter ageret cauſam meam, ut vox eius illa praeclara lacrymis impediretur. Neque poëtae, quorum ego ſemper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt, eaque populus Romanus non ſolum plauſu, ſed etiam gemitu ſuo comprobavit. Utrum igitur haec Aeſopum potius pro me aut Accium dicere oportuit, ſi populus Romanus liber eſſet, an principes civitatis? Nominatim ſum appellatus in Bruto, *Tullius, qui libertatem civibus ſtabili-*

---

§. 122. *ſi revixiſſet.* Perierat inter Ciceronis conſulatum et exilium. *Manut.* a. u. 692. Piſone et Meſſala coſſ. Dio Caſſ. XXXVII, 46.

pro me, ſic ut optime convenirent huic meae fortunae, ut explicat Graev. ad c. LVIII §. 123. ut ad meam cauſam agendam adhiberi poſſent.

fortiſſimus actor, quia libere egit, ſuumque mei deſiderium, nullo metu perterritus, aperte demonſtravit. *Manut.*

c. LVIII. §. 123. *Nec poetae — tempori meo defuerunt*, i. e. calamitatem meam, exſilium, ſublevarunt verſibus iis, qui etſi non de me ſcripti, ad mea tamen tempora accommodari, tanquam pro me ſcripti, poterant. *Tempori meo.* vid. ad Manil. 1, 1.

Tullius qui. De Servio Tullio rege hoc ſcripſiſſe videtur Accius, quod propter nomen facile de Tullio Cicerone accipi poterat. Servio Tullio autem

verat. Millies revocatum eſt. Parumne videbatur populus Romanus iudicare, id a me et a ſenatu eſſe conſtitutum, quod perditi cives ſublatum per nos criminabantur? 124 Maximum vero populi Romani iudicium univerſi conſeſſu gladiatorio declaratum eſt: erat enim munus Scipionis, dignum et eo ipſo et illo Q. Metello, cui dabatur; id autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur. In hunc conſeſſum P. Sextius tribunus plebis, quum ageret nihil aliud in eo magiſtratu, niſi meam cauſam, venit et ſe populo dedit, non plauſus cupiditate, ſed ut ipſi inimici noſtri voluntatem univerſi populi viderent. Venit (ut ſcitis) ad columnam Maeniam. Tan-

libertatis initia accepta referebant Romani, ut Theſeo Athenienſes, et iure, quia populo in claſſes deſcripto diſcrimen ordinum et gentium ſuſtulerat, ita ut ab eo demum tempore una civitas eſſet.

Parumne vid. populus Rom. Sic recte Orell. i. e. Nonne ſatis aperte vid. p. R. Quod antea legebatur *populum Romanum* ſignificaret: Num non ſatis magnum aut grave videbatur pop. R. iudicare, niſi aliud quid etiam acceſſiſſet; quod a ſententia loci abhorret.

id a me eſſe conſtit. libertatem, quam a Cicerone in conſulatu exſtinctam eſſe criminabatur Clodius, ideoque in area domus Ciceronis atrium Libertatis exſtruxerat.

§. 124. *Q. Metello* Pio, Numidici filio, a quo adoptatus P. Scipio, is qui poſtea Pompeii M. ſocer fuit, (Dio Caſſ. XL, 51.) et in bello Africano a Julio Caeſare victus ſe ipſum interfecit. Hinc pleno nomine vocabatur Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, et ſimpliciter Metellus, ut epiſt. famil. XII, 2. Dati autem ſunt illi ludi aliquot annis poſt Metelli obitum; hunc enim Cicerone coſ. vita exceſſiſſe Dio Caſſ. declarat XXXVII, 37.

ſe populo dedit, commiſit ſe populi arbitrio ad plauſus vel ſibilos referendos, periculum fecit populi erga ſe voluntatis. *Abram.* Cf. Erneſt. clav.

ad columnam Maeniam. Aſcon. in Cicer. divin. c. 16. *Maenius, quum domum ſuam venderet Catoni et Flacco cenſoribus, ut ibi baſilica aedificaretur, exceperat ius ſibi unius columnae, ſuper quam tectum proiiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipſe et poſteri eius ſpectare munus gladiatorium poſſent, quod etiam tum in foro dabatur.* De ludis in foro datis cf. Erneſt. notam ad or. pro Mur. 34, 72. a me ibidem repetitam.

tus eſt ex omnibus ſpectaculis usque a Capitolio, tantus ex fori cancellis plauſus excitatus, ut numquam maior conſenſio aut apertior populi Romani univerſi fuiſſe ulla in cauſa diceretur. Ubi erant tum illi concionum mo- 125
deratores, legum domini, civium expulſores? aliusne eſt aliquis improbis civibus peculiaris populus, cui nos offenſi inviſique fuerimus? Equidem exiſtimo, nullum tempus LIX
eſſe frequentioris populi, quam illud gladiatorium, neque concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum. Haec igitur innumerabilis hominum multitudo, haec populi Romani tanta ſignificatio ſine ulla varietate univerſi, quum illis ipſis diebus de me actum iri putaretur, quid declaravit, niſi optimorum civium ſalutem et dignitatem populo Romano caram eſſe univerſo? At vero 126
ille tribunus plebis, qui de me, non patris, avi, proavi,

ſpectaculis, locis unde ſpectabantur ludi. Cf. Muren. 34, 72. Graev. ad or. Muren. l. c. Drakenborch. ad Liv. I, 35. Intelligenda autem, inquit Erneſt. ad h. l. loca omnia in tectis baſilicarum aliisque aedificiis, item exſtructa ad tempus, in quibus homines ſpectarent ludos gladiatorios.

ex fori cancellis. Intelligendi ſunt cancelli in ludis facti, ne promiſcua et infinita turba irrueret ad ſpectandum, intra quos admiſſi ab iis, qui ludos curabant. *Ern.*

offenſi. Eadem vi Catil. I, 7, 17. ubi plura notat Garaton.

c. LIX. §. 125. *illud gladiatorium. Illud* non ſimpliciter repetit nomen praecedens, ut in recentioribus linguis fieri ſolet, ſed vel antea ſermonem de eadem re fuiſſe indicat, ut h. l. *illud glad.* tempus, quod ſupra commemoravi, vel quaſi digito aliquid demonſtrat. Accurate hoc expoſuit V. D. in *Allg. Schulz.* 1828. II, n. 59. Mox notandus eſt duplex genitivus ad idem nomen diverſa vi relatus. Cf. ad Catil. I, §. 12. Muren. 4. §. 8.

§. 126. *illo tribunus pl.* ſi lectio vera, nullus alius eſſe poteſt, niſi Clodius, ut recte vidit Abramus; alioquin, et ſi Atilius Gavius ſignificaretur, quod ſequitur *Appia*, mutandum eſſet cum Manutio in *Attilia*, qua mutatione omnis iocus perit. Tribunus autem vocatur Clodius pro tribunitio, ut ſupra Metellus conſul pro conſulari. Sed praeclara eſt coniectura Garatonii pro *tribun. pl.* legentis *praetor.* Sic c. XXXVI pro *praetor* plerique Codd. *trib. pl.* Praetor autem ille eſt Appius, Clodii frater. Ante Orellium legebatur *At vero et ille* trib. pl. *Et* a Cicerone in media ſententia non poni pro *etiam* ex eo maxime perſpici poteſt, quod, ubicunque hac vi praeditum legitur, vel Codd. inter ſe diſſentiunt, aliis illud omittentibus, aliis *etiam* exhibentibus (et magna ſimilitudo

maiorum denique ſuorum omnium, ſed Graeculorum inſtituto concionem interrogare ſolebat, Velletne me redire, et, quum erat reclamatum ſemivivis mercenariorum vocibus, populum Romanum negare dicebat, is, quum quotidie gladiatores ſpectaret, numquam eſt conſpectus, quum veniret; emergebat ſubito, quum ſub tabulas ſubrepſerat, ut, *Mater te appello* — dicturus videretur. Itaque illa via latebroſa, qua ſpectatum ille veniebat, Appia iam vocabatur; qui tamen quoquo tempore conſpectus erat, non modo gladiatores, ſed equi ipſi gladiatorum repen-
127 tinis ſibilis extimeſcebant. Videtisne igitur, quantum inter populum Romanum et concionem interſit? dominos

---

eſt ſiglorum in Codd. MSS. ϗ *et*, ϗ *etiam* in cod. Gudiano epiſtolarum) vel oratio eſt *ἀνακόλουθος*. Vid. diſſ. de anacoluthis in Wolfii anal. III, p. 5.

ſemivivis voc. i. e. languidis, ut appareret, non ex animi ſententia ortam eſſe vocem. Sic ad Att. II, 19. *plauſus mortuus. Ern.*

quum quotidie gladiatores ſpectaret, ſuos, quibus conciones interpellabat et bonos cives vexabat.

Mater te appello ſunt verba Deiphili a Polymeſtoro patre occiſi, qui ab inferis reverſus matrem Ilionen dormientem apud Pacuvium appellabat. Vid. imprimis Heindorf. ad Horat. Serm. II, 3, 60. p. 291 ſq. Similiter ſive Clodius ſive Appius, quum via illa latebroſa (*via alta atque ardua Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus* etc. apud Ciceron. Tuſc. I, 16.) ludos ſpectatum veniebat, ex inferis emergere videbatur.

Appia poterat etiam propter Clodium appellari, ut pro Mil. 7, 17 ſq.

qui tamen quoquo temp. Pronomen relativum in oratione bimembri ad prius nomen applicari ſolet. Verr. V, 18, 45. *qui ſi quo publice proficiſcereris —— ſumtu publico navigia praeberentur.* Verr. act. I, 9, 25. *Siculos in eo liberos fuiſſe, qui, quamobrem arceſſerentur, quum intelligerent, non veniſſe*, ubi *qui quum intell.* iungenda ſunt. Vid. Krügerum in *Unterſuch. aus d. Gebiete d. lat. Sprache* 3. p. 235 ſqq. qui p. 240 adſcripſit locos Ciceronis de fin. II, 20. N. D. I, 5. fin. III, 14. Catil. II, 3. Cf. Kritz. ad Salluſt. Catil. 11, 2. Hinc illud etiam ſupra XXIV, 53 *et ea lex, quae ut ne ferretur, ſen. fuerat veſte mutata*, pro propter quam, ne ea ferretur etc. quod ſoloecum eſſet. Iniuria igitur Ern. malebat *quem tamen, quoquo t.* orat. 42, 145 recte Orell. reſtituit *eloquentiam*, ſed hunc accuſativum a verbis unde pendet, *qui conſecuti ſunt*, male, commate interpoſito avellit.

equi gladiatorum. Loquitur igitur de *eſſedariis* et *andabatis*,

concionum omni odio populi notari?, quibus autem conſiſtere in operarum concionibus non liceat, eos omni populi Romani ſignificatione decorari?

Tu mihi etiam M. Atilium Regulum commemoras, qui redire ipſe Karthaginem ſua voluntate ad ſupplicium, quam ſine iis captivis, a quibus ad ſenatum miſſus erat, Romae manere maluerit, et mihi negas optandum reditum fuiſſe per familias comparatas et homines armatos. Vim LX ſcilicet ego deſideravi, qui dum vis fuit, nihil egi, et quem, ſi vis non fuiſſet, nulla res labefactare potuiſſet. Hunc ego reditum repudiarem, qui ita florens fuit, ut 128 verear, ne quis me ſtudio gloriae putet idcirco exiſſe, ut

---

de quibus Cicer. epp. fam. VII, 10. Sueton. Claud. 21. Calig. 35. Hieron. in Jovin. Lipſ. Saturn. II, 12 quos laudat Abram.

conſiſtere in concionibus, bene rem gerere; quam ſignificationem ductam eſſe e re gladiatoria docet Burmann. ad Quint. declam. 6, 9. Sic *conſiſtere in dicendo* pro Cluent. 39, 108. *conſiſtere in forenſibus cauſis* orat. 9, 30.

ſine iis captivis civibus Romanis, ita ut hi non ſimul in patriam redirent. *A quibus ad ſen. miſſus erat* dixit, quia, quorum cauſa aliquid facimus, ab iis ipſis iuſſi vel rogati illud facere videmur. Nam proprie a Carthaginienſibus miſſus erat, ut captivos Poenos redimeret; qui ſi redditi eſſent, ſequebatur, ut Romani etiam captivi redeundi in patriam veniam impetrarent. Garatonio legendum videtur *de quibus*, quod in ſuo cod. ſe inveniſſe narrat Urſinus, vel quod eſt in Aldina, *pro quibus.*

et mihi negas. Vis eſt in verbis *per familias comparatas et homines armatos.* Non enim quemvis reditum optandum fuiſſe Ciceroni negaverat M. Tullius Albinovanus, accuſator Sextii, ſed eum, qui *per fam. compar. et homines armatos* ſ. vi effectus eſſet. Cui reſpondet Cicero reditum ſuum non per vim effectum eſſe. Si interrogatione haec complectaris cum Orellio, Ciceronem mirantem facias quod hoc ſibi faciendum fuiſſe negaverit accuſator, et indicantem, ſibi talem reditum optandum fuiſſe.

c. LX. §. 128. *ne quis me ſtudio gloriae* etc. Nam in Piſon. 14, 32. *privatim ad meum nomen augendum optandam duco mihi fuiſſe illam expetendamque fortunam.* Cum ſqq. confer Piſon. 15, 34. *Me Cal. Ianuariis, qui dies poſt obitum occaſumque noſtrum reip. primus illuxit, frequentiſſimus ſenatus concurſu Italiae, referente clariſſimo ac fortiſſimo viro P. Lentulo, conſentiente pop. Rom. atque una voce revocavit; me idem ſenatus exteris nationibus, me legatis magiſtratibusque noſtris au-*

ita redirem? Quem enim umquam ſenatus civem, niſi me, nationibus exteris commendavit? cuius umquam propter ſalutem, niſi meam, ſenatus publice ſociis populi Romani gratias egit? De me uno patres conſcripti decreverunt, ut, qui provincias cum imperio obtinerent, qui quaeſtores legatique eſſent, ſalutem et vitam meam cuſtodirent. In una mea cauſa poſt Romam conditam factum eſt, ut litteris conſularibus ex ſenatusconſulto cuncta ex Italia omnes, qui rempublicam ſalvam vellent, convocarentur. Quod numquam ſenatus in univerſae reipublicae periculo decrevit, id in unius mea ſalute conſervanda decernendum putavit. Quem curia magis requiſivit? quem forum luxit? quem aeque ipſa tribunalia deſideraverunt? Omnia diſceſſu meo deſerta, horrida, muta, plena luctus et maeroris fuerunt. Quis eſt Italiae locus, in quo non fixum ſit in publicis monumentis ſtu-
LXI dium ſalutis meae, teſtimonium dignitatis? Nam quid
129 ego illa de me divina ſenatusconſulta commemorem? vel quod in templo Iovis Optimi Maximi factum eſt, quum

---

ctoritate ſua conſularibus litteris —— ut ſenatus illo ipſo tempore appellavit, civem conſervatorem reipubl. commendavit; ad meam unius ſalutem ſenatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui remp. ſalvam eſſe vellent, conſulis voce et litteris implorandum putavit. et quae ſequuntur.

nationibus exteris commend. Cf. c. XXII. §. 50.

Quem curia, in Vatin. 3. 8. *cuius deſiderio, ut haec minima dicam, forum maeſtum, muta curia, omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.* Cf. ſupra ad c. XXIV, §. 53.

c. LXI. §. 129. *divina ſenatusconſ.* Tria omnino video facta Sta de Cicerone, *primum* in monumento Marii, de quo c. 54 extr. Id tria complectebatur, 1. ut iis gratiae agerentur, qui Ciceronem patria eiectum receperant, 2. ut magiſtratibus provinciarum et nationibus exteris eiusdem ſalus Conſularibus litteris commendaretur, 3. ut cuncta ex Italia omnes, qui remp. ſalvam vellent, convocarentur. *Alterum*, quod in templo Iovis O. M. factum eſt §. 129. *Tertium* quo *eſt poſtridie decretum in curia* etc. ib. ne quis ad impediendam legem de coelo ſervaret, et ut agerentur iis gratiae, qui ex Italia convenerant, iidemque rogarentur, ut redirent, quum lex de Cicerone eſſet ferenda. Haec duo ultima uno Sto coniuncta fuiſſe e verbis Cic. apparet *Decrevit eodem tempore ſenatus* etc. c. 62 et ex eo, quod illud Stum *admonitu eorum, qui e municipiis convenerant* factum eſſe dicitur §. 129. *Ferratius.*

vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notavit, de ſcripto ſententia dicta, mihi uni teſtimonium patriae conſervatae dedit; cuius ſententiam ita frequentiſſimus ſenatus ſecutus eſt, ut unus diſſentiret hoſtis, idque ipſum tabulis publicis mandaretur ad memoriam poſteri temporis ſempiternam; vel quod eſt poſtridie decretum in curia populi ipſius Romani et eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de caelo ſervaret, ne quis moram ullam afferret; ſi quis aliter feciſſet, eum plane everſorem reipublicae fore, idque ſenatum graviſſime laturum, et ut ſtatim de eius facto referretur. Qua gravitate ſua quum frequens ſenatus nonnullorum ſcelus audaciamque tardaſſet, tamen illud addidit, ſi diebus quinque, quibus agi de me potuiſſet, non eſſet actum, redirem in patriam dignitate omni recuperata. Decrevit LXII eodem tempore ſenatus, ut iis, qui ex tota Italia ſalutis meae cauſa convenerant, agerentur gratiae, atque ut iidem, ad res redeuntes ut venirent, rogarentur. Haec erat 130

---

tripartitas orbis terr. oras, victis in Africa Carbone, in Hiſpania Sertorio, in Aſia Mithridate. *Manut.*

notavit ipſis illis triumphis tanquam proprias p. R. deſignavit.

de ſcripto, propter rei magnitudinem, ut loquitur pro Planc. 30, 74.

ut unus diſſentiret hoſtis, P. Clodius, quem *hoſtem* appellat pro inimico, quod vi, armatis hominibus Ciceronis ſalutem impugnabat. Sic Verr. V, 66 in. Verrem appellat *nomini, generi, iuri civium hoſtem*, quia ſuppliciis in cives ſaeviebat.

tabulis publicis, in quas acta diurna ſenatus referebantur. *Graev.*

ne quis de coelo ſervaret ne, nuntiato vel vero vel ficto auſpicio, concionem vel ſenatum impediret, quo minus lex ferretur. *Moram afferre vel in mora eſſe* dicebantur ii, qui legi intercedebant; quam in rem Abram. citat ſupra c. 34, 74. Liv. 27, 6. 26, 3. Hoc autem decreto lex Aelia ſublata eſt ad tempus, quum Clodius eamdem in rebus ad conciones ſpectantibus ſuſtuliſſet. vid. c. XV.

diebus quinque, quibus agi cum populo licebat: non enim dicit quinque continentibus diebus, ſed quinque quibus agi potuiſſet. *Manut.* Vid. ad c. XXXIII, §. 74 extr.

c. LXII. *ad res redeuntes*, quum res publicae rediſſent, i. e. quum poſt ferias res rurſus agi publice poſſent, ſenatus, con-

ſtudiorum in mea ſalúte contentio, ut ii, qui a fenatu de me rogabantur, iidem ſenatui pro me ſupplicarent. Atque ita in his rebus unus eſt ſolus inventus, qui ab hac tam impenſa voluntate bonorum palam diſſideret, ut etiam Q. Metellus conſul, qui mihi vel maxime ex magnis contentionibus reipublicae fuiſſet inimicus, de mea ſalute retulerit. Qui excitatus ſumma quum auctoritate P. Servilii, tum [quadam] gravitate dicendi, quum ille omnes prope ab inferis evocaſſet Metellos, et ad illius generis, quod ſibi cum eo commune eſſet, dignitatem propinqui ſui mentem a Clodianis latrociniis reflexiſſet,

ciones haberi, leges ferri. *Ern. ſ.* ut Garaton. explicat, ad illam diem, res quum rediſſent. Abram. laudat Plaut. Capt. I, 1, 17. *Prolatis rebus paraſiti venatici Sumus, quando res redierunt, moloſſici.* Cf. poſt red. in ſen. 11, 27.

§. 130. *ut ii — iidem.* Sic pro Clu. 41, 115. *Nunquam enim ea diligentia, quae ſolet adhiberi in ceteris iudiciis,* eadem *reo damnato adhibita eſt.*

unus ſolus. vid. ad 19, 43. De re or. poſt red. in ſen. 10, 26. *diſſenſit unus, is qui ſua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat,* i. e. P. Clodius.

contentionibus reip. Vid. ſupra ad c. 33 extr. Iungenda autem: *ita unus eſt ſolus inventus, ut etiam Q. Metellus — retulerit,* non *qui diſſideret, ut retulerit.*

quod ſibi cum eo commune eſſet. Nam P. Servilius Iſauricus genus ducebat a filia Metelli Macedonici. Hic igitur Metellus avus erat Servilii, abavus Metelli Nepotis: nam ex Macedonico Balearicus, ex Balearico Nepos, ex Nepote Nepos hic natus eſt, qui cum P. Lentulo conſulatum geſſit, ut ex Aſconio ad or. pro Cornel. monet Manut. Paulo ante *incredibili* ante *quadam* de coniectura inſeruit Manutius ex orat. de prov. conſ. 9, 22, aeque tamen probare ſe *divina* dicens ex or. poſt red. in ſen. 10, 25. nam *quadam* per ſe extenuat potius quam auget. Garaton. vocem *ſumma* eſſe communem intelligens, malebat *ſumma quum auctoritate P. Servilii, tum gravitate dicendi,* voce *quadam* deleta. Locus autem or. poſt red. in ſen. hinc expreſſus, hic eſt: *Q. Metellus, et inimicus et frater inimici* (nam Clodius Caeciliae filius erat, quae ſoror fuerat Q. Metelli Nep. mai. amita huius Metelli) *perſpecta veſtra voluntate, omnia privata odia depoſuit; quem P. Servilius, vir quum clariſſimus, tum vero optimus mihique amiciſſimus, et auctoritatis et orationis ſuae divina quadam gravitate, ad ſui generis communisque ſanguinis facta virtutesque revocavit, ut haberet in conſilio et fratrem ab inferis, ſocium rerum mearum, et omnes Metellos, praeſtantiſſimos cives, paene ex Acheronte excitatos, in quibus Numidicum illum* etc.

quumque eum ad domeſtici exempli memoriam, et ad Numidici illius Metelli caſum vel glorioſum vel gravem convertiſſet, collacrymavit vir egregius ac vere Metellus, totumque ſe P. Servilio dicenti etiam tum tradidit, nec illam divinam gravitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiusdem ſanguinis potuit ſuſtinere, et mecum abſens beneficio rediit in gratiam. Quod certe, ſi eſt aliqui 131
ſenſus in morte praeclarorum virorum, quum omnibus Metellis, tum vero uni viro fortiſſimo et praeſtantiſſimo civi gratiſſimum, fratri ſuo, fecit, ſocio laborum, periculorum, conſiliorum meorum. Reditus vero meus qui LXIII
fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi advenienti tamquam totius Italiae atque ipſius patriae dexteram porrexerint Brundiſini, quum ipſis nonis Sext. idem dies adventus mei fuiſſet, qui natalis idem cariſſimae filiae, quam ex graviſſimo tum primum deſiderio luctuque conſpexi, idem etiam ipſius coloniae Brundiſinae, idem Salutis ut ſcitis; quumque me domus eadem optimorum et doctiſſimorum virorum, Laenii Flacci et patris et fratris eius, laetiſſima accepiſſet, quae proximo anno maerens receperat, et ſuo praeſidio periculoque defenderat; quumque itinere toto urbes Italiae feſtos dies agere adventus mei videbantur, viae multitudine legatorum undique

plenam antiquitatis. vid. ad or. pro S. Roſc. §. 26.

§. 131. *ſi eſt aliqui.* Vis eſt in pronomine, ſi eſt non nullus, vel minimus, ſenſus; at Phil. 9, 6. *ſi quis eſt ſenſus in morte* ubi conditionem urget. Vid. Hand. Turſell. I p. 262. Ellendt ad Cic. Brut. 41, 151. *Aliquis* dici videtur Beiero ad Off. III, 7. p. 236. ubi certus quidam ſubindicetur, *aliqui* vagius poni. Mihi rectius Hoffmannus in *Jahrb. d. Philol.* VII, 1. p. 45 docere videtur, *aliquis, quis* enclitica eſſe nec unquam in oppoſitione, vel cum emphaſi poni poſſe.

fratri ſuo, qui praetor Ciceronem conſulem adiuverat. in Catil. I, 8. II, 3. Sull. 23.

c. LXIII. *quemadmodum mihi advenienti.* Vid. ad Attic. IV, 1. (epp. XXXII, 5 ſqq.)

Laenii Flacci. pro Planc. 41, 97. *In hortos me M. Laenii Flacci contuli; cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exſilium, mors proponeretur, haec perpeti, ſi acciderent, maluit, quam cuſtodiam mei capitis dimittere.* Cf. epp. fam. XIV, 4. (XXII. §. 3.) Hinc probabile eſt hic ſcribendum eſſe *et fortiſſimorum virorum,* quae Garatonii eſt ſuſpicio, etiam quod *vir* cum adiect. iis coniungere ſolet Cicero, quae fortitudinem ſignificant, *doctiſſimos* autem *homines* appellat.

missorum celebrabantur, ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat, iter a porta, in Capitolium adscensus, domum reditus erat eiusmodi, ut summa in laetitia illud dolerem, civitatem tam gratam tam miseram atque oppressam fuisse?

132 Habes igitur, quod ex me quaesisti, qui essent optimates. Non est natio, ut dixisti; quod ego verbum agnovi: est enim illius, a quo uno maxime P. Sextius se oppugnari videt, hominis eius, qui hanc nationem deleri et concidi cupivit, qui C. Caesarem, mitem hominem et a caede abhorrentem, saepe increpuit, saepe accusavit, quum affirmaret, illum numquam, dum haec natio viveret, sine cura futurum. Nihil profecit de universis; de me agere non destitit; me oppugnavit primum per indicem Vettium, quem in concione de me et de clarissimis viris interrogavit; in quo tamen eos cives coniunxit eodem periculo et crimine, ut a me inierit gratiam, quod LXIV me cum amplissimis et fortissimis viris congregavit. Sed 133 postea mihi, nullo meo merito, nisi quod bonis placere cupiebam, omnes est insidias sceleratissime machinatus. Ille ad eos, a quibus audiebatur, quotidie aliquid de me ficti afferebat; ille hominem mihi amicissimum, Cn. Pompeium, monebat, ut meam domum metueret atque a me ipso caveret; ille se sic cum inimico meo copularat, ut illum meae proscriptionis, quam adiuvabat, Sex. Clodius,

---

§. 132. *hominis eius*, Vatinii. De tota hac re vid. ad Att. II, 24 (ep. XX) in Vatin. c. 10. Sueton. Caes. 20. Appian. de b. civ. II, 12. p. 189 ed. Schweigh. Dio autem Cassius, semper iniquus Ciceroni, ab hoc immissum esse Vettium ad Pompeium occidendum narrat XXXVIII, 9. p. 155. ed. Fabric.

ut a me inierit gratiam. Vatin. c. 10. extr. *Quid ego de me querar? qui etiam gratias tibi agere debeo, quod me ex fortissimorum civium numero seiungendum non putaris.*

c. LXIV. §. 133. *a quibus audiebatur*, a quibus fides ei habebatur. Tusc. I, 26, 65. *nec Homerum audio, qui Ganymedem a diis raptum ait.*

aliquid de me ficti. Supra c. 31. in. *fictis terroribus.*

Cn. Pompeium monebat. Vid. supra 18, 41.

illum meae proscr., quam adiuvabat, Sext. Clod. Sic distinxit Garaton. non Vatinii, sed Sext. Clodii dictum proferri putans. *Illum* Vatinium, qui antea ter pronom. *ille* designatus est. *tabulam esse*, hominem qui nihil ex se proferret, sed omnia aliunde acciperet.

Sext. Clodius, is, qui corpore P. Clodii interfecti in forum

homo iis dignissimus, quibuscum vivit, tabulam esse, se scriptorem diceret; ille unus ordinis nostri discessu meo, luctu vestro palam exsultavit. De quo ego, quum quotidie rueret, verbum feci, iudices, numquam, neque putavi, quum omnibus machinis ac tormentis, vi, exercitu, copiis oppugnarer, de uno sagittario me queri convenire. Acta mea sibi ait displicere. Quis nescit? qui legem eam contemnat, quae dilucide vetat gladiatores biennio, quo quis petierit aut petiturus sit, dare? In quo eius temeri- 134 tatem satis mirari, iudices, non queo. Facit apertissime contra legem; facit is, qui neque elabi ex iudicio iucunditate sua, neque emitti gratia potest, neque opibus et potentia leges ac iudicia perfringere. Quae res hominem impellit, ut sit tam intemperans? ista nimia gloriae cupiditate familiam gladiatoriam, credo, nactus est, speciosam, nobilem, glorioſam. Norat studia populi; videbat

---

delato, curiam incendit. pro Mil. 13. Eius scelera enumerantur pro Coel. 32.

rueret. Vid. ad or. pro S. Rosc. 32, 91.

vi, exercitu, copiis ut supra §. 2. *vi, manu, copiis;* nec puto cum Manutio de exercitu Caesaris etc. cogitandum esse. Comparat se cum urbe, quae oppugnatur.

de uno sagittario, contemtissimae sortis homine, qui ad oppugnandum et evertendum Ciceronem minimum momenti afferret.

Acta mea. Acta consulum proprie leges a coss. latae. Phil. I, 7, 18. *Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in rep. cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? Quaere acta Gracchi; leges Semproniae proferentur* etc.

legem eam, de ambitu.

biennio, quo. in Vatin. 15, 37. *quum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat petituruſve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento praestituta die*, unde hic quoque *petat* pro *petierit* scribendum esse suspicantur Pantagathus et Garat., quod verum esset, si *petere* non nisi de toto illo tempore valeret, quo quis in magistratu ambiendo laborat, ac non initium etiam petitionis designaret.

§. 134. *neque elabi* etc. Cum irrisione haec dicta sunt; nam neque iucunditas ulla esse poterat in homine strumoso, (*in quo*, ut ait Vellei. II, 69, 4. *deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur.*) nec gratia in eo, quem sui tribules respuerant.

nobilem, notam, multis palmis illustrem, ideoque *gloriosam*, gloriae plenam et qua gloriari liceret.

clamores et concurſus futuros. Hac exſpectatione elatus homo, flagrans cupiditate gloriae, tenere ſe non potuit, quin hos gladiatores induceret, quorum eſſet ipſe pulcherrimus. Si ob eam cauſam peccaret et pro recenti populi Romani in ſe beneficio populari ſtudio elatus, tamen ignoſceret nemo; quum vero ne de venalibus quidem homines electos, ſed ex ergaſtulis emptos nominibus gladiatoriis ornarit, et ſortito alios Samnites, alios Provocatores fecerit, tanta licentia, tanta legum contemptio
135 non quem habitura ſit exitum, pertimeſcit? Sed habet defenſiones duas; primum, Do, inquit, beſtiarios; lex eſt ſcripta de gladiatoribus. Feſtive. Accipite aliquid etiam acutius: dicit ſe non gladiatores, ſed unum gladiatorem dare, et totam aedilitatem in munus hoc transtuliſſe. Praeclara aedilitas; unus leo; ducenti beſtiarii. Verum utatur hac defenſione; cupio eum ſuae cauſae confidere. Solet enim tribunos plebis appellare, et vi iudicium dis-

---

et pro recenti — beneficio. Hic quoque irridet hominem; nam aedilitatis repulſam tulit.

ex ergaſtulis, in quibus erant ſervi viliores, notis ut plurimum inuſti et catenis vincti. *Abram. Venales*, quos mangones vendebant, commendabantur aetate florenti, venuſta ſpecie vel robore corporis; *ex ergaſtulis emti* iam longa miſeria attriti erant.

Samnites et *Provocatores* elegantia veſtitus et armorum, fortaſſe etiam corporis ſpecie, prae ceteris inſignes fuiſſe videntur.

§. 135. *Feſtive* quaſi non et beſtiarii ſint gladiatores. *Ern.*

Accipite aliquid i. e. aliud quid, ut in Brut. 44. *vellem aliquid Antonio praeter illum de ratione dicendi ſane exilem libellum, plura Craſſo libuiſſet ſcribere. Garat.*

Unum gladiatorem dictum pro uno munere gladiatorio videtur per calumniam, quia interdum etiam qui plura munera dederant, dicti gladiatores dediſſe. Nihil melius ſcio; et ſic etiam Abramius capiebat. *Ern.* Abr. tamen monet, hallucinari Vatinium, quia nunquam *gladiator* pro ludo, ſed *gladiatores* numero multitudinis uſurpentur.

et totam aedilitatem, quaecunque munera, ſi aedilis factus eſſet, dediſſet populo, ea ſe nunc, quum repulſam tulerit, hoc uno munere exhibere.

Solet enim trib. pl. appellare. in Vatin. 14. *Quaero illud etiam ex te — poſtulatusne fis lege Licinia et Iunia? edixeritne C. Memmius praetor ex ea lege, ut adeſſes die triceſimo? quum is dies veniſſet, feceriſne, quod in hac republica non modo factum ante numquam eſſet, ſed in omni memoria ſit omnino inauditum? appellariſne tribunos plebis, ne cauſam diceres? — — Quaero ex te, Vatini, num quis in hac civitate poſt urbem conditam tribunos appellarit, ne cauſam diceret? num quis reus in tribunal ſui quaeſitoris adſcenderit, eumque vi deturbarit, ſubſellia diſſiparit, urnas delegerit, eas denique omnes res in iudicio disturbando commiſerit, quarum rerum cauſa iudicia ſunt conſtituta?* et quae ſequuntur.

quod contemnat — quod ſtatuit. Coniunct. ponitur, ut poſt *non quo*, quia cauſa affertur, quae cogitari certe poteſt, quamquam a vero aliena Indicativus, quia vera cauſa ſubiicitur. Hoc non reputans Lambin. edidit *ſtatuat. Se putare* autem poſt *ſtatuit*, ad quod offendebat Manut. et Lamb. non magis mirum, quam accuſ. pronom. reciproci cum infin. ſubiectus poſt *ſtudere, malle, nolle* etc. vid. Beier ad Off. II, 20, 70. Kritz. ad Salluſt. 1.

Caecilia Didia, lata a. u. 655 a Q. Caecilio Metello et T. Didio Vivio coſſ. et *Licinia Iunia* a. u. 691 Licinii Murenae et D. Iunii Silani erant de modo legum ferendarum.

ſolet gloriari. Nam ei Galliam Cisalpinam cum Illyrico in quinquennium lege lata dederat. Suet. Iul. 22. Plutarch. Caeſ. 14. Paterculus II, 44, 5. Dio XXXVIII, 8 extr. *Manut.*

legem de pecuniis repetundis, latam in primo conſulatu Caeſaris, quam legem ſaepius violatam eſſe a L. Piſone, ſocero Caeſaris, in or. in Piſ. conqueritur v. c. c. 16 in. 21, 50. 37. in. Eadem poſtea accuſatus fuit A. Gabinius et C. Rabirius Poſtumus, pro quo exſtat Ciceronis oratio. in Vatin. 12, 29 *quaero ex te, ſisne ex pauperrimo dives factus illo ipſo anno, quo lex lata eſt de pecuniis repetundis acerrima, ut omnes intelligere poſſent, a te non modo noſtra acta, quos tyrannos vocas, ſed etiam amiciſſimi tui legem eſſe contemptam.*

c. LXV. §. 135. *Et cohortari.* Vid. ad c. XXXVII, 1. 80.

turbare, quum diffidit. Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici, quam quod ſe ſtatuit omnino conſularem legem nullam putare. Caeciliam Didiam, Liciniam Iuniam contempſit. Etiamne eius, quem ſua lege et ſuo beneficio ornatum, munitum, armatum ſolet gloriari, C. Caeſaris legem de pecuniis repetundis non putat eſſe legem? Et aiunt, alios eſſe, qui acta Caeſaris reſcindant, quum haec optima lex et ab illo ſocero eius et ab hoc affecta negligatur? Et cohortari au- LXV
ſus eſt accuſator in hac cauſa vos, iudices, ut aliquando eſſetis ſeveri, aliquando medicinam adhiberetis reipubliçae.

Non ea eſt medicina, quum ſanae parti corporis ſcapellum adhibetur atque integrae; carnificina eſt iſta et crudelitas. Hi medentur reipublicae, qui exſecant peſtem aliquam, tamquam ſtrumam civitatis.

136 Sed, ut extremum habeat aliquid oratio mea, et ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attente audiendi, concludam illud de optimatibus eorumque principibus ac reipublicae defenſoribus, vosque, adoleſcentes, et qui nobiles eſtis, ad maiorum veſtrum imitationem excitabo, et qui ingenio et virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi
137 et honore et gloria floruerunt, cohortabor. Haec eſt una via, mihi credite, et laudis et dignitatis et honoris, a bonis viris, ſapientibus et bene natura conſtitutis laudari et diligi, noſſe deſcriptionem civitatis a maioribus noſtris ſapientiſſime conſtitutam, qui quum regiam poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos creaverunt, ut conſilium ſenatus reipublicae praeponerent ſempiternum, deligerentur autem in id conſilium ab univerſo populo, aditusque in illum ſummum ordinem civium induſtriae ac virtuti pateret. Senatum reipublicae cuſtodem, praeſidem, propugnatorem collocaverunt; huius ordinis auctoritate uti magiſtratus, et quaſi miniſtros graviſſimi conſilii eſſe voluerunt, ſenatum autem ipſum proximorum ordinum ſplendore confirmari, plebis libertatem et com-
LXVI moda tueri atque augere voluerunt. Haec qui pro virili
138 parte defendunt, optimates ſunt, cuiuscumque ſunt ordi-

---

tamquam ſtrumam. mordax alluſio ad ſtrumam Vatinii praegrandem. *Ern.*

§. 136. *maiorum veſtrum.* Maiores *veſtrum* pro poſſeſſivo veſtrorum, ut agr. II, 21. in. *hac veſtrum frequentia.* Confer IV, 1. 1. V, 1. 2. *conſenſus veſtrum.* ad Att. VII, 13. *ſplendor veſtrum.* Vid. Garaton. ad Planc. c. 6.

§. 137. *bene natura conſtitutis,* naturali honeſti amore imbutis, ut explicat Erneſt. in clav. τοῖς εὖ πεφυκόσι. Sic *animus bene conſtitutus* Lael. §. 47.

ab univerſo pop. quia per quaeſturam fere aditus in ſenatum fuit. Uberius hoc docuit Ferrat. apud Garaton. Minus recte *ab univ. pop.* pro *ex univ. p.* dictum accipere videtur Gesner. in theſ. n. 10. cui aſſentitur Garaton.

induſtriae ac virtuti. induſtriae in foro, *virtuti* in bello. *Ern.* Nam *induſtria* imprimis dicitur apud Ciceronem de ſtudio agendarum in foro controverſiarum, et labore qui in eo ſumitur, ut ait Ern. in clav., unde *forenſis induſtria* Muren. c. X in.

c. LXVI. §. 138. *cuiuscumque ſunt ord.* Sic recte unus Oxon.

nis; qui autem praecipue ſuis cervicibus tanta munia atque rempublicam ſuſtinent, ii ſemper habiti ſunt optimatium principes, auctores et conſervatores civitatis. Huic hominum generi fateor, ut ante dixi, multos adverſarios, inimicos, invidos eſſe, multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos eſſe experiundos et ſubeundos labores; ſed mihi omnis oratio eſt cum virtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum voluptate, cum iis, qui ſe patriae, qui ſuis civibus, qui laudi, qui gloriae, non qui ſomno et conviviis et delectationi natos arbitrantur. Nam, ſiqui voluptatibus ducuntur et ſe vitiorum illecebris et cupiditatum lenociniis dediderunt, miſſos faciant honores; ne attingant rempublicam; patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui. Qui autem bonam famam 139
bonorum, quae ſola vere gloria nominari poteſt, expetunt, aliis otium quaerere debent et voluptates, non ſibi; ſudandum eſt his pro communibus commodis, adeundae inimicitiae, ſubeundae ſaepe pro republica tempeſtates, cum multis audacibus, improbis, nonnumquam etiam potentibus, dimicandum. Haec audivimus de clariſſimorum virorum conſiliis et factis; haec accepimus, haec legimus.

---

et ed. Venet. Nam *quicunque, quisquis* Cicero et alii in or. recta cum indicat. iungunt, non cum coniunctivo. vid. Heuſing. ad Offic. Praef. p. LV. Garat. ad Milon. I.

auctores, qui conſiliis ſuis et exemplo civitatem adiuvant. Similiter *auctores conſilii publici,* qui conſ. publ. ſenatum ſententiis ſuis regunt; et hoc cap. extr. *auctores huius ordinis.*

patiantur viros fort. lab. Nam non pati videntur, quum induſtriae virorum fortium obtrectant, vel eos oppugnant. *Perfruuntur* autem labore ſuo, quum ex laboribus voluptatem capiunt et ſponte ac libenter eos tolerant. *Patiantur ſe otio ſuo perfrui* non aeque proprie dicitur; ſed ſimilis haec conſtructio eſt ei, qua duo membra inter ſe oppoſita, ex uno verbo pendent, quamquam alterum modo proprie ad illud verbum refertur (vid. ad §. 44.) pro patiantur viros fortes labore perfrui, dum ipſi otio ſuo perfruantur. Hoc nomine excuſari non poteſt lectio recepta ab Orellio: *patiantur virorum fortium labore ſe otio ſuo perfrui.* de qua vid. not. crit.

Haec audivimus ab iis, qui ipſi viderunt, *accepimus,* ab iis, qui ab aliis audierunt, *legimus* in libris antiqua referentibus: aſcendit enim a propinquis rebus quaſi per gradus ad ea, quae longe diſtant. *Manut.*

Neque eos in laude positos videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionem, aut qui largitione caecarunt mentes imperitorum, aut qui fortes et claros viros et bene de republica meritos in invidiam aliquam vocaverunt. Leves hos semper nostri homines et audaces et malos et pernicioſos cives putaverunt. At vero qui horum impetus et conatus repreſſerunt, qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi conſiliis audacium reſtiterunt, ii graves, ii principes, ii duces, ii auctores huius ordinis et dignitatis atque imperii ſemper
LXVII habiti ſunt. Ac, ne quis ex noſtro aut aliquorum prae-
140 terea caſu hanc vitae viam pertimeſcat, unus in hac civitate, quem quidem ego poſſim dicere, praeclare vir de republica meritus, L. Opimius, indigniſſime concidit; cuius monumentum celeberrimum in foro, ſepulchrum

auctores huius ord. i. e. defenſores, ut expl. Erneſt. in clav. v. *Auctor* n. 10. Sic pro Flacc. 15. *auctor ſuae civitatis* ad Att. VIII, 2 *auctor reip. ac dux.* Sed fortaſſe ſcribendum: *auctores huius ordinis, conſervatores dignitatis atque imperii ſemper habiti ſunt.*

c. LXVII. §. 140. *L. Opimius*, is qui conſul C. Gracchum et una cum eo circiter tria millia civium Rom. occidit. Eum epit. Liv. l. 61 ſcribit *accuſatum apud populum a Q. Decio trib. pl. quod indemnatos cives in carcerem conieciſſet, liberatum eſſe.* At Cicero Brut. 34. pro Planc. 28. Vellei. II, 7, 3. damnatum eum eſſe, Cic. in Piſ. 39, 95. eiectum e patria, ſcribunt, et quidem iudicio repetundarum ſecundum Plut. C. Gracch. 18. Quam discordiam ita diremit Manut., ut Opimium diceret [quum iudicio, in quod vocatus erat a Qu. Decio, abſolutus eſſet] poſtea accuſatum eſſe pecuniae nomine a Iugurtha contra leges acceptae, (ſec. Plut.) damnatum non eo, quo accuſabatur, crimine, quandoquidem culpa vacaret, ſed quod regia poteſtate in cives Rom. uſus eſſet. Eum ἐν ἀτιμίᾳ καταγηράσαι narrat Plutarch. l. c. De priore iudicio accipio locum Cicer. de orat. II, 25, 106. eodemque refertur *ſemper* a Cicer. quod ſequitur.

monumentum, baſilicam Opimiam, de qua Varronem de l. lat. IV, mentionem facere ſcribunt, intelligunt Manut. et Hotomann. propter adiectum *celeberrimum*. In baſilicis enim iudicia exercebantur maximo hominum concurſu. De templo Concordiae poſt ſeditionem C. Gracchi in foro exſtructo accipit Abram. Vid. Appian. b. c. I, 26 extr. Plutarch. C. Gracch. 17.

deſertiſſimum in littore Dyrrhachino relictum eſt. Atque hunc tamen flagrantem invidia propter interitum C. Gracchi ſemper ipſe populus Romanus periculo liberavit. Alia quaedam civem egregium iniqui iudicii procella pervertit. Ceteri vero aut repentina vi perculſi ac tempeſtate populari per populum tamen ipſum recreati ſunt atque revocati, aut omnino invulnerati inviolatique vixerunt. At vero ii, qui ſenatus conſilium, qui auctoritatem bonorum, qui inſtituta maiorum neglexerunt, et imperitae aut concitatae multitudini iucundi eſſe voluerunt, omnes fere reipublicae poenas aut praeſenti morte aut turpi exſilio dependerunt. Quod ſi apud Athenienſes, 141
homines Graecos, longe a noſtrorum hominum gravitate disiunctos, non deerant, qui rempublicam contra populi temeritatem defenderent, quum omnes, qui ita fecerant, e civitate eiicerentur, ſi Themiſtoclem illum, conſerva-

in lit. Dyrrhachino. Dyrrhachium igitur in exſilium abierat.

ſemper ipſe pop. Romanus in iudicio populi: nam Opimium non populus, ſed *Gracchani iudices ſuſtulerunt*, ut loquitur in Brut. l. c. Videtur autem oratorie rem exaggerare; nam ſemel tantum eum iudicio populi abſolutum eſſe memoriae proditum eſt. Sic voculam *ſemper* a Wolfio etiam defendi ſcribit Müller. qui uncis eam incluſit. Vid. ſupra.

Ceteri vero pro dom. 32, 86. *At vero, ut annales pop. Rom. et monumenta vetuſtatis loquuntur, Caeſo ille Quinctius et M. Furius Camillus et C. Servilius Ahala, quum eſſent optime de rep. meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque ſubierunt, damnatique comitiis centuriatis quum in exſilium profugiſſent, rurſus ab eodem populo placato ſunt in ſuam priſtinam dignitatem reſtituti.*

invulnerati, ut exempli cauſa Appius Claudius Sabinus, qui quum ſenatus atque optimatium cauſam conſtantiſſime tueretur, plebi vero acerrimus eſſet adverſarius, tranquillam tamen atque honoratam in patria vitam duxit, nec ab infenſo populo iniuriam ullam tulit. *Manut.*

aut praeſenti morte, ut Sp. Melius, M. Manlius Capitolinus, duo Gracchi, L. Apul. Saturninus, P. Sulpicius. *aut turpi exſilio*, ut M. Lepidus, is qui cum Q. Catulo coſ. fuit, et, quia Sullae acta reſcindere conatus eſſet, hoſtis iudicatus, exſul in Sardinia deceſſit. *Manut.*

§. 141. *quum eiicerentur* non eſt enallage temporum, ut Garaton. cenſet (vid. ad Cic. epp. CXXXI, 1. ad or. pro S. Roſc. §. 103.) ſed rem ſaepius repetitam ſignificat: *eiiciebantur* enim, quoties remp. *defenderant.*

torem patriae, non deterruit a republica defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illam civitatem paullo ante ſervarat, nec Ariſtidis fuga, qui unus omnium iuſtiſſimus fuiſſe traditur, ſi poſtea ſummi eiusdem civitatis viri, quos nominatim appellari non eſt neceſſe, propoſitis tot exemplis iracundiae levitatisque popularis, tamen ſuam rempublicam illam defenderunt, quid nos tandem facere debemus, primum in ea civitate nati, unde orta mihi gravitas et magnitudo animi videtur, tum in tanta gloria inſiſtentes, ut omnia humana leviora videri debeant, deinde ad eam rempublicam tuendam aggreſſi, quae tanta dignitate eſt, ut eam defendentem occidere non aliud
LXVIII ſit, quam oppugnantem rerum potiri? Homines Graeci,
142 quos antea nominavi, inique a ſuis civibus damnati atque expulſi, tamen, quia bene ſunt de ſuis civitatibus meriti, tanta hodie gloria ſunt, non in Graecia ſolum, ſed etiam apud nos atque in ceteris terris, ut eos, a quibus illi oppreſſi ſunt, nemo nominet, horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Karthaginienſum pluris fuit Hannibale conſilio, virtute, rebus geſtis, qui unus cum tot imperatoribus noſtris per tot annos de imperio et de gloria decertavit? hunc ſui cives e civitate eiecerunt; nos etiam hoſtem litteris noſtris et memoria
143 videmus eſſe celebratum. Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios, qui hanc rempublicam ſtabiliverunt; quos equidem in deorum

non deterruit — nec Ariſt. f. Sic Brut. 13, 51. Fin. II, 8 extr. (ubi vid. Goer.) N. D. II, 39, 99. Offic. II, 4, 15. Eodem modo *nec* ponitur poſt *nihil* Roſc. Am. 28, 78. Verr. V. 27, 68. Tuſc. III, 3, 6. N. D. I, 11, 28. 41, 116. II, 31, 80. poſt *nemo, nullus, negare.*

Ariſtidis fuga. Graeco verbo φυγή uſus eſt pro latino *exſilii*, ut epiſt. fam. V, 12. (35, 10.)

in tanta gloria inſiſtentes, tanquam in via aliqua, a maioribus aperta ac munita, veſtigiis aliorum inſiſtentes.

ut eam defendentem. Paulo obſcurius locutus eſt, pro eam qui defendat, occidere ſ. necare; ſed participio uſus eſt, ut reſponderet participio ſequenti, *quam oppugn. rerum potiri*, quam qui patriam oppugnando rerum potiatur, oppreſſa libertate, ut explicat Graev. Se autem ſignificat Cicero verbis *patriam defendentem.*

c. LXVIII. §. 143. *noſtros Brutos* i. e. eiusmodi homines, quales Brutus, Camillus etc. fuerunt, ut recte explicat Ellendt ad Cic. Brut. 69. p. 179.

immortalium coetu ac numero repono. Amemus patriam, pareamus ſenatui, conſulamus bonis; praeſentes fructus negligamus, poſteritatis gloriae ſerviamus; id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum; ſperemus quae volumus, ſed quod acciderit, feramus; cogitemus denique, corpus virorum fortium magnorumque hominum eſſe mortale, animi vero motus et virtutis gloriam ſempiternam, neque, hanc opinionem ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam videmus, cuius corpore combuſto, vitam eius et virtutem immortalitas excepiſſe dicitur, minus exiſtimemus, eos, qui hanc tantam rempublicam ſuis conſiliis, aut

poſteritatis gloriae, quae a poſteritate in nos redundat, quaque apud poſteros fruimur. Garaton. laudat or. pro Rabir. perd. 10. *neque quisquam noſtrum in reip. periculis cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis fructuque ducatur.*

ſperemus quae volumus. Demoſth. de cor. p. 258, 21. δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅ τι ἂν ὁ θεὸς διδῷ, γενναίως, quem locum cum aliis, Demoſth. in Lept. p. 506, 14. Plut. π. εὐθυμ. c. 5. (p. 467. A.) laudat Abram.

cogitemus denique. Iſocrat. ad Phil. §. 157. (p. 109. C. ed. H. Steph.) ἐνθυμοῦ δὲ ὅτι τὸ μὲν σῶμα θνητὸν ἅπαντες ἔχομεν, κατὰ δὲ τὴν εὐδοξίαν καὶ τοὺς ἐπαίνους καὶ τὴν φήμην καὶ τὴν μνήμην τὴν τῷ χρόνῳ συμπαρακολουθοῦσαν ἀθανασίας μεταλαμβάνομεν, ἧς ἄξιον ὀρεγομένους καθ' ὅσον οἷοί τ' ἐσμὲν ὅτιοῦν πάσχειν. et quae ſequuntur, e quibus hunc locum expreſſum eſſe paulo calidius contendit Abram.

animi motus h. l. ſunt cogitationes, ratio, ut de nat. deor. III, 27, 69. *haud ſcio an melius fuerit humano generi notum iſtum celerem cogitationis, acumen, ſolertiam, quam rationem vocamus, — — non dari omnino.* Conf. ibid. 28, 71. I, 37, 104. Sic de orat. I, 25, 113 *animi atque ingenii celeres quidam motus.* Cf. or. 39, 134. Nam, ut ait de off. I, 36 extr. *motus animorum duplices ſunt, alteri cogitationis, alteri appetitus.* Hinc *acute moveri* Acad. I, 9, 35. epp. famil. XV, 21. (XCVIII, 6.)

hanc opinionem immortalitatis, *conſecratam*, Hercule inter deos relato et conſecrato ſancitam, ut ab ea recedere nefas ſit. Tuſc. III, 1. *ars deorum inventioni conſecrata* non tantum *tributa, adſcripta*, ut explicat Erneſt. in clav., ſed eo ipſo ſacra habita, quod recte addit Forcell. Si ſermo eſſet de eo, quod Herculem aliis praeſcripſerit, ut conſulatus bonis etc. quomodo cepit Manut., haec eſſet *ſententia* Herculis, non *opinio.*

ſuis conſiliis in ſenatu aut in pace, *ac laboribus*, forenſibus vel bellicis.

laboribus aut auxerint aut defenderint aut ſervarint, eſſe immortalem gloriam conſecutos.

LXIX 144 Sed me repente, iudices, de fortiſſimorum et clariſſimorum civium dignitate et gloria dicentem et plura etiam dicere parantem horum adſpectus in ipſo curſu orationis repreſſit. Video P. Sextium, meae ſalutis, veſtrae auctoritatis, publicae cauſae defenſorem, propugnatorem, auctorem, reum; video hunc praetextatum eius filium oculis lacrymantibus me intuentem; video Milonem, vindicem veſtrae libertatis, cuſtodem ſalutis meae, ſubſidium afflictae reipublicae, exſtinctorem domeſtici latrocinii, repreſſorem caedis quotidianae, defenſorem templorum atque tectorum, praeſidium curiae, ſordidatum et reum; video P. Lentulum, cuius ego patrem deum ac parentem ſtatuo ſortunae ac nominis mei et fratris rerumque noſtrarum, in hoc miſero ſqualore et ſordibus; cui ſuperior annus idem et virilem patris et praetextam populi iudicio togam dederit, hunc hoc anno in hac toga rogationis iniuſtiſſimae ſubitam acerbitatem pro patre fortiſſimo et clariſſimo cive deprecantem.

---

c. LXIX. §. 144. *defenſorem etc. Defendimus* etiam leviter, *propugnamus* acriter et cum actione vehementi, ut quaſi pugnam, unde verbum *propugnare* deductum eſt, referre videamur. Quare non ſolum defendiſſe Sextium publicam cauſam Cicero ſignificat, ſed ita defendiſſe, ut valde contenderit, quippe qui etiam vulnera ab iis, qui eam oppugnabant, plurima graviſſimaque acceperit. Defenſor autem et propugnator fuit eiusmodi, ut praecipuas in eo munere partes ſuſtineret. *Auctor* enim dicitur is, qui alios ſua auctoritate ſuove exemplo ad aliquam rem excitat. *E Manut.* Iisdem autem fere diebus et Milonem a Clodio, et Sextium a M. Tullio Albinovano eſſe accuſatos, et legem a C. Catone trib. pl. de provincia P. Lentulo patri abroganda promulgatam, ex epiſt. ad Quint. fratr. II, 3 cognoſcitur. *Id. Video P. Sextium — reum*, paulo obſcurius dictum pro Video P. Sextium reum eſſe, qui defenſor, propugnator, auctor fuit. Video Mil. ſordid. ac reum, qui vindex etc. fuit. Sic Milon. 9, 25. *Ubi vidit homo fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum conſulem* i. e. Ubi vidit certiſſ. conſ. fore virum, qui fortiſſimus et inimiciſſimus eſſet.

praetextam, quum augur creatus eſſet, etſi annum agens XVII, ut narrat Dio Caſſ. XXXIX, 17. Sacerdotia autem eo tempore populus mandabat ex lege, quam T. Atius Labienus trib. pl. tulerat. Dio Caſſ. XXXVII, 37. *Manut.* Ex eo, quod hic Sextius fil. iudicio patris togam virilem accepiſſe dicitur, patere monet Ferrat. ap. Garaton. ad c. 3. iudicium parentum fuiſſe, quo quisque filius anno ſumeret virilem togam.

Atque hic tot et talium civium ſqualor, hic luctus, 145
hae ſordes ſuſceptae ſunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum caſum luctumque doluerunt, quia me lugenti patriae, flagitanti ſenatui, poſcenti Italiae, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum eſt in me ſcelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, quum ad vos iudicia, litteras, confeſſiones communis exitii detuli, quum parui vobis? At, ſi ſceleſtum eſt amare patriam, pertuli poenarum ſatis; everſa domus eſt, fortunae vexatae, diſſipati liberi, raptata coniux, frater optimus, incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorum, ego pulſus aris, focis, diis penatibus, diſtractus a meis, carui patria, quam, uti leviſſime dicam, certe texeram; pertuli crudelitatem inimicorum, ſcelus infidelium, fraudem invidorum.

Si hoc non eſt ſatis, quod haec omnia deleta viden- 146
tur reditu meo, multo mihi, multo, inquam, iudices, praeſtat, in eandem illam recidere fortunam, quam tantam importare meis defenſoribus et conſervatoribus calamitatem. An ego in hac urbe eſſe poſſim, his pulſis, qui me huius urbis compotem fecerunt? non ero. non potero eſſe, iudices, neque hic umquam puer, qui his lacrymis, qua ſit pietate, declarat, amiſſo patre ſuo propter me, me ipſum incolumem videbit, nec, quotiescumque me

---

§. 145. *Quod tantum eſt in me ſcelus.* Cf. pro Mil. 37, 103.

raptata coniux. Vid. ad cap. XXIV, §. 54. Hinc ſumſit declamator pro domo 23. *Quid enim vos uxor, mea miſera violarat, quam vexaviſtis, raptaviſtis, omni crudelitate laceraviſtis?* E ſqq. etiam idem *ſqualorem incredibilem et inauditum* confinxit. De tota re cf. XXIV, 54.

§. 146. *neque hic umquam puer — me inc. videbit, nec ſeſe dicet videre.* Prior negatio ad alteram etiam tollendam pertinet; nam ſenſus eſt, quoties me videbit, ingemiſcet, vel non videbit, quin ingemiſcat; quae conformatio ſententiae ſimilis eſt ei, quam habet Demoſth. de cor. p. 288. Reisk. *οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ κ. τ. λ. non ſenſi hoc et non ſuaſi etc.* interprete auctore Rhet. ad Herenn. IV, 25. pro *οὐ μόνον εἶπον ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἔγραψα.*

viderit, ingemiſcet, ac peſtem ſuam et patris ſui ſeſe dicet videre. Ego vero vos in omni fortuna, quaecumque erit oblata, complectar, nec me ab his, quos meo nomine ſordidatos videtis, umquam ulla fortuna divellet, neque eae nationes, quibus me ſenatus commendavit, quibus de me gratias egit, hunc exſulem propter me ſine me videbunt.

147 Sed haec dii immortales, qui me ſuis templis advenientem receperunt, ſtipatum ab his viris et P. Lentulo conſule, atque ipſa respublica, qua nihil eſt ſanctius, veſtrae poteſtati, iudices, commiſerunt. Vos hoc iudicio omnium bonorum mentes confirmare, improborum reprimere poteſtis; vos his civibus uti optimis, vos me reficere, et renovare rempublicam. Quare vos obteſtor atque obſecro, ut, ſi me ſalvum eſſe voluiſtis, eos conſervetis, per quos me recuperaviſtis.

ORATIO PRO T. ANNIO MILONE.

ARGUMENTUM Q. ASCONII PEDIANI.

Hanc dixit Cn. Pompeio III Conſule, a. d. VI Idus April., quod iudicium quum ageretur, exercitum in foro et omnibus in templis, quae circum forum ſunt, collocatum a Cn. Pompeio fuiſſe, non tantum ex oratione et annalibus, ſed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inſcribitur de optimo genere oratorum. (c. 4. §. 10).

Annius Milo et P. Plautius Hypſaeus et Q. Me- §. 2.
tellus Scipio conſulatum petierunt, non ſolum largitione palam profuſa, ſed etiam factionibus armorum ſuccincti. Miloni et Clodio ſummae erant inimicitiae, quod et Milo Ciceronis erat amiciſſimus, in reducendoque eo enixe operam reip. dederat, et P. Clodius reſtituto Ciceroni erat infeſtiſſimus, ideoque ſumme ſtudebat Hypſaeo et Scipioni contra Milonem. Ac ſaepe inter ſe Milo et Clodius cum ſuis factionibus Romae depugnaverant, et erat uterque audacia par; ſed Milo pro melioribus partibus ſtabat. Praeterea in eundem annum conſulatum Milo, Clodius praeturam petebat, quam debilem futuram conſule Milone intelligebat. Deinde quum diu tracta eſſent comitia conſularia, perficique §. 3.
ob eas ipſas perditas candidatorum contentiones non poſſent,

---

§. 3. *tracta eſſent.* vid. cap. IX. Appian. B. C. II, 20. Pompeium remoratum eſſe comitia narrat.

et ob id menſe Ianuario nulli dum neque conſules neque praetores eſſent, trahereturque dies eodem, quo antea, modo, dum Milo quamprimum comitia confici vellet, conficeretque quum bonorum ſtudiis, qui obſiſtebant Clodio, tum etiam populi, propter effuſas largitiones, impenſas quoque ludorum ſcenicorum ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudiſſe eum Cicero ſignificat, competitores vero eius trahere vellent, ideoque Pompeius, gener Scipionis, et T. Munatius, tribunus plebis, referri ad ſenatum de patriciis convocandis, qui interregem proderent, non eſſent paſſi, quum interregem prodere moris eſſet: a. d. XIII Kal. Febr. (acta etenim magis ſequenda et ipſam orationem, quae actis congruit, puto, quam Feneſtellam, qui a. d. XIV Kal. Febr. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, et ibi tum dictator, profectus eſt ad flaminem prodendum
§. 4. poſtera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonae deae ſacellum eſt. Erat autem allocutus decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo. Servi XXX fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti ſequebantur. Erant cum Clodio praeterea tres comites eius, ex quibus eques Romanus unus, C. Caſſinius Stola, duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rheda vehebatur cum uxore Fauſta, filia L. Sullae dictatoris,
§. 5. et M. Fufio, familiari ſuo. Sequebatur eos magnum ſervo-

§. 4. ad flaminem prodendum. Appian. B. C. II, 20. *βαρυθυμῶν ὁ Μίλων* (propter tracta comitia) *ὡς καὶ περὶ αὐτὸν ἀπίστου γιγνομένου τοῦ Πομπηΐου, ἐς τὴν πατρίδα Λανούβιον ἐξήει.*

§. 5 Dio Caſſ. XL, 48. *ὁ γοῦν Μίλων τὸν Κλώδιον ἐν τῇ Ἀππίᾳ ὁδῷ συντυχόντα οἱ τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς πως ἔτρωσεν, ἔπειτα δὲ φοβηθεὶς, μὴ ἐπεξέλθῃ τῷ γεγονότι, κατέσφαξεν, ἐλπίσας, ἐπειδὴ πάντας τοὺς οἰκέτας τοὺς τοῦτο ποιήσαντας εὐθὺς ἐλευθερώσαι, ῥᾴον τοῦ φόνου, τελευτήσαντος αὐτοῦ, ἢ τοῦ τραύματος, εἰ περιγίγνοιτο, ἀφεθήσεσθαι.* Appian. B. C. II, 21. *θεράπων τοῦ Μίλωνος ἐπιδραμὼν τῷ Κλωδίῳ, εἴτε κεκελευσμένος, εἴθ' ὡς ἐχθρὸν δεσπότου πτείναι ἐπάταξεν ἐς τὸ μετάφρενον ξιφιδίῳ· καὶ τὸν μὲν αἵματι ῥεόμενον ἐς τὸ πλησίον πανδοκεῖον ὁ ἱπποκόμος ἐσέφερεν. ὁ δὲ Μίλων μετὰ τῶν θεραπόντων ἐπιστὰς, ἔτι ἔμπνουν ἢ καὶ νεκρὸν ἐπανεῖλεν, ὑποκρινόμενος μὲν οὐ βουλεῦσαι τὸν φόνον οὐδὲ προστάξαι· ὡς δὲ κινδυνεύσων ἐξάπαντος, ἠξίου τὸ ἔργον οὐκ ἀτελὲς καταλιπεῖν.* Non caſu autem pugnam factam eſſe monſtrat Cicero ad Att. IV, 4. *Si ſe inter viam Clodius obtulerit, occiſum iri ab ipſo Milone video. Non dubitat facere, prae ſe fert, caſum illum noſtrum* (exſilii) *non extimeſcit.*

rum agmen, inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti Eudamus et Birria. Hi, in ultimo agmine tardius euntes, cum ſervis P. Clodii rixam commiſerunt. Ad quem tumultum quum reſpexiſſet Clodius minitabundus, humerum eius Birria rhomphaea traiecit. Inde quum orta eſſet pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus eſt. Milo ut cognovit §. 6. vulneratum Clodium, quum ſibi periculoſius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiſo autem magnum ſolatium eſſet habiturus, etiamſi ſubeunda eſſet poena, exturbari tabernam iuſſit. Fuit anteſignanus ſervorum eius M. Fuſtenus. Atque ita Clodius latens extractus eſt, multisque vulneribus confectus. Cadaver eius in via relictum, quia ſervi Clodii aut occiſi erant, aut graviter ſaucii latebant. Sex. Tedius, ſenator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, ſuſtulit et lectica ſua Romam ferri iuſſit; ipſe rurſus eodem, unde venerat, greſſum recepit. Perlatum eſt corpus Clodii ante §. 7. primam noctis horam, infimaeque plebis et ſervorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus poſitum circumſtetit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quae cum effuſa lamentatione vulnera eius oſtendebat. Maior poſtera die luce prima multitudo eiusdem generis confluxit, compluresque noti homines eliſi ſunt; inter quos

C. Vibienus, senator. (Erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio.) Eodem Munatius Plancus, frater L. Planci oratoris, et Q. Pompeius Rufus, Sullae dictatoris ex filia nepos, tribuni pl., accurrerunt: eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum calceatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in
§. 8. forum detulit et in rostris posuit. Ibi pro concione Plancus et Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt. Populus duce Sex. Clodio scriba corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis et tribunalibus et mensis et codicibus librariorum. Quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et item Porcia basilica, quae erat ei iuncta, combusta est. Domum quoque M. Lepidi, interregis, (is enim magistratus curulis erat creatus) et absentis Milonis eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit, deinde sagittis repulsa est. Tum fasces ex lecto Libitinae raptos attulit ad domum Scipionis et Hypsaei, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modo consulem modo dictatorem.

§. 9. Incendium curiae maiorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quam interfectio Clodii. Itaque Milo, quem

§. 7. *C. Vibienus.* vid c. XIV, 37.

§. 8. *in curiam intulit, εἴτε ἐπὶ τιμῇ, βουλευτικοῦ γένους ὄντα, εἴτε εἰς ὄνειδος τῆς βουλῆς τοιάδε περιορώσης.* Propter curiam incensam Plancus postea in exsilium eiectus est. vid. Phil. VI, 4, 10. XIII, 12, 27.

§. 9. *Milo — redierat Romam.* Dio Cass. XL, 49. latitasse eum primo, *οὐχ ὑπὸ ἰδιωτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἱππέων βουλευτῶν τε τινῶν φρουρούμενον· ἐπεὶ δὲ τοῦτό τε* (incendium curiae) *ἐγένετο, καὶ τὴν ὀργὴν τῆς γερουσίας ἐς τὸ τῶν ἀντιστασιωτῶν μίασμα περιχωρήσειν ἤλπισε — — προήει τε ἐς μέσον, καὶ τῆς ἀρχῆς ὁμοίως, ἢ καὶ μᾶλλον, ἀντεποιεῖτο.*

M. Caelius. Appian. de b. civ. II, 22. *Μίλωνι δὲ θράσος τοσόνδε περιῆν, ὡς οὐ δεδιέναι περὶ τῷ φόνῳ μᾶλλον, ἢ ἀγανακτεῖν ἐπὶ τῇ Κλωδίου περὶ τὴν ταφὴν τιμῇ. θεραπόντων οἴν καὶ ἀνδρῶν ἀγροίκων πλῆθος ἀθροίσας καὶ ἐς τὸν δῆμον περιπέμψας χρήματα τῶν τε δημάρχων Μάρκον Καίλιον πριάμενος, ἐς τὴν πόλιν κατήει θρασύτατα. καὶ αὐτὸν ὁ Καίλιος εὐθὺς ἐσιόντα εἴλκεν ἐς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς παρ' αὐτοῦ δεδωροδοκηκότας, ὥσπερ ἐπ' ἐκκλησίαν, ὑποκρινόμενος μὲν ἀγανακτεῖν καὶ οὐ διδόναι τῆς δίκης ἀναβολήν, ἐλπίζων δὲ, εἰ αὐτὸν οἱ παρόντες μεθεῖεν, ἐκλύσειν τὴν δίκην τὴν ἀληθεστέραν. Καὶ Μίλων μὲν οὐ βουλεῦσαι τὸ ἔργον εἰπὼν (οὐ γὰρ ἂν μετὰ σκευῆς καὶ γυναικὸς ἐπὶ ταῦτα ὁρμῆσαι) τὸν λοιπὸν λόγον κατὰ τοῦ Κλωδίου διετίθετο, ὡς θρασυτάτου δὴ καὶ φίλου θρασυτάτων, οἵ καὶ τὸ βουλευτήριον ἐπικατέπρησαν αὐτῷ. Ἔτι δ' αὐτοῦ λέγοντος, οἵ τε λοιποὶ δήμαρχοι καὶ τοῦ δήμου τὸ ἀδιάφθορον ἐνέβαλλον ἐς τὴν ἀγοράν. κ. τ. λ.* Vid. ad or. c. XXXIII, 91. ubi Garaton. in Appianum graviter invehitur, quod *ἀδιάφθορον* vocaverit Clodianam illam servorum, latronum, egentium multitudinem notissimam; ex decem vero tribunis ei multitudini adfuisse tres ab Asconio commemoratos; quinque reliquos tribunos his turbis sese committere noluisse. De caedibus consecutis et Appian. et Dio Cass. XL, 50 commemorant.

opinio fuerat iisse in voluntarium exsilium, invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia, petebatque nihilo deterius consulatum, aperte quoque tributim in singulos mille assium dederat. Concionem etiam ei post aliquot dies dedit M. Caelius, tribunus pl., et Manilius Canianus, eius collega, ipsiusque causam etiam ad populum probabant. Dicebant utrique, Miloni a Clodio factas esse insidias.

Fiebant interea alii ex aliis interreges, qui comitia §. 10.
consularia, propter eorum candidatorum tumultus et easdem manus armatas, habere non poterant. Itaque primum factum erat S. C., ut interrex et tribuni pl. et Pompeius, qui pro consule ad urbem erat, viderent, ne quid detrimenti resp. caperet, delectus autem Pompeius tota Italia haberet. Qui quum summa celeritate praesidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustae uxoris eius, exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat

§. 10. *SC. ut interrex.* Idem narrat Dio Cass. l. c. E.

Clodii, et ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur. Easdem Faustae et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam et comitum eius postulavit eodem tempore Caelius; familiam Hypsaei et Q. Metelli Manilius
§. 11. Canianus, eius collega. Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sulla. Verba panca Q. Hortensius dixit, liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem caedem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent.
§. 12. Haec agebantur mense intercalari. Post diem trigesimum fere, quam erat Clodius occisus, Q. Metellus Scipio in senatu contra M. Caepionem conquestus est, ac de caede P. Clodii falsum esse dixit, quod Milo sic se defenderet, et Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abiisse, profectum cum sex ac viginti servis, Milonem subito post horam quartam, senatu misso, cum servis amplius CCC armatis obviam ei contendisse, et supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum; ibi P. Clodium, tribus vulneribus acceptis, Bovillas portatum; tabernam, in quam profugerat, expugnatam a Milone; semianimem Clodium extractum in via Appia occisum esse, annulumque eius ei morienti extractum; deinde Milonem, quum sciret in Albano parvulum filium Clodii veniisse ad villam, et quum puer ante subtractus esset, de servo Alicore ita quaestionem habuisse, ut eum articulatim confecaret; villicum et duos praeterea iugulasse: ex servis Clodii, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos; Miloni duos solos saucios factos esse: ob quae Milonem postero die XII servos, qui ei maxime operam navassent, manumisisse, populoque tributim singula millia aeris ad defendendos de se
§. 13. rumores dedisse. Milo misisse ad Cn. Pompeium dicebatur, quod Hypsaeo summe studebat, quod fuerat eius quaestor,

desistere se petitione consulatus, si ita ei videretur, Pompeium respondisse, nemini se neque petendi neque desistendi auctorem esse, neque populi Romani potestatem aut consilium aut sententiam interpellaturum. Deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret.

Inter haec quum crebresceret rumor, Cn. Pompeium §. 14.
creari dictatorem, neque opportune aliter mala civitatis sedari posse, visum est optimatibus, tutius esse, eum consulem sine collega creare, et, cum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam S. C., Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio V Kal. Mart. mense intercalario consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem tertium §. 15.
de legibus novis ferendis retulit; duas ex S.C. promulgavit, alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam et incendium curiae et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu; poenam graviorem: utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorari iubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Caelius tribunus pl. studio- §. 16.
sissimus Milonis, conatus est, quod et privilegium diceret in Milonem ferri et iudicia praecipitari. Et quum pertinacius legem Caelius vituperaret, eo processit irae Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se remp. defensurum. Timebat autem Pompeius Milonem, seu timere se simulabat; ple-

§. 14. Eadem narrat Dio Cass. XL, 50. Quod hic et Ascon. Bibulo, Appian. l. c. 23 tribuit Catoni, turpiter in eo errans, quod tunc Catonem a Pompeio missum esse narrat, ut Cyprum in provinciam redigeret. Secundum Plutarch. vit. Pomp. c. 54 sententiam a Bibulo propositam suasit Cato.

§. 16. *Timebat autem.* Ascon. ad c. 25. narrat Pomp. *in hortis superioribus ante iudicium manss.*

rumque non domi suae, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat; senatum quoque semel in porticu sua habuerat
§. 17. Pompeius, quod diceret timere se adventum Milonis. Dein proximo senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulaverat, ut femur nudaret. Et ille sine mora tunicam levaverat. Tum M. Cicero exclamaverat, omnia illi similia crimina esse, quae in Milonem dicerentur alia.

§. 18. Deinde Munatius Plancus, tribunus pl., produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem,

---

se, ita ut villam quoque praesidio militum circumdaret. Q. Pompeius, trib. pl., qui fuerat familiarissimus omnium P. Clodio, et sectam suam palam se sequi profitebatur, dixerat in concione paucis post diebus, quam Clodius erat occisus: Milo dedit, quem in curia cremaretis, dabo, quem in Capitolio sepeliatis. In eadem concione idem dixerat (habuit enim eam a. d. VIII Kal. Febr. quum Milo pridie i. e. VII Kal. Febr. venire ad Pomp. in hortos eius voluisset) Pomp. ei per hominem propinquum misisse, ne ad se veniret. Prius etiam quam Pomp. tertium consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus quum quotidianis concionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pomp. et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suae vitae insidiari Milonem. Respondérat Pompeius Licinium quemdam de plebe sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis, itemque libertos comparatos esse ad caedem suam; nomina quoque servorum edidisse; ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet; a Milone responsum esse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse. Deinde quum Licinium apud se haberet, Lucium quemdam de plebe ad corrumpendum iudicem venisse; qua re cognita, in vincula eum publica a se coniectum. — — Ob has suspiciones Pomp. in superioribus hortis se continuerat, deinde ex SC. delectu per Italiam habito quum redisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat. Item quum senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pomp. posset interesse, unum tum excuti prius quam in senatum intraret, iusserat.

§. 17. P. Cornificius. Vid. c. XXIV, 66.

libertum M. Lepidi. Is se dicebat pariterque secum quatuor liberos homines iter facientes supervenisse, quum Clodius occideretur, et ob id quum proclamassent, abreptos et perductos in villam Milonis, ibique per duos menses praeclusos fuisse. Eaque res, seu vera seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Idemque Munatius et Pompeius, §. 19.
tribuni pl., in rostra produxerant triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugitivo deprehensum et ad se perductum esse respónderat. Denuntiaverant tamen triumviro, ne servum remitteret. Sed postera die Caelius, tribunus pl., et Manilius Canianus collega eius ereptum e domo triumviri servum Miloni réddiderunt. Etsi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero, tamen, quia ita repereram, putavi exponenda. Inter §. 20.
primos et Q. Pompeius et C. Sallustius et T. Munatius Plancus tribuni pl. inimicissimas conciones de Milone habebant, invidiosas etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet: eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed ipsi etiam propter invisum patrocinium Ciceroni. Postea Pompeius et Sallustius in suspicione fue- §. 21.
runt in gratiam rediisse cum Milone et Cicerone. Plancus autem infestissimus perstitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem instigavit, Pompeio autem suspectum faciebat Milonem, ad perniciem eius comparari vim vociferatus. Pompeiusque ob ea saepius querebatur, fieri sibi quoque insidias, et id palam, ac maiore manu se armabat. Dicturum diem quoque Ciceroni Plancus ostendebat; postea autem Q. Pompeius idem minitatus erat. Tanta tamen constantia §. 22.
et fides fuit Ciceronis, ut non populi a se alienatione, non Cn. Pompeii suspicionibus, non periculi futuri metu, si sibi dies ad populum diceretur, non armis, quae palam in Mi-

lonem ſumta erant, deterreri potuerit a defenſione eius, quum poſſet omne periculum ſuum et offenſionem inimicae multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum, ſi paullum ex ſtudio defenſionis remiſiſſet.

§. 23. Perlata deinde lege Cn. Pompeii, in qua id quoque ſcriptum erat, ut quaeſitor ſuffragio populi ex iis, qui conſules fuerant, crearetur, ſtatim comitia habuit, creatusque erat L. Domitius Aenobarbus quaeſitor. Aliorum quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius tales propoſuit, ut nunquam neque clariores viros neque ſanctiores propoſi-
§. 24. tos eſſe conſtaret. Poſt quod ſtatim nova lege Milo poſtulatus a duobus Appiis Clodiis adoleſcentibus, iisdem, a quibus antea familia eius fuerat poſtulata, itemque de ambitu ab iisdem Appiis, et praeterea de vi a Q. Petulcio et L. Cornificio, de ſodalitiis a P. Fulvio Nerato. Poſtulatus autem erat et de ſodalitiis et de ambitu ea ſpe, quod primum iudicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri
§. 25. confidebant, nec poſtea reſponſurum. Divinatio de ambitu accuſatorum facta eſt, quaeſitore A. Torquato, atque ambo quaeſitores, Torquatus et Domitius, pridie Nonas Apr. reum adeſſe iuſſerunt. Quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos miſit; ibi, poſtulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius cauſam de ambitu diceret, quam de vi iudicium eſſet perfectum. Apud Domitium autem quaeſitorem maior Appius poſtulavit a Milone ſervos exhiberi IV et L, et quum ille negaret, eos, qui nominabantur, in ſua poteſtate eſſe, Domitius ex ſententia iudicum pronuntiavit, ut ex ſervorum eorum numero accuſator, quot vellet,
§. 26. ederet. Citati deinde teſtes ſecundum *legem*. *Quae*, ut ſupra diximus, *iubebat, ut prius quam cauſa ageretur, teſtes per triduum audirentur, dicta eorum iudices conſignarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum iube-*

rentur, ac coram accuſatore et reo pilae, in quibus nomina iudicum inſcripta eſſent, aequarentur; dein rurſus poſtera die ſortitio iudicum fieret, unius et LXXX; qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent; tum ad dicendum accuſator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo iudicaretur; prius autem quam ſententiae ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reiiceret, ita numerus iudicum relinqueretur, qui ſententias ferrent, quinquaginta et unus.

Primo die datus erat in Milonem teſtis Caſſinius Scola, §. 27.
qui ſe cum P. Clodio fuiſſe, quum is occiſus eſt, dixit, atrocitatemque rei factae, quam maxime potuit, auxit. Quem quum interrogare M. Marcellus coepiſſet, tanto tumultu Clodianae multitudinis circumſtantis exterritus eſt, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob cauſam M. Marcellus et ipſe Milo a Domitio praeſidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore; itaque Domitio promiſit, ſe poſtero die cum praeſidio defenſurum, idque fecit. Quare territi Clodiani ſilentio verba teſtium §. 28.
per biduum audiri paſſi ſunt. Interrogaverunt eos M. Cicero, M. Marcellus et Milo ipſe. Multi ex iis, qui Bovillis habitabant, teſtimonium dixerunt de iis, quae ibi facta erant; cauponem occiſum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum eſſe. Virgines quoque Veſtales dixerunt, mulierem ignotam veniſſe ad ſe, quae Milonis mandato votum ſolveret, quod Clodius occiſus eſſet. Ultimae teſtimonium dixerunt Sempronia, Tuditani filia, ſocrus P. Clodii, et uxor Fulvia, et fletu ſuo magnopere eos, qui adſtabant, commoverunt. Dimiſſo circa horam decimam iudicio, T. Munatius pro concione populum adhortatus eſt, ut poſtero die frequens adeſſet, et elabi Milonem non pateretur, iudi-

§. 29. ciumque et dolorem ſuum oſtenderet. Euntibus ad tabellam ferendam poſtero die iudicibus, qui fuit iudicii primus a. d. III Idus Apr., clauſae fuerunt tota urbe tabernae, praeſidia in foro et circa omnes fori aditus Pompeius diſpoſuit, ipſe pro aerario, ut pridie, conſedit ſeptus delecta manu militum. Sortitio deinde iudicum, ut primo die, facta eſt; poſt tantum ſilentium toto foro fuit, quantum eſſe in aliquo foro poſſet. Tum intra horam ſecundam accuſatores coeperunt dicere, Appius maior et M. Antonius et P. Valerius Nepos. Uſi ſunt ex lege horis duabus.

§. 30. Reſpondit his unus M. Cicero. Et quum quibusdam placuiſſet, ita defendi crimen, interfici Clodium pro republica fuiſſe (quam formam M. Brutus ſecutus eſt in ea oratione, quam pro Milone compoſuit et edidit, quamvis non egiſſet), Ciceroni id non placuit, quod non, qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus poſſet. Itaque quum, inſidias Milonem Clodio feciſſe, poſuiſſent accuſatores, quia falſum id erat (nam forte illa rixa commiſſa fuerat) Cicero apprehendit, et contra Clodium Miloni feciſſe inſidias diſputavit; eoque tota oratio eius ſpectavit. Sed ita conſtitit, ut diximus, neutrius conſilio pugnatum eſſe eo die, verum forte occurriſſe: ex ea rixa ſervorum ad eam caedem perventum. Notum tamen erat, utrumque mortem alteri ſaepe minatum eſſe, et ſicut ſuſpectum Milonem maior, quam Clodii, familia faciebat, ita expeditior et paratior ad pugnam
§. 31. Clodianorum, quam Milonis, fuerat. Cicero quum inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, qui ſe continere ne metu quidem circumſtantium militum potuerunt. Itaque non ea, qua ſolitus erat, conſtantia, dixit. Manet

§. 31. *Itaque non ea* etc. Dio Caſſ. XL, 54. militum conſpectu perterritum Ciceronem narrat *τῶν μὲν παρεσκευασμένων μηδὲν εἰπεῖν, βραχὺ δέ τι καὶ τεθνηκὸς χαλεπῶς φθεγξάμενον ἀγαπητῶς μετασ-*

autem illa quoque excepta eius oratio. Scripſit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi poſſit.

τῆναι. Cf. Plutarch. v. Cicer. 35. Addit Dio Caſſ. l. c. *ὁ Μίλων τῷ λόγῳ πεμφθέντι οἱ ὑπ' αὐτοῦ ἐντυχὼν (ἐπεφυγάδευτο γὰρ) ἀνταπέστειλε λέγων, ὅτι ἐν τύχῃ αὐτῷ ἐγένετο τὸ μὴ ταῦθ' οὕτω καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ λεχθῆναι· οὐ γὰρ ἂν τοιαύτας ἐν τῇ Μασσαλίᾳ (ἐν ᾗ κατὰ φυγὴν ἦν) τρίγλας ἐσθίειν, εἴπερ τι τοιοῦτον ἀπελελόγητο.*

De exitu iudicii Aſcon. ad c. XXXV, p. 945. Graev. *Senatores condemnaverunt* XII, *abſolverunt* VI. *Equites condemnaverunt* XIII, *abſolverunt* IV. *Tribuni aerarii condemnaverunt* XIII, *abſolveruni* III. *Videbantur non ignoraſſe iudices, inſcio Milone initio vulneratum eſſe Clodium, ſed compererant, poſtquam vulneratus eſſet, iuſſu Milonis occiſum. Fuerunt, qui crederent, M. Catonis ſententia eum eſſe abſolutum; nam et bene cum rep. actum eſſe morte P. Clodii non diſſimulaverat, et ſtudium in petitione conſulatus Miloni et reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero praeſentem* (c. IX extr. XVI, 44.) *et teſtatus erat, audiſſe eum a M. Favonio ante diem tertium quam caedes facta erat, Clodium dixiſſe periturum eſſe eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vindicare P. R. utile viſum eſt: unde ſciri unquam potuit utram ſententiam tuliſſet?* Vellei. II, 47. *Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas. Quem quidem M. Cato palam lata abſolvit ſententia. Quam ſi maturius tuliſſet, non defuiſſent, qui ſequerentur exemplum, probarentque eum civem occiſum, quo nemo pernicioſior reip. neque bonis inimicior vixerat.* Aliam cauſam damnationis affert Plut. v. Cic. 35. vid. ad c. XXXIV, §. 92.

SUMMARIUM SCHUETZII.

P. Clodius Pulcher post tribunatum plebis A. U. 693. aedilitatem autem A. 697. geſtam A. U. 700. praeturam petere conſtituerat. Quum autem comitia conſularia et praetoria anno ſuperiore i. e. 699. ita tracta videret, ut non multos menſes praeturam gerere poſſet, quippe quum etiam conſules anno 700. creati Cn. Domitius Calvinus, M. Valerius Meſſala ſeptimo demum h. a. menſe magiſtratum poſt plura interregna adirent, diſtulit petitionem praeturae, eamque in A. 701. tranſtulit. In eundem annum conſulatum petebant T. Annius Milo, (qui dudum graves cum Clodio inimicitias geſſerat, ita ut alter alteri ſaepe mortem minatus eſſet) P. Plautius Hypſaeus et Q. Metellus Scipio.

A. d. XIII. Kalendas Februarias, quum Milo Lanuvium, ubi dictator erat, proficiſceretur ad flaminem ibi prodendum, accidit ut Clodius Aricia rediens in via Appia ei occurreret. Ibi pugna inter utriusque ſervos commiſſa, compluribus vel occiſis vel vulneratis, tandem ipſe Clodius occiditur. Corpus eius ſtatim Romam delatum, ac primum in atrio domus eius expoſitum, deinde in forum delatum eſt; unde duce Sex. Clodio a plebe in curiam translatum

eſt, ubi illud collectis ſubſelliis, menſis, aliaque eius modi ſupellectile cremaverunt, quo igne et curia et Porcia baſilica ei iuncta incenſa conflagravit. Qua re magna invidia Clodianis contracta, Milo, qui interim ſeceſſerat, in urbem rediit, et in petendo conſulatu perſeveravit. Pompeius deinde ab interrege Ser. Sulpicio V Kal. Mart. conſul creatus eſt, quem conſulatum primis menſibus ſolus geſſit, deinde Q. Metellum Scipionem, cuius filiam Corneliam uxorem duxerat, in quinque ultimos menſes collegam ſibi adiunxit. Conſulatum igitur V Kal. Mart. mense intercalario ingreſſus ſtatim leges tulit, alteram de vi, in qua ſimul ut de caede in via Appia, de incendio curiae, et de domo M. Lepidi interregis oppugnata extra ordinem quaereretur, ſancitum eſt; alteram de ambitu, qua gravior poena et breviora iudicia conſtituta ſunt. In lege de vi novam etiam iudicii habendi rationem praeſcripſerat, ut primo quaeſitor non eſſet praetor, ſed ſuffragiis populi e conſularibus electus; deinde tribus diebus teſtes audirentur; deinde uno eodemque die ab accuſatore et reo peroraretur. Itaque creatus eſt quaeſitor Cn. Domitius Ahenobarbus. Is quum Pompeius trecentos ex omnibus ordinibus iudices propoſuiſſet, LXXXI ex iis ſortitus eſt. Ex his quum et accuſator et reus quinos ex ſingulis ordinibus reieciſſent, relicti ſunt LI, nempe XVIII ſenatores, XVII equites, XVI tribuni aerarii. Itaque pridie teſtibus auditis a. d. VI. Id. Apriles iudicium habitum eſt, clauſis tota urbe tabernis, praeſidiis in foro et circum omnes fori aditus a Pompeio conſule diſpoſitis. Accuſarunt Milonem Appius maior, C. Clodii, Publii fratris, filius, M. Antonius, P. Valerius Nepos. Defendit reum Cicero, ſed partim acclamatione Clodianorum, partim ipſo militum conſpectu turbatus, non ea, qua ſolebat, conſtantia dixit. Attamen illa quoque

oratio a notariis excepta, Asconii aetate superstes fuit. Eius etiam Quintilianus IV, 4, 17 mentionem facit. Hanc vero, quam habemus, pro Milone orationem postea scripsit; eamque ad Milonem, qui consul Massiliam concesserat, misit, qui, ut narrat Dio Cassius lib. XL., ei rescripsit bene secum actum esse, quod Cicero non hanc in iudicio habuisset. Nunquam enim futurum fuisse, ut tantos tamque bonos mullos Massiliae comederet, si hoc modo pro se dictum esset.

Exordium huius orationis capitur ab insolita iudicii forma, quod Pompeius forum praesidiis militum circumdederat. Ea quamquam oratorem terrere possit, magnum tamen esse solatium, quod Pompeius pro sua iustitia et sapientia illos centuriones et cohortes non periculi, sed praesidii causa collocaverit, qui defensioni suae non auxilium modo, verum etiam silentium polliceantur. Reliquam civium multitudinem totam causae suae favere. Unum genus infestum esse eorum quos P. Clodii furor rapinis et incendiis paverit. c. 1. Itaque iudices cohortatur, ut timorem, si quem habeant, deponant, ostenditque se in Milonis defensione non eius tribunatu, et rebus pro salute rei publicae gestis abusurum, sed potius id effecturum, ut oculis videant insidias Miloni a Clodio factas, ideoque eum iure occisum esse. c. 2.

Sequitur refutatio eorum, quae adversarii dixerant.

Primo negaverant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateretur. Id Cicero primum exemplis eorum, qui absoluti sint post iustam hominis caedem, deinde iure naturali, denique ipsa lege XII tabularum refutat. c. 3. 4.

Secundo loco dixerant, caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse contra rem publicam esse factam. In quo ostenditur senatum illam caedem non sententiis

suis solum, sed etiam studiis comprobasse; nec novam de ea quaestionem instituisse, sed decrevisse, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaereretur. Ac si incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra rem publicam factam decreverit, hoc eo factum esse, quod nulla vis unquam in libera civitate suscepta inter cives non sit contra rem publicam. c. 5.

Denique dixerant adversarii Pompeium rogatione sua et de re et de causa iudicavisse, quod tulisset de caede, quae in via Appia facta esset, in qua P. Clodius occisus erat. Cui Cicero sic respondet, ut ostendat Pompeium vidisse etiam in confessione facti iuris tamen defensionem suscipi posse. Fuisse olim nobilissimos aliquot viros necatos, de quibus quaestio extra ordinem lata non esset. Neque vero ideo mortem P. Clodii atrociorem esse, quod is in via Appia, hoc est in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Ab ipso enim M. Papirium in eadem via occisum esse, eiusdemque Clodii servum in templo Castoris comprehensum esse, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarit. Ne de hoc quidem facinore rogationem latam, aut quaestionem decretam esse. Itaque Pompeium non facti, sed iuris disceptationem esse voluisse; delectos esse iudices ex florentissimis ordinibus viros optimos et integerrimos, in L. Domitio autem, quem quaestioni praeesse voluerit, nihil aliud spectasse, nisi quaesitoris iustitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Reliquum igitur esse, ut iudices nihil aliud quaerere debeant, nisi uter utri insidias fecerit. c. 6—8.

Sequitur igitur narratio rei gestae, prudenter sic instituta, ut appareat, Clodium insidias feciſse Miloni, eiusque servos, quum Milo ante fundum eius ei occurrisset, in hunc impetum feciſse, atque ita Clodium a servis Milonis,

qui eum occiſum eſſe ex ipſo Clodio audiſſent, neque imperante, neque ſciente, neque praeſente domino, interfectum eſſe. c. 9—11.

Tum accedit orator ad confirmationem, in qua primum demonſtratur Clodium, quia Miloni inſidias fecerit, caeſum eſſe.

Hic primum oſtendit Clodium magnis emolumentis ad interficiendum Milonem ductum eſſe, Miloni Clodii mortem non modo nihil profuiſſe, ſed etiam obfuiſſe. Deinde odium Clodii erga Milonem maius, quam huius in illum fuiſſe. c. 12. 13. Tum demonſtratur, Milonis innocentiam eius conſuetudine et natura defendi, Clodii culpam his iisdem rebus coargui. Etenim Clodii conſuetudinem perpetuam fuiſſe in vi inferenda, Milonis tantum in repellenda. Praeterea ex ipſa cauſa profectionis intelligi non Clodio a Milone, sed Miloni a Clodio inſidias eſſe paratas. c. 14—19. Quod confirmatur primum loco inſidiarum, c. 20. deinde iter Clodii, ut expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparatur, ut illum multo ad caedem paratiorem fuiſſe appareat. c. 21. Neque vero mirum eſſe, Clodium ſic paratum tamen ab imparatis ſervis Milonis occiſum eſſe. Neque vero Milonem ideo in ſuſpicionem venire, quod illos ſervos manumiſerit. Quaeſtionem vero de ſervis Clodii in Milonem habitam nihil probare. c. 22. Denique ipſum reditum Milonis eiusmodi fuiſſe oſtenditur, ut ex eo eluceat, eum pura mente atque integra, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum Romam revertiſſe. c. 23. Multa etiam poſtea in Milonem congeſta eſſe, quae ille innocentiae conſcientia fretus plane contempſerit ac pro nihilo putarit. c. 24—26.

Crimine igitur ipſo caedis a Milone Clodio illatae his argumentis diluto, Cicero oſtendit, ſi Milo Clodium occiſſet, eum propterea praemio potius quam poena afficiendum fuiſſe. Itaque Milo ſic loquens inducitur, ut immania Clodii flagitia et facinora enumeret. c. 27. ideoque magnam populi Romani ex Clodii caede laetitiam eſſe conſecutam demonſtratur; c. 28. eamque caedem in beneficii loco ponendam eſſe partim Graecorum exemplo, qui ſaepe tyrannos necaverint, eorumque interfectoribus magnos honores tribuerint. c. 29. 30. partim deorum immortalium nutu et voluntate confirmatur, quibus huius beneficii gratia potiſſimum debeatur. c. 31—33.

In peroratione iudices implorantur ut miſericordiam tribuant fortiſſimo viro, quam propter innocentiam et dignitatem nec ipſe imploret, nec a defenſore ſuo implorari velit. c. 34—38.

Ceterum cum hac oratione et Aſconii argumentum et Dionis Caſſii lib. XL. narratio comparanda eſt, ex quibus hoc certe intelligitur, etiamſi Clodii caedes et iuſtiſſima et rei publicae utiliſſima fuerit, tamen ab ipso facinore Milonem non tam alienum fuiſſe, quam eum Cicero in defenſione callidiſſime inſtituta videri voluerit.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO PRO T. ANNIO MILONE.

1 Etſi vereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro
1 dicere incipientem timere, minimeque deceat, quum T. Annius ipſe magis de reipublicae ſalute, quam de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe; tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderunt, veterem conſuetudinem fori et priſtinum morem iudiciorum requirunt: non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat, non uſitata frequentia ſtipati ſumus; non illa

C. I. §. 1. Quanta varietas ſit pronuntiationis in hoc exordio, docet Quintil. Inſt. or. XI, 3, 47 ſqq.

novi iudicii, extraordinarii, ſ. quod habebatur relictis ceterorum criminum quaeſtionibus. Vid. Erneſt. clav. Extraordinaria autem iudicia, monet Graevius, habita eſſe aut de crimine, de quo nulla lex erat, aut de eo, quod atrocius exiſtimabatur, quam quod ſecundum leges puniendum putarent, quale hoc fuit. *nova forma* propter praeſidia pro templis omnibus collocata. Cf. ad or. pro S. Roſcio §. 1.

quocunque inciderunt. Vid. ad or. pro Sext. LXVI §. 138. Mira eſt Orellii annotatio: Incidere *poterant* in coelum quoque (!) et quo non? idque ſignificaret coniunctivus; revera autem non *inciderant*, niſi in iudices, Pompeium, armatos. Imo coniunctivus poſt *quicunque* eſt e Germaniſmo; Latini autem non magis hic coniunctivo utuntur, quam in illa orationis conformatione, *omnibus locis, in quae inciderunt.*

ſtipati ſumus, tanquam honoris aut cuſtodiae cauſa: nam hoc proprie eſt *ſtipare*, non ſimpliciter circumdare. Reſpexit autem hunc locum Lucan. Pharſ. I, 319. *Quis caſtra timenti Neſcit mixta foro? gladii quum triſte minantes Iudicium inſolita trepidum cinxere corona, Atque auſo medias perrumpere milite leges Pompeiana reum clauſerunt ſigna Milonem?* De praeſidiis illis vid. argum. Aſconii §. 27. 29.

non illa praeſidia. Vid. annot. crit.

praeſidia, quae pro templis omnibus cernitis, etſi contra II
vim collocata ſunt, non afferunt tamen oratori terroris aliquid, ut in foro et in iudicio, quamquam praeſidiis ſalutaribus et neceſſariis ſepti ſumus, tamen ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus. Quae ſi oppoſita 2
Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum exiſtimarem oratori locum eſſe. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeii, ſapientiſſimi et iuſtiſſimi viri, conſilium, qui profecto nec iuſtitiae ſuae putaret eſſe, quem reum ſententiis iudicum tradidiſſet, eundem telis militum dedere, nec ſapientiae, temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare. Quam- 3
obrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, ſed praeſidium denuntiant, neque ſolum, ut quieto, ſed etiam ut magno animo ſimus, hortantur, neque auxilium modo defenſioni meae, verum etiam ſilentium pollicentur. Reliqua vero multitudo, quae quidem eſt civium, tota noſtra eſt, neque eorum quisquam, quos undique intuentes cernitis, unde aliqua pars fori adſpici poteſt, et huius exitum iudicii exſpectantes, non quum virtuti Milonis favet, tum de ſe, de liberis ſuis, de patria,

ne non timere quidem. Heumannus comparat pro S. Roſc. 24, 66. *ne pii quidem ſine ſcelere eſſe potuerunt.* et in Vatin. 11, 27. *ne recte quidem facere ſine ſcelere potuiſti.* — *ſine aliquo timore.* vid. ad Catil. I, §. 15.

§. 2. *cederem tempori*, facerem id, quod tempus periculoſum ſuadet, i. e. Milonem non defenderem. Cf. Erneſt. clav. Neque enim aſſentior Wundero p. LXXXIII delenti *tempori*. Cf. pro Sext. 30, 64. et infra ad §. 63.

putaret, ſi hoc ab eo peteretur. Similiter pro Sext. 9, 20. *Quis — arbitraretur*, nim. ſi quis hoc ei diceret. de nat. d. II, 56. *quae profluentia neceſſario taetri eſſent aliquid habitura*, ſi oculis expoſita eſſent.

intuentes cernitis. Vid. annot. crit.

non quum virtuti Mil. favet, tum. Recte *quum — tum*, quia prius latiorem intellectum habet, ut loquitur Spalding ad Quint. IV, 1, 66. i. e. prius commune eſt omnibus, ad quod deinde accedit alterum, quod ad unumquemque proprie pertinet. Vid. Laur. Vallae elegant. II, 22. Goerenz. ad Cic. de leg. I, 11, 31. Heindorf ad Cicer. de nat. d. I, 19, 51. Zumpt gramm. lat. §. 339. Ramshorn. p. 512 ſq.

de ſe — decertari putat. Nam hoc iudicio decernetur, utrum

de fortunis hodierno die decertari putat. Unum genus
II est adversum infestumque nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit; qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis; quorum clamor siqui forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum clamoresque maximos
4 pro vestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si

---

ab insidiis latronis vitam impune liceat defendere, an aggredienti cuique succumbendum, quo altero omnis securitas tolleretur.

c. II. §. 3. *pavit.* Cf. pro Sext. 46, 99. 36, 78.

hesterna concione, T. Munatii Planci. Vid. Asconii argum. §. 12.

ut vobis voce praeirent. Egregie Schwarzius hanc locutionem illustrat ad Plinii panegyr. p. 559. Eleganter inest acerbitas, quasi formulam ipsam sententiae praeiverint, a qua vel paululum discedere nefas esset, ut in precationibus et iureiurando. *Garat.*

quid iudicaretis pro iudicare deberetis. *Ern.* Conf. ad Sext. §. 43. 44. 46. 54. 89.

pro vestra sal. in vestra salute defendenda, pro vestra salute propugnans. Sic epp. fam. V, 9. *An verear, ne, qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit* pro *mea salute* etc. i. e. in propugnatione salutis meae. Verr. II, 64, 156. *qui omnium minas atque omnia pericula pro salute sua levia duxerint* i. e. dummodo salutem suam tuerentur. Flacc. 28, 67. *multitudinem Iudaeorum pro rep. contemnere.* Simile est quod infra legitur XXV, 68. *periculum pro alicuius dignitate fugere.* Sed longe usitatius est *negligere al. prae re*, ut epp. fam. XIV, 4. (22, 3.) *qui periculum fortunarum et capitis sui prae mea salute neglexit.* Cf. de l. agr. II, 35, 96. pro S. Rosc. 46, 135. Brut. 83. 286. Fin. IV, 26, 73. de Offic. III, 11, 47. Verr. II, 11, 16. quos locos affert Huldric. ap. Orell. Hoc etiam loco multi Codd. *prae*, quod probarunt Huldricus et Goerenz. *Jahrb. d. Philol.* I. p. 328. Mihi hoc profectum videtur ab eo, qui usitatiorem locutionem pro rariore, quam fortasse ne intelligeret quidem, substitui vellet.

§. 4. *adeste animis.* Gesn. in thes. comparat Somn. Scip. I extr. *Sed ille, Ades, inquit, animo, et omitto timorem, Scipio.* Similiter Latini, *praesentiam animi* dicunt, ut inf. XXIII, 62, et *praesenti animo esse*, ut inf. X, 29. Aliis locis *adesse animo* est favere ei rei, cui interfis, certe attendere, ut explicat Gesn. l. c. ut pro Sull. 11, 33. Phil. VIII, 10, 30.

umquam de bonis et fortibus viris, si umquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit, si denique umquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes et bonos cives, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent, hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus, an diu vexati a perditissimis civibus aliquando per vos ac per vestram fidem, virtutem sapientiamque recreemur. Quid enim 5
nobis duobus, iudices, laboriosius, quid magis sollicitum, magis exercitum dici aut fingi potest? qui, spe amplissimorum praemiorum ad rempublicam adducti, metu crudelissimorum exitiorum carere non possumus? Equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas, quod semper pro bonis contra improbos senserat; in iudicio vero et in eo consilio, in quó ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent, numquam existimavi spem ullam

---

§. 4. *amplissimorum ordinum.* Hoc tempore lege Aurelia (L. Aurelii Cottae praetoris) facti iudices LVII ex tribus ordinibus, senatorio, equestri, et tribunis aerarii. *Hottom.* Ordinem senatorium et equestrem tantum significare h. l. videtur Cicero, sicut saepe tribb. aerar. mentio omittitur, quod ex re, quae potiores partes continet, tota res appellatur, ut ait Ruhnken. ad Vellei. II, 32, 3. Nam quum non plures quam tres ordines fuerint Romae, in *omnibus* iis designandis superlativo uti absurdum esset.

§. 5. *exitiorum*, ut supra §. 3. *omnibus exitiis publicis pavit*, agrar. 2, 4, 10 *qui extremi exitiorum solent esse exitus.* de leg. I, 12. *Id querebatur* (Socrates) *caput esse exitiorum omnium.* Cf. orat. 26. *exitiûm examen rapit* e veteri poeta. *dumtaxat*, certe, saltem, non tantummodo. Vid. Gronov. ad Senec. de benef. V, 2. Monui propter Weiskium. De fluctibus conc. vid. Muren. XVII, 35. et not. pro Flacc. 24, 57. *Exercitus* autem est vexatus, *exercitatus*, usu subactus. Nam pro Font. 14, 31 nunc e Codd. legitur *exercitatus.*

spem esse habituros ad salutem exstinguendam pro salutis exstinguendae. Vid. ad or. pro l. Manil. §. 4. *Non modo* est ne dicam, post quod sequitur, quod per se quidem minus est, sed relatum ad ea quae praecedunt, gravius. Sic pro S. Rosc. 38, 111. *si quis rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sed etiam negligentius.*

esse habituros Milonis inimicos ad eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infrin-
6 gendam. Quamquam in hac causa, iudices, T. Annii tribunatu rebusque omnibus pro salute reipublicae gestis ad huius criminis defensionem non abutemur. Nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas, nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praeclara in rempublicam merita condonetis, nec postulaturi, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potius, quam populi Romani felicitati, assignetis; sin illius insidiae clariores hac luce fuerint, tum denique obsecrabo obtestaborque vos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, vitam ab inimicorum audacia telisque ut impune liceat defendere.

III Sed, antequam ad eam orationem venio, quae est
7 propria nostrae quaestionis, videntur mihi ea esse refutanda, quae et in senatu ab inimicis saepe iactata sunt, et in concione ab improbis, et paullo ante ab accusatoribus,

---

§. 6. *Quamquam in hac causa.* Similis est locus or. pro Planc. I, 3. *Quamquam mihi non sumo tantum, iudices, neque arrogo, ut Cn. Plancium suis erga me meritis impunitatem consecutum putem. Nisi eius integerrimam vitam — ostendero, nihil de poena recusabo; sin omnia praestitero etc.*

rebusque omnibus. Vid. not. crit.

ad huius criminis defensionem. Heum. comparat pro Ligar. I, 1. *ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer.*

si mors P. Clodii salus vestra fuerit significat poni aliquid, tanquam verum, quod tamen falsum esse possit; quomodo etiam in obtestationibus usurpatur de rebus, quae vera quidem sunt, sed cum modestia quadam commemorantur, tanquam dubium esse possit, sintne vera nec ne. *Quum* vero rem extra dubitationem positam ostendit. Minus recte *si* causale vocat Drakenborch. ad Liv. VII, 13. et pro quandoquidem vel quum positum esse putat Horatius Turscll. de partic. *Si* n. 11, quos sequitur Garat. *salus vestra fuerit* ex usu Graecorum (vid. Gramm. graec. §. 309. p. 611) pro saluti vobis fuerit. Sic ad fam. III, 10. (epp. LXVII, 6.) *dubitare non possum, quin tibi amplitudo ista sollicitudo futura sit.*

pop. R. felicitati. Quidquid prospere contigerat, id in fortunam sive in felicitatem pop. R. referebant. Phil. I, 89. *Sustulit illum diem fortuna pop. R.* Phil. V, 29. *Excluſit illum a rep. — fortuna quaedam reip.* Abram. Cf. infr. VII, 20. XXX, 83. Verr. I, 6, 16.

ut, omni errore sublato, rem plane, quae venit in iudicium, videre possitis. Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii, fortissimi viri, qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, quum sua manu sororem esse interfectam fateretur. An est quisquam, qui hoc 8
ignoret, quum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ac iure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui quum a C. Carbone tribuno plebis in concione seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, responderit iure caesum videri. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset. Itaque hoc, iudices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt, eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum

---

c. III. §. 7. *Negant intueri.* De arte, qua Cicero ea, quae adversari Miloni videbantur, amovet, vid. Quintil. IV, 2, 25, qui etiam V, 11, 12. maius minoris exemplum in hoc loco afferri docet. Similis autem causa fuit Opimii ap. Cicer. de or. II, 25, 106. Cum toto autem, qui sequitur, loco Victor. Var. lect. XIII, 23 comparat Demosth. in Aristocr. p. 644, 20 sqq. *δοκοῦσι γάρ μοι ζητῆσαι τοῦτο πρῶτον ἁπάντων οἱ περὶ τούτων ἐν ἀρχῇ τὰ δίκαια ὁρίσαντες, πότερ' οὐδένα χρὴ φόνον ὅσιον εἶναι νομίζειν, ἢ τινά γ' ἔσθ' ὅσιον νομιστέον. Λογιζόμενοι δ', ὅτι μητέρα Ὀρέστης ἀπεκτονὼς, ὁμολογῶν, θεῶν δικαστῶν τυχὼν ἀποφυγγάνει, νομίσαι δίκαιόν τινα εἶναι φόνον· οἱ γὰρ ἂν τά γε μὴ δίκαια θεοὺς ψηφίσασθαι.*

M. Horatii. Vid. Liv. I, 26.

§. 8. De re cf. de orat. I. c. ubi commemoratur etiam responsum P. Scipionis.

Nisi vero. Vid. ad or. pro S. Rosc. §. 82.

Neque enim causam reddit superioris sententiae, qua posse nonnunquam caedem iure factam defendi declaraverat. Nam, nisi hoc ita esset, non posset aut Ahala etc. quod imprimis fit in re exemplis comprobanda, ut recte Goerenz. in *Jahrb.*

doctissimi homines. Doctos praecipue vocari, qui graecis litteris eruditi sint, monuit Heusing. ad Cic. de off. I, 1, 2.

non solum divina. Plus est *sapientissimae* deae sententia liberari, quam simpliciter *divina.*

divina, sed etiam sapientissimae deae sententia liberatum. 9 Quod si duodecim tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderet, interfici impune voluerunt; quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, quum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus? IV Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis illata defenditur. Pudicitiam quum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat: facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit; insidiatori 10 vero et latroni quae potest afferri iniusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim haec, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus,

---

Recte Garaton. comparat divin. in Caec. 12. *ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter studioseque audiant.* de Fin. I, 11. *non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem.* de nat. d. II, 38. *dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione?*

§. 9. *defenderet.* Vid. annot. crit. Hanc legem e graeca Solonis ductam esse, vere ad h. l. monuit Abram. Vid. Petit. leg. Att. p. 635 ed. Wessel. Miscell. philol. I, p. 151. not. 12.

c. IV. *quae multa sunt.* Virgil. Aen. VIII, 427. *Fulmen erat, toto genitor* quae *plurima coelo deiicit in terras,* ubi *quae,* ait Servius, pro *qualia.* Locutio sumpta de Graecis, neque a poetis tantummodo, ut quidam existimant, usurpata. Vid. Burmann. ad Quinctil. I. O. IX, 2. p. 790. *Garat.*

Pudicitiam etc. Rem narrant etiam Plutarch. v. Marii 14. apophtegm. T. VI, pag. 761. Reisk. Valer. Max. VI, 1, 12. Tribunum C. Lusium appellant Plutarch. Quinctil. III, 11, 14. Valer. sororis Marii filium sec. Plut. et Valer. militem Plut. Trebonium, Valer. C. Plotium, Quintil. militem Aruncium, C. Plotium Auruncum Garaton.

eriperet i. e. eripere vellet, in eo esset ut eriperet, de re non perfecta. de Invent. II, 42, 124. *tribunum suum, qui vim sibi afferre conaretur, occidit.* Cf. ad Sull. §. 49.

§. 10. *non scripta.* De his *ἀγράφοις νόμοις* conf. Xenoph. Mem. S. IV, 4, 19. Soph. Antig. 450 sqq. Plato Leg. VII, p. 793. A. B. C. Aristot. Eth. V, 15.

accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, quum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda. Etsi persapienter et quodam 11 modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat, ut, quum causa, non telum quaereretur,

---

Polit. III, 18. Iidem sunt *νόμοι ὑψίποδες, οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν θνατὰ φύσις ἀνέρων ἔτικτεν* apud Soph. Oed. tyr. 865. Ceterum *in his non quaesitum esse numerum, sed secutum,* nihilque factum esse de industria, non credo Ciceroni affirmanti orat. c. 49, 164 sq.

accepimus, audivimus. *Discere* genus designat, cuius partes sunt *audire* et *legere.* At in sqq. *haurire* est vocabulum generis. *Arripuimus,* quasi avide, tanquam nobis accommodatam et consentaneam. *Expressimus,* ita ut lex sit ipsius naturae quasi imago quaedam, ut recte explicat Gesner. in thes., nam vita et factis quasi imaginem quandam legis exhibemus. *ad quam non docti,* (ut Terent. Hec. II, 1, 6. *doctae ad malitiam.*) quam ut sequeremur, non aliorum doctrina et disciplina adducti sumus, sed ab ipsa natura *facti,* ut pro Balb. 1, 3. *natus ad dicendi facultatem.* Neque enim est pro eo, quod barbare dicunt *quoad.*

§. 11. *lex* Cornelia de sicariis, cuius argumentum exposuit Abram. ex Marciano D. ad leg. Cornel. de sicar. et veneficis l. 1. Pandect. XLVIII, 8, 1. *Lege Cornelia de sicariis et veneficis tenetur, qui hominem occiderit, cuiusque dolo malum incendium factum fuerit, quive hominis occidendi furtive faciendi causa cum telo ambulaverit.* Haud dubie igitur lex vetabat hominem occidi, (sicut in scriptis legibus omnibus fit, quamquam haec *communis lex est omnium,* ut ait ipse Tullius de invent. II, 42.) sed non simpliciter ita ut hoc ad omnia tempora valeret, i. e. *non modo,* non tantum hoc vetat, sed addit etiam aliud. Sed poterat etiam *modo* omitti, ut or. pro Quint. 19, 60. *quod praetor non fieri, sed ex edicto suo fieri iubebat.* Cf. de orat. I, 26. ad div. VI, 7. quos locos citat Garaton. cum annot. Cortii ad Sall. Iug. 14, 23. Dukeri et Drakenborch. ad Liv. 38, 22. Fieri igitur potuit, ut *modo* adscriberetur ab explicante lectore; sed utraque lectio bona.

quum causa, non telum quaereretur, quum quaereretur, quae

qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in causa, iudices: non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis, quod obliviscī non potestis, insidiatorem iure interfici posse.

v 12 Sequitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur, caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse contra rempublicam esse factam. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa causa a nobis acta in senatu! quibus assensionibus universi ordinis, quam nec tacitis, nec occultis! Quando enim frequentissimo senatu quatuor, aut summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent? Declarant huius ambusti tribuni

---

causa fuisset teli gestandi, non habueritne telum is, qui occidit.

non enim dubito. „Vix reperiis apud Ciceronem initio periodorum *Non enim*, sed *nec enim*“ Gernhard ad Cicer. Cat. §. 17 p. 36. Quae regula quanti facienda sit, intelligas et ex hoc loco et ex I, 1. V, 14. VIII, 21. Sull. §. 6. 11. 58. l. agr. I, 4, 13. Flacc. 28, 68. multisque aliis.

c. V, §. 12. *Caedem, in qua P. Clodius occisus est.* Recte Garaton. monet significari totam illam dimicationem, in qua Clodius occisus sit, non simpliciter esse pro caedem Clodii. Cf. c. VI, 15.

aut summum. Ante Garaton. edebatur *ad summum*, quod a Tulliana latinitate abhorrere docuerunt I. Fr. Gronov. ad Liv. XXI, 35. Cf. Victor. ad epp. II, 21. Graev. ib. ad XIV, 3. Garaton. hos locos adscripsit: pro Quinct. 25, *biduo, aut summum triduo.* Verr. II, 52. *unum aliquem diem, aut summum biduum.* III, 87, *duo millia nummûm, aut summum tria.* ad Att. XIII, 21. *hodie aut summum cras.* ad Div. V. 21. *excepto uno, aut summum altero.*

Declarare saepius absolute ponitur, non adiecto pronom. *id* vel *hoc*, ut Acad. IV, 6, 16. *industrias plurimum in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum.* Cf. Phil. V, 16, 43. XII, 10, 24. Orat. 48, 160. *E Garat.*

huius ambusti trib. pl. T. Munatius Plancus (Bursa) et Q. Pompeius Rufus tribb. plebis (vid. Ascon. argum. §. 3.) quum contra Milonem Scipioni et Hypsaeo studerent, concionati sunt eo ipso tempore plebemque in Milonem accenderunt, quo propter Clodii corpus curia incensa est, nec prius destiterunt, quam flamma eius incendii fugati sunt e concione. Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt [ante aedem Divi Iulii in ea fori parte, quae ad occasum vergit] sed ad comitium prope iuncta curiae. *Ascon.*

plebis illae intermortuae conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur, quum diceret, senatum non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere. Quae quidem si potentia est appellanda potius, quam aut propter magna in rempublicam merita mediocris in bonis causis auctoritas, aut propter hos officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia, appelletur ita sane, dummodo ea nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum. Hanc vero quaestionem, etsi non est 13 iniqua, numquam tamen senatus constituendam putavit: erant enim leges, erant quaestiones, vel de caede, vel de vi, nec tantum maerorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quaestio constitueretur. Cuius enim de illo incesto stupro iudicium decernendi senatui potestas

---

Intermortuae conc. Intermori, ut ait Manut., interdum idem est quod mori, ut in epp. famil. VI, 16. *Si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas;* interdum est animo sensibusque deficere, ut, qui non moritur, mori tamen videatur; quam similitudinem habet *intermortuae conciones.* Hinc Garaton. Quod singulis accidit, inquit, si quis repentino morbo deficiat et concidat, deinde spiritum recipiat et resipiscat, id concioni universae acriter falsoque tribuitur, quae repente flammis perculsa irruentibus quasi exstincta ceciderit, tum postea revixerit iterumque viguerit. Eleganter etiam et facete Plautus Trinumm. I, 1, 6. *Nam hic nimium morbus mores invasit bonos: Ita plerique omnes iam sunt intermortui. Sed, dum illi aegrotant, interim mores mali, Quasi herba irrigua, succrevere ubertume.* Similiter vero Cicero in Pis. 7. *Quod autem maius indicium exspectatis, nihil inter vos et Catilinam interfuisse, quam quod eamdem illam manum ex intermortuis Catilinae reliquiis concitasti?* (Cf. ad Att. I, 14.) Fracti enim, accisi, oppressi fuerant coniurati, sed nunquam penitus exstincti. Haec Garat. Cf. pro Mur. 7, 16.

§. 13. *erant enim leges.* Garaton. comparat Demosth. de cor. p. 88. ed. Harl. (p. 229, 27. ed. Reisk.) *Εἰσὶ νόμοι περὶ πάντων καὶ ἀγῶνες καὶ κρίσεις, πικρὰ καὶ μεγάλα ἔχουσαι τὰ ἐπιτίμια· καὶ τούτοις ἐξὴν αὐτῷ ἅπασι χρῆσθαι κατ' ἐμοῦ.* De re Phil. II, 9, 22. *De morte P. Clodii fuit quaestio, non satis prudenter illa quidem constituta. — Quid enim attinebat nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus quaestio constituta? — quaesitum est tamen.*

leges, ut Cornelia de sicariis, Aquilia de caede, Lutatia de vi.

iudicium decernendi, non quo non quaestionem decreverit; nam decrevit quaestionem de

esset erepta, de eius interitu quis potest credere senatum iudicium novum constituendum putasse? Cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra rempublicam senatus factam esse decrevit? Quia nulla vis umquam est in libera civitate
14 suscepta inter cives non contra rempublicam. Non enim est illa defensio contra vim umquam optanda, sed nonnumquam est necessaria; nisi vero aut ille dies, in quo Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiam si e republica, rempublicam
VI tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipse decrevi, quum caedem in Appia factam esse constaret, non eum, qui

---

pollutis sacris; sed quod ea impedita est, quominus ita fieret, ut senatus voluerat. *Ern.* Vid. epp. ad Att. I, 14, 16. (epp. VIII. IX.)

oppugnationem aedium M. Lepidi. Post biduum medium quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Aemilius Lepidus. Non fuit autem moris ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. Sed Scipionis et Hypsaei factiones, quia recens invidia Milonis erat, quum contra ius postularent, ut interrex ad comitia consulum creandorum descenderet, idque ipse non faceret, domum eius per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obsederunt; deinde, omni vi ianua expugnata, et imagines maiorum deiecerunt et lectulum adversum uxoris eius Corneliae, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt, itemque telas, quae ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. Postque supervenit Milonis manus et ipsa postulans comitia; cuius adventus fuit saluti Lepido: in se enim ipsae conversae sunt factiones inimicae, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est. *Ascon.*

c. VI. §. 14. *decrevi* i. e. sententia mea iudicavi. ad famil. I, 1. *Crassus tres legatos decernit.* ad Brut. 15. *Statuam Philippus decrevit — Ego enim decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur — ut ovanti introire Caesari liceret, decrevi. — D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco.* Cf. Catil. I, 8, 21. Phil. IX, 6, 13. XI, 11 in. XIV, 4, 11. Similiter *decernere* de toto senatu est faciendum aliquid censere, etsi nullo SCto facto; ut paulo post: *decernebat enim, ut quaereretur* i. e. quaerendum esse censebat.

non eum, qui se defendisset. Nam defensio sui iusta esse potest, nec remp. vulnerat. *Crimen iudicio reservavi,* iudicibus inquirendum reliqui, ab utro illata fuerit vis et comparatae insidiae.

se defendisset, contra rempublicam fecisse, sed, quum inesset in re vis et insidiae, crimen iudicio reservavi, rem notavi. Quod si per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quaestionem nunc nullam haberemus; decernebat enim, ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo: nihil enim necesse est omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus empta intercessione sublata est.

At enim Cn. Pompeius rogatione sua et de re et de 15
causa iudicavit: tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset; in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quaereretur. Quid porro quaerendum est? factumne sit? At constat; a quo? At patet. Vidit

---

Rem notavi, vim et insidias, tanquam caedis causas, improbavi. Cf. c. XI, 31. *Heumann.* Eamdem ob causam Vellei. II, 47. Clodius a Milone, *exemplo inutili, facto salutari reip.* — iugulatus est.

decernebat enim de sententia Q. Hortensii, ut narrat Ascon.

Divisa sententia est. Nam uno SC. decretum erat, ut extra ordinem quaereretur et ut veteribus legibus. Q. Fufius Calenus autem, vir praetorius, postulavit, ut de singulis decerneretur, non de utraque re coniunctim; quod est *dividere sententiam,* vid. Ernest. clav. (Cf. Senec. epist. 21 p. 79. ed. Amstel.) Eo vero fiebat, ut altera pars sententiae probari posset, altera non item. Alteri vero parti, ut veteribus legibus quaereretur, intercessum est a Planco et Sallustio tribb. pl. Credebant enim Pompeium consulem legem de ea re veteribus acerbiorem laturum esse. Quum vero intercessio veteres leges contra senatus voluntatem a causa removeret, fieri non poterat, ut patres extra ordinem quaeri iuberent, quin simul ad tribuni praescriptum novam legem ferendam iudicarent; quod ab amplissimi ordinis gravitate vehementer fuisset alienum. Itaque intercessio, quae ad partem pertinebat, totum SCum impedivit. Sic Garaton. ex Asconio locum expedivit.

§. 15. *et de re et de causa,* hoc est, *de re* in genere, et *de hac causa* in specie, ut loquar cum vulgo. *Heum.* Nam *res,* ut Ernest. in clav. verbis utar, de toto negotio in se considerato (hoc loco de caede in universum) *causa* de momentis temporum personarumque accedentibus (h. l. de caede Clodii a Milone nuper facta) valet. Vid. Manut. ad epp. fam. I, 1. p. 11 sq. ed. Graev.

nempe ut quaereretur. Vid. ad or. pro Lig. §. 7.

etiam in confeſſione facti iuris tamen defenſionem ſuſcipi poſſe. Quod niſi vidiſſet, poſſe abſolvi eum, qui fateretur, quum videret nos fateri, neque quaeri umquam iuſſiſſet, nec vobis tam ſalutarem hanc in iudicando litteram, quam illam triſtem dediſſet. Mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil gravius contra Milonem iudicaſſe, ſed etiam ſtatuiſſe videtur, quid vos in iudicando ſpectare oporteret. Nam qui non poenam confeſſioni, ſed defenſionem dedit, is cauſam interitus quaerendam, non interi-
16 tum putavit. Iam illud dicet ipſe profecto, quod ſua ſponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit, an
VII tempori. Domi ſuae nobiliſſimus vir, ſenatus propugnator atque, illis quidem temporibus, paene patronus, avunculus huius noſtri iudicis, fortiſſimi viri, M. Catonis, tribunus plebis M. Druſus occiſus eſt. Nihil de eius morte populus conſultus, nulla quaeſtio decreta a ſenatu eſt. Quantum luctum in hac urbe fuiſſe a noſtris patribus accepimus, quum P. Africano domi ſuae quieſcenti illa nocturna vis effet illata? quis tum non ingemuit? quis non arſit dolore? quem immortalem, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperent, eius ne neceſſariam quidem exſpectatam
17 eſſe mortem? Num igitur ulla quaeſtio de Africani morte lata eſt? certe nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Interſit inter

in confeſſione facti, quum ſ. etſi factum concederetur. vid. ad or. pro Muren. §. 34.

Quod niſi vidiſſet, poſſe abſolvi. Quod ad antecedentia relatum explicatur verbis *poſſe abſolvi*, ubi nos *nempe* adderemus. Vid. ad Sull. 24 §. 68. Wopk. lect. Tull. p. 285. et quae ibi monuit Hand. p. 380.

non interitum, non, an aliquis occiſus ſit.

§. 16. *tribuendum*, Clodiine cauſa, an temporis faciendum.

c. VII. §. 16. *M. Druſus*. Vid. Vellei. II, 13 ſq. *ſenatus propugnator*. Nam, ut ait Vell. c. 13 *ſenatui priſcum reſtituere cupiebat decus, et iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem. — paene patronus*. Vere patronus ſenatus dictus erat eius pater. Vid. Suet. Tiber. 3. — *huius noſtri iudicis, M. Catonis*. Cf. c. XVI, §. 44.

P. Africano Vellei. II, 4. ubi §. 6. *De eius viri morte nulla habita eſt quaeſtio*.

neceſſariam mortem, quam naturae neceſſitas affert, naturalem.

§. 17. *non alio facinore*. Nam caedes eſt, ſive clarus homo, ſive obſcurus necatus eſt.

vitae dignitatem ſummorum atque infimorum; mors quidem illata per ſcelus iisdem et poenis teneatur et legibus. Niſi forte magis erit parricida, ſi quis conſularem patrem, quam ſi quis humilem necaverit, aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum ſuorum ſit interfectus: hoc enim ſaepe ab iſtis dicitur; proinde quaſi Appius ille Caecus viam munierit, non qua populus uteretur, ſed ubi impune ſui poſteri latrocinarentur. Ita- 18
que in eadem iſta Appia via, quum ornatiſſimum equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidiſſet, non fuit illud facinus puniendum: homo enim nobilis in ſuis monumentis equitem Romanum occiderat. Nunc eiusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat? quae cruentata antea caede honeſti atque innocentis viri filebatur, eadem nunc crebro uſurpatur, poſteaquam latronis et parricidae ſanguine imbuta eſt. Sed quid ego illa commemoro? Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſervus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat; extorta eſt confitenti ſica de manibus. Caruit foro poſtea Pompeius, caruit ſenatu, caruit publico; ianua ſe ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit. Num qua 19
rogatio lata? num qua nova quaeſtio decreta eſt? Atqui, ſi res, ſi vir, ſi tempus ullum dignum fuit, certe haec in illa cauſa ſumma omnia fuerunt. Inſidiator erat in foro collocatus atque in veſtibulo ipſo ſenatus; ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur ſalus civitatis; eo porro reipublicae tempore, quo ſi unus ille cecidiſſet, non haec ſolum civitas, ſed gentes omnes concidiſſent. Niſi vero quia perfecta res non eſt, non fuit punienda; perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia, legibus vindi-

mors quidem, ſed mors. vid. ad or. pro Muren. §. 12.

in monumentis mai. ſuor. in via Appia. Nam Appius Claudius Caecus, qui viam muniit in cenſura tritavus fuit P. Clodii, pater C. Claudii, quo natus Appius Claudius minor P. Clodium genuit. vid. Beier. ad Cicer. orat. fr. p. 109.

proinde. Vid. not. crit.

§. 18. *M. Papirium*. Vid. Aſcon. ad c. 14.

Comprehenſus eſt. Cf. pro Sext. 32, 69. 38, 83. et not. Aſcon. l. c.

§. 19. *cuius in vita niteb.* In Somnio Scip. 2. *tu eris unus, in quo nitatur civitatis ſalus. Garat.*

perinde quaſi exitus rerum. Vid. pulcherrimam narrationem Herodoti de Glauco Epicydis filio VI, 86. Iuvenal. XIII, 209. *Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum, Facti crimen habet. Exitus rerum, non hominum con-*

centur. Minus dolendum fuit re non perfecta, ſed punien-
20 dum certe nihilo minus. Quoties ego ipſe iudices, ex P. Clodii telis et ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus ſi me non vel mea vel reipublicae fortuna ſervaſſet, quis
VIII tandem de interitu meo quaeſtionem tuliſſet? Sed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipſos cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa; P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre poteſt; luget ſenatus, maeret equeſter ordo, tota civitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, afflictantur coloniae, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem,
21 tam manſuetum civem deſiderant. Non fuit ea profecto cauſa, iudices, non fuit, cur ſibi cenſeret Pompeius quaeſtionem ferendam; ſed homo ſapiens atque alta et divina

---

filia, i. e. quaſi non hominum conſilia, ſed exitus rerum. Vid. ad Roſc. §. 92. ubi erravi in loco Tuſc. II, 12, 28. Dicendum erat, nonnunquam utrique dicendi modo locum eſſe.

c. VIII. §. 20. *qui audeamus*, i. e. quum audeamus. Vid. ad or. pro S. Roſc. §. 4. Nam ſuperiore cap. revera Druſum etc. cum Clodio comparavérat.

confecta ſenio eſt. Pro maerore ac triſtitia *ſenium* poſuit, quod ex iis efficitur. — *Senescere* omnia dicuntur, quae languent et ſqualent, ut hic notavit Abramius; quum color, valetudo viresque deficiunt, adoleſcentibus *ſenium* eſt, ut in Oreſte olim oſtendimus, quem triſti vultu et tabeſcente corpore deſcribit Euripides v. 879 (881 Musgr.) *κατηφῆ καὶ παρειμένον νόσῳ*, et *triſtem* induci iubet Horat. A. P. v. 124. Id quum ei loco eſſet aptiſſimum, quo reſpectus eſt ad tragoedias, nunc ad civitatem omnem populumque Romanum transferri videmus. Eadem ratione pro Cluent. 5, 13. de muliere adoleſcente, *in huius amantiſſimi fratris ſui manibus et gremio maerore et lacrymis conſeneſcebat*. pro Sext. 51. extr. *otio et tranquillitate reip. conſeneſcebat*. Perſius I, 26. *En pallor ſeniumque*. Horat. epiſt. I, 7, 85. *amore ſeneſcit habendi*. Neque vero inter aegritudinum nomina erat quaerendum, quum non ſit genus aliquod aegritudinis, verum a ſenectute ad angorem animi transferatur. Ad agnos transtulit Varro R. R. II, 2, 17. *quum depulſi ſunt agni a matribus, diligentia adhibenda eſt, ne deſiderio ſeneſcant*: quem locum Abramius attulit, cuius in ſimilibus congerendis diligentia eſt incredibilis. *Garat.*

alta mens eſſe videtur, quae alte in rerum naturam quaſi penetrat, eiusque intimos et abditos receſſus explorat, quod *altius perſpicere* vocat Cicer. Verr. act. I c. 7, 19. Sic Solon. ap. Plut. Sol. c. 14. *οὐκ ἔφυ Σόλων βαθύφρων οὐδὲ βουλήεις ἀνήρ*. Erneſt. in clav. v. *Altitudo mentem altam* h. l. explicat, quae res humanas contemnit, Garaton. quae, tanquam e ſpecula, plus ceteris videt. Diverſa eſt *altitudo animi* ap. Salluſt. Iug. 105. de qua vid. Ern. in ind. graec. v. *βαθύτης*. *Divina* autem mens, quae ſapientiae deorum proxima videtur. Hunc Cicero, ut ait Garaton., ſummis laudibus adhibere cumulum ſolet, ut infr. c. 33 extr. de or. I, 38 in. *Antonii incredibilis quaedam et prope ſingularis et divina vis ingenii*; et ordine converſo in Milonis laudibus pro Sext. 39 extr. Haec etenim vox id omne continet, quod eſt maxime admirabile ac ſingulare.

quadam mente praeditus, multa vidit; fuiſſe ſibi illum inimicum, familiarem Milonem; in communi omnium laetitia ſi etiam ipſe gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. Multa etiam alia vidit, ſed illud maxime, quamvis atrociter ipſe tuliſſet, vos tamen fortiter iudicaturos. Itaque delegit e florentiſſimis ordinibus ipſa lumina. Neque vero, quod nonnulli dictitant, ſecrevit in iudicibus legendis amicos meos: neque enim hoc cogitavit vir iuſtiſſimus, neque in bonis viris legendis id aſſequi potuiſſet, etiamſi cupiſſet: non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non poſſunt, propterea quod conſuetudines victus non poſſunt eſſe cum multis; ſed, ſi quid poſſumus, ex eo poſſumus, quod respublica nos coniunxit cum bonis. Ex quibus ille quum optimos virós legeret, idque maxime ad fidem ſuam pertinere arbitraretur, non potuit legere non ſtudioſos mei. Quod vero te, L. Domiti, huic quaeſtioni praeeſſe maxime 22
voluit, nihil quaeſivit aliud, niſi iuſtitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit, ut conſularem neceſſe eſſet, credo quod principum munus eſſe ducebat reſiſtere et levitati multitudinis et perditorum temeritati. Ex conſularibus te creavit potiſſimum: dederas enim, quam contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta

---

§. 22. *quaeſivit*, ſpectavit, proprie nihil aliud ut adeſſet curavit.

ut conſularem neceſſe eſſet. huic quaeſtioni praeeſſe. Fuerat autem Domitius biennio ante (a. u. 699) conſul cum Appio Claudio.

munus eſſe ducebat. Vid. ad Manil. §. 17.

inſanias. Nomina, quae, etſi vi ſua pluralem recipere non poſſe videntur, plura eo numero poſita commemorat Heuſing. ad Off. I, 22. Cf, Bremi ad Cic.

23 maxima. Quamobrem, iudices, ut aliquando ad cauſam crimenque veniamus, ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata, neque de cauſa quidquam noſtra aliter, ac nos vellemus, a ſenatu iudicatum eſt, et lator ipſe legis, quum eſſet controverſia nulla facti, iuris tamen diſceptationem eſſe voluit, et delecti iudices isque praepoſitus quaeſtioni, qui haec iuſte ſapienterque diſceptet; reliquum eſt, iudices, ut nihil iam aliud quaerere debeatis, niſi uter utri inſidias fecerit. Quod quo facilius argumentis perſpicere poſſitis, rem geſtam vobis dum breviter expono, quaeſo diligenter attendite.

IX 24 P. Clodius quum ſtatuiſſet omni ſcelere in praetura vexare rempublicam, videretque ita tracta eſſe comitia

---

de fin. p. 45. De Domitio ſic Aſconius: Conſtantiam L. Domitii, quam in praetura (Garat. et Ferrat. Epp. III, 6. coni. *in quaeſtura*, quo ducit etiam adiectum *in adoleſcentia*, annos unum et triginta natus) praeſtitit, ſignificat. Nam eo tempore (a. u. 687.) quum C. Manilius, trib. pl. ſubnixus libertinorum et ſervorum manu perditiſſimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, idque per tumultum ageret, et clivum Capitolinum obſideret, diſcuſſerat perruperatque coetum Domitius, ita ut multi Manilianorum interficerentur. Quo facto et plebem infimam offenderat, et ſenatus magnam gratiam inierat. De Manilio cf. fr. or. pro Cornel. I p. 958. ed. Graev. p. 1045. Ern. Hanc legem tuliſſe Manilium menſe Dec. anni 687. *poſt pauculos ſtatim dies, quam inierat tribunatum*, ut ait Aſcon., alteram autem de Pompeio belli contra Mithrid. duce deligendo poſt aliquot menſes, quam novi Coſſ. Lepidus et Volcatius iam magiſtratum iniiſſent, docet Ferrat. l. c.

§. 23. *et delecti iudices.* Sic recte Orell. et Goerenz. in Iahnii *Jahrb. d. Philol.* I p. 331. Nam *eligi* non dicuntur iudices, ſed vel *legi*, ut §. 21. vel *deligi*, aut *ſeligi*. *Deligitur* enim qui ex pluribus et idoneis, *eligitur*, qui ex promiſcua multitudine legitur, ut ait Heuſing. ad Cornel. N. Ageſ. I, 3. Cf. Bremi ad Corn. N. Pelop. II, 2. Schaef. ad Plin. epiſt. IV, 7, 2. Kritz ad Sall. Catil. 6, 6, p. 35. Eſt igitur *delecti* vocabulum dignitatis; unde *delecti principesque* iunguntur pro Sext. 49, 104. Vatin. 9, 23. Hoc igitur praedicatum eſt ſimile iis, quae de ſenatu et legislatore dicuntur; quod requirebat Erneſt. ut neceſſe non ſit addere *ii, et ii del. i.*

c. IX. §. 24. *ita tracta eſſe comitia*; ὥστε μόλις ἑβδόμῳ μηνὶ τόν τε Καλουῖνον καὶ τὸν Μεσσαλᾶν ὑπάτους ἀποδειχθῆναι, inquit

anno ſuperiore, ut non multos menſes praeturam gerere poſſet, qui non honoris gradum ſpectaret, ut ceteri, ſed et L. Paullum collegam effugere vellet, ſingulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam rempublicam quaereret, ſubito reliquit annum ſuum ſeque in annum proximum tranſtulit, non, ut fit, religione aliqua, ſed ut haberet, quod ipſe dicebat, ad praeturam gerendam, hoc eſt, ad evertendam rempublicam, plenum annum atque integrum. Occurrebat mancam ac debilem praeturam 25 ſuam futuram, conſule Milone; eum porro ſummo conſenſu populi Romani conſulem fieri videbat. Contulit ſe ad eius competitores, ſed ita, totam ut petitionem ipſe ſolus, etiam invitis illis, gubernaret, tota ut comitia ſuis, ut dictitabat, humeris ſuſtineret. Convocabat tribus, ſe interponebat, Collinam novam delectu perditiſſimorum

---

Dio Caſſ. XL, 45. Cf. ibid. c. 17. Nam et trib. pl. comitia impediebant, nec addicebant aves.

annum ſuum, quo ex lege annali Villii praetor fieri poſſet, qui aetatis annus erat 40.

in annum proximum. u. c. 700.

religione al. quia viderat, non ſemel inauſpicatis avibus et aliis ſiniſtris auſpiciis comitia prohiberi. *Abr.*

§. 25. *Occurrebat.* cf. c. XVIII, 48. His vero non ratio redditur, cur annum ſuum reliquerit Clodius, ut Peyrono videbatur, qui addidit *enim*, ſed cur Milonem a conſulatu removere ſtuduerit, id quod ſequitur. Itaque, ſi particula opus, nulla alia locum habere poteſt quam *Sed occurr.*

Contulit ſe ad e. comp. cum iis ſe coniunxit, ut dicitur *ad alic. amicitiam ſe conferre.*

ad eius competitores, P. Plautium Hypſaeum et Q. Metellum Scipionem.

Convocabat tribus. Tribus quomodo in comitiis centuriatis commemorari poſſint, I. Fr. Gronovii verbis oſtendit Erneſt. in clav. voc. *Tribus.* — *ſe interponebat*, tanquam ſequeſtrem ad diſtribuendam pecuniam, quam candidati ſe daturos promiſerant. *Collinam novam conſcribebat*; non quo novam tribum addiderit, quod ne magiſtratui quidem, iniuſſu populi, nedum privato, licebat; ſed, quum Clodius perditiſſimos homines deligeret, quos pecunia corrumperet, cum irriſione quadam hanc hominum colluvionem cum nova tribu comparat, et quidem una e tribubus urbanis, in quas omnis faex urbana conjecta erat. Fortaſſe Collina infimam faecem complectebatur. *Conſcribere* autem non ſimpliciter eſt deſcribere, ſed ad ſimilitudinem militum refertur.

civium conſcribebat. Quanto ille plura miſcebat, tanto hic magis in dies convaleſcebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratiſſimus fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum conſulem, idque intellexit non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſuffragiis populi Romani ſaepe eſſe declaratum, palam agere coepit et aperte dicere
26 occidendum Milonem. Servos agreſtes et barbaros, quibus ſilvas publicas depopulatus erat Etruriamque vexarat, ex Appennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obſcura: etenim palam dictitabat, conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Significavit hoc ſaepe in ſenatu, dixit in concione; quin etiam Favonio, fortiſſimo viro, quaerenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone vivo, reſpondit, triduo illum aut ſummum quatriduo periturum; quam vocem eius ad hunc M. Catonem ſtatim Favonius

---

Quanto ille plura miſcebat, i. e. res turbulentas concitabat ac moliebatur. Sic pro S. Roſcio 32, 91. *ruebant in tenebris omniaque miſcebant.* ubi minus recte vim vocis declaravi. Cf. Catil. IV, 3, 6. Similiter *turbare* uſurpatur, de quo vid. Ruhnken. praef. lex. Scheller. p. 419 (in *Eloqu. lat. exempl.*)

Ubi vidit homo — certiſſimum conſulem. Vid. ad Sext. c. 69. §. 144.

ſaepe eſſe declaratum, nempe quum ſaepe comitia eſſent inſtituta, ſed abrupta per interceſſionem; in quibus iam centuriae, quae ſuffragia tuliſſent, Milonem crearant. *Ern.*

§. 26. *Servos agreſtes ac barbaros.* Erant Clodii poſſeſſiones in Etruria prope Aureliam viam, ut ex Phil. XII, 9. cognoſcimus. Ibi facinoroſorum familias Clodius alebat, quibus ad vim faciendam uteretur. In fragmento orationis de aere alieno Milonis nuper editis p. 35. *Eosdem ad caedem civium de Apennino deduxiſti*; quo loco reliquias exercitus Catilinae horum mentione indicari docet Scholiaſtes, qui ea fragmenta ſervavit. Vide ad c. 5. *Garat.*

conſulatum eripi non poſſe, vitam poſſe. Ubi unum verbum duobus membris commune eſt, ſemel cum negatione, tum ſine ea, Cicero hoc commune verbum bis ponit, ſemel cum negatione. Tuſc. V, 39, 114. *Democr. alba et atra diſcernere* non poterat, *at vero bona, mala* — poterat. Off. I, 24, 84. *Lacedaemonios aliam claſſem parare poſſe, ſe fugere ſine ſuo dedecore* non poſſe. Cf. Tuſc. III, 5, 11. de Fin. I, 11, 38. III, 15, 49. Sic agrar. II, 8 in. Non defuit *conſilium, fides — vehementer defuit.* Off. I, 16, 50. *in feris ineſſe fortitudinem ſaepe* dicimus, *iuſtitiam* non dicimus. Cf. ib. 31, 112. III, 4, 18.

detulit. Interim quum ſciret Clodius (neque enim erat x
difficile ſcire) iter ſollemne, legitimum, neceſſarium ante 27
diem XIII Kalendas Feb. Miloni eſſe Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo, Roma ſubito ipſe profectus pridie eſt, ut ante ſuum fundum (quod re intellectum eſt) Miloni inſidias collocaret, atque ita profectus eſt, ut concionem turbulentam, in qua eius furor deſideratus eſt, quae illo ipſo die habita eſt, relinqueret, quam, niſi obire facinoris locum tempusque voluiſſet, numquam reliquiſſet. Milo autem quum 28
in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus dimiſſus eſt, domum venit, calceos et veſtimenta mutavit, paulliſper,

---

c. X, 27. *neque enim erat difficile.* Vid. ad Sext. c. 19 in.

ad flaminem Iunonis Soſpitae. Aliam cauſam itineris affert Appianus, cuius locum adſcripſi ad argum. Aſconii §. 3. Municipiorum magiſtratus interdum duo erant, qui vocabantur Duumviri, ut Corfinii apud Caeſ. B. C. I, 23. 30. Minturnis Vellei. II, 19. etiam in coloniis Cic. l. agrar. II, 34, 93. interdum unus, ac tum ille interdum *Praetor*, ut apud Fundanos et Praeneſtinos Liv. XXIII, 19. Horat. Serm. I, 5, 34. interdum *Dictator* dicebatur, ut Lanuvii et Tuſculi. *Hottomann. et Abramius.*

profectus eſt — deſideratus eſt — habita eſt. Simplicitatis in narrando imitationem agnoſco, de qua Quintil. loco mox adſcribendo. De repetitione verbi vid. ad or. de l. Manil. c. III, §. 7. De concione autem illa vid. Aſcon. ad c. XVII. *ita profectus* non eſt eo tempore, ut explicat Erneſt. in clavi nec ea conditione, ut Moebius ad h. l. ſed id quod cum illa profectione coniunctum erat, indicat, quod barbare dicunt *his circumſtantiis.* De furore Clodii cf. Beier. ad fr. or. in Clod. et Cur. p. 89.

§. 28. *Milo autem.* Quintil. IV, 2, 57 ſq. *Optimae vero praeparationes erunt, quae latuerint, ut a Cicerone ſunt quidem utiliſſime praedicta omnia, per quae Miloni Clodius, non Clodio Milo inſidiatus eſſe videatur; plurimum tamen facit illa callidiſſima ſimplicitatis imitatio: Milo autem — commoratus eſt. Quam nihil praeparato, nihil feſtinato feciſſe videtur Milo! Quod non ſolum rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras et lentum profectionis ordinem ducit, ſed verbis etiam vulgaribus et quotidianis et arte occulta conſecutus eſt; quae ſi aliter dicta eſſent, ſtrepitu ipſo iudicem ad cuſtodiendum patronum excitaſſent.*

calceos et veſtim. mut., calceis ſenatoriis, qui nigris quatuor corrigiis (pellibus) religati ad medium crus pertinebant (vid. Horat. Serm. I, 6, 27. vid. Ruben. de re veſt. II, 1.) et toga poſita viatorios calceos, ut perones, et

dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est; deinde profectus id temporis, quum iam Clodius, siquidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod numquam fere, quum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno et impedito, ac muliebri
29 et delicato ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum eius hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum; adversi rhedarium occidunt. Quum autem hic de rheda reiecta paenula desiluisset, seque acri animo defenderet, illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur, partim, quod hunc iam interfectum putarent, caedere incipiunt eius servos, qui post erant; ex quibus qui animo fideli in dominum et praesenti fue-

---

penulam sumpsit. Cum sq. *dum se uxor etc.* Heumann comparat Terent. Heautont. II, 2, 11. *Mulieres dum moliuntur, dum comuntur, annus est.*

siquidem — venturus erat, quod Clodii amici contendebant.

nullis Graecis com. cf. c. XX, 55. Quint. V, 10, 50. Graecos philosophos, poëtas, grammaticos secum habuisse hominem, vix credo, sed coquos, pistores, alios libidinum ministros.

cum uxore, Fulvia, quae postea M. Antonio nupsit. Milonis uxor erat Fausta, Sullae filia.

magno et impedito. Duplex comitatus significatur, servorum magnus et impeditus, i. e. impedimentis onustus, alter muliebris ac delicatus ancillarum puerorumque symphoniscorum. Hic opponitur *Graecis comitibus, impeditus comitatus* autem *impedimentis*, ut c. XXI, in. *expedito* Clodio Milo *paenulatus eto.* De ceteris vid. annot. crit.

§. 29. *hora fere undecima*, s. quarta nostra pomeridiana; Ianuarius enim erat mensis. Vid. ad or. pro S. Rosc. §. 19. *secus* de tempore dictum pro *alio tempore* nusquam alibi se reperisse fatetur Mencken. observat. l. l. p. 899.

ex quibus qui animo fideli etc. Egregio artificio animos iudicum ad ipsam rem accipiendam praeparat orator primum commemoratis causis idoneis et paene necessariis caedis. In ipsa vero caede memoranda addit, quod, si nihil nisi grammaticam spectes, omitti poterat, si rhetoricam vim, non poterat, *servi Milonis.* Id enim caput rei est, quo non Milonem caedem fecisse, sed servos eius ostendit.

qui animo — praesenti fuerunt. Terent. Phorm. V, 7, 64. *Animo virili praesentique ut sis, para.* Virg. Aen. V, 363. *animusque in corpore praesens.* quod Heum. attulit opportune. *Garat.*

quod suos quisque servos. Similiter Demosth. in Midiam in. ἐγὼ δ', ὅπερ ἂν ὑμῶν ἕκαστος ὑβρισθεὶς προείλετο πρᾶξαι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐποίησα. quem comparant Muret. V. L. VII, 23. et Abram. ad h. l.

c. XI. §. 30. *Vi victa vis.* Hanc παρίσωσιν cum aliis ex hac oratione iam observavit Victorius V. L. XXVII, 11. Vossium etiam vide Inst. orat. IV, 2, 4 et quae annotantur ad c. 31. pro Coelio. Livius quoque III, 49. *vi victum imperium*, et Lucretius I, 856. *Ex nostris oculis aliqua vi victa perire.* Periodum totam refert Quintil. IV, 4, 2. *Garat.* Cf. Sext. 17, 39. 41, 88. Phil. XIV, 7, 18. Idem Quintil. IV, 5, 15. *Egregie vero Cicero pro Milone insidiatorem primo Clodium ostendit; tum addit ex abundanti, etiam si id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris et gloria necari potuisse.*

Si id iure non posset. Minus accurate Heusing. ad l. de offic. III, 19 hunc locum contra Ernestium, qui sine dubio scribendum esse dixerat *potuisset*, defendens *posset* pro *potuisset* elegantia non carere bonae latinitatis docet. Eiusmodi enallages equidem prorsus eiiciendas esse censeo: neque enim unquam tempus pro tempore sine certa aliqua ratione ponitur. *potuisset* soloecum esset, quum tempus aliud praeteritum non adsit, quo illud, tanquam antecedens, referatur. Nec minus alienum esset *possit*, ut legendum coni. Garatonius; neque enim *nunc* servare se *potest* Milo, sed vel *potuit* vel *poterat*; nec quisquam, puto, offendisset, si scriptum reperisset *Si id iure non potuit* vel eo tempore *poterat.* Praetulit imper-

runt, partim occisi sunt, partim, quum ad rhedam pugnari viderent, et domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum et ex ipso Clodio audirent, et re vera putarent, fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

Haec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator XI superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia 30 est. Nihil dico, quid respublica consecuta sit, nihil, quid vos, nihil, quid omnes boni; nihil sane id profit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una rempublicam vosque servaret. Si id iure non posset, nihil habeo, quod defendam; sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa

praeſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacumque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent, non poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis aut
31 veſtris ſententiis eſſe pereundum. Quod ſi ita putaſſet, certe optabilius Miloni fuit dare iuguſum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tum primum petitum, quam iugulari a vobis, quia ſe illi non iugulandum tradidiſſet. Sin hoc nemo veſtrum ita ſentit, illud iam in iudicium venit, non, occiſusne ſit, quod fatemur, ſed iure, an iniuria, quod multis in cauſis iam ſaepe quaeſitum eſt. Inſidias factas eſſe conſtat, et id eſt, quod ſenatus contra rempublicam factum iudicavit; ab utro factae ſint, incertum eſt; de hoc igitur latum eſt ut quaereretur. Ita et ſenatus rem, non hominem, notavit, et Pompeius de iure, non de facto, quaeſtionem tulit. Numquid igitur aliud in iudicium venit, niſi, uter utri inſidias fecerit? profecto nihil. Si hic illi, ut ne ſit impune; ſi ille huic, tum nos ſcelere ſolvamur.

XII Quonam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni
32 feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua, docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe.

---

fectum, quia rem non cito transeuntem vel uno temporis puncto concluſam ſignificare voluit, ſed eam quae *illo*, quod indicatum eſt, *tempore* continuaretur. Coniunctivum autem poſuit, quia commemorat non id, quod ipſe ſentit, ſed quod ab inimicis Milonis iactabatur. Ita nec anacoluthon cum Goerenzio l. c. agnoſco. Opportune Moebius attulit locum infr. §. 71. *ut vos eum* condemnetis, *in quem animadvertere ipſe* — poſſet.

§. 31. *Quodſi ita putaſſet — fuit.* Vid. ad Sext. §. 81. Cf. pro Archia 10, 25. Similis ratiocinatio eſt pro S. Roſcio 3, 8.

Inſidias factas eſſe conſt. — factum — factae ſint. Recte Garat. monet repetitiones eiusmodi aliquando ita eſſe neceſſarias, ut, eas effugere ſi velis, nihil proficias, niſi ut inepto labore te maceres, et, perſpicuitate ſublata, vitioſa fiat oratio. Cf. quae monui in libro de arte latine ſcribendi (*Theorie des lat. Stils.*) p. 33. Eſt ſpecies aliqua *πολυπτώτου*, quae figura eſt rhetorica.

Impune valere *impunitum*, quippe quod adiective ſit poſitum, recte notavit Heumann., addito Livii loco I, 58. *haud impune adultero fore.* Plautus quoque Mercat. IV, 6, 4. *id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro.*

Itaque illud Caſſianum, CVI BONO FVERIT, in his perſonis valeat; etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſaepe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modo ut praetor eſſet non eo conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet, ſed etiam ut iis conſulibus praetor eſſet, quibus ſi non adiuvantibus, at conniventibus certe, ſperaret ſe poſſe eludere in illis ſuis cogitatis furoribus; cuius illi conatus, ut ipſe ratiocinabatur, nec, ſi poſſent, reprimere cuperent, quum tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur, et, ſi vellent, fortaſſe vix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam iam vetuſtate audaciam. An vero, iudices, vos 33 ſoli ignoratis, vos hoſpites in hac urbe verſamini, veſtrae

---

c. XII. §. 32. *illud Caſſianum.* L. Caſſius fuit, ſicut ſaepe iam diximus, ſummae vir ſeveritatis; quoties quaeſitor iudicii alicuius eſſet, in quo quaereretur de homine occiſo, ſuadebat atque etiam praeibat iudicibus (hoc quod Cicero nunc admonet) ut quaereretur, cui bono fuiſſet perire eum, de cuius morte quaereretur. Ob quam ſeveritatem, quo tempore Sex. Peducaeus trib. pl. criminatus eſt, L. Metellum pontif. max. totumque collegium pontificum male iudicaſſe de inceſtu virginum Veſtalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, abſolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus hunc Caſſium creavit, qui de iisdem virginibus quaereret; isque et utrasque eas et praeterea complures alias nimia etiam, ut exiſtimatio eſt, aſperitate uſus damnavit. *Aſcon.* Cf. ad Roſc. c. XXX. §. 84.

cui bono fuerit. Cui dativum eſſe perſonae, non rei (ut in formula *hoc mihi dammo eſt*) monuit Heumann. et antea I. Fr. Gronov. Obſerv. V, 9. Similis coniunctio duorum dativorum, alterius perſonae, rei alterius, ex de l. agr. II, 2, 5. *cui errato nulla venia, recto facto exigua laus et ab invitis expreſſa proponitur.* i. e. *cui*, nimirum *errato* — — ſed dispar tamen eius loci ratio pro *cuius errato etc.* De re Godofredus ap. Abram. confert Lyſiam or. Areop. p. 109, 26. (§. 13. Bekk.) *ὑμᾶς εἰκὸς οὕτω σκοπεῖν, καὶ τοὺς ἀντιδίκους ἐκ τούτων τὰς κατηγορίας ποιεῖσθαι ἀποφαίνοντας ἥτις ὠφέλεια τοῖς ἀδικήσασιν ἐγένετο.*

in his perſonis i. e. in hominibus hac indole et his moribus praeditis. Vid. Erneſt. clav. v. *perſona.*

eludere. Vid. ad Sext. c. XLIII, §. 94.

nec, ſi poſſent — Abram. comparat Gorgiam *Παλαμήδ. ἀπολογ.* §. 5. ed. Bekk. *οὔτε γὰρ βουληθεὶς ἐδυνάμην ἄν, οὔτε δυνάμενος ἐβουλήθην ἔργοις ἐπιχειρεῖν τοιούτοις.*

peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis ſermone verſantur, quas ille leges (ſi leges nominandae ſunt, ac non faces urbis et peſtes reipublicae) fuerit impoſiturus nobis omnibus atque inuſturus? Exhibe, exhibe, quaeſo, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum, quod te aiunt eripuiſſe domo et ex mediis armis turbaque nocturna, tamquam Palladium, ſuſtuliſſe, ut praeclarum videlicet munus atque inſtrumentum tribunatus ad aliquem, ſi nactus eſſes, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre poſſes. Et adſpexit me illis quidem oculis, quibus tum ſolebat, quum omnibus omnia
XIII minabatur. Movet me quippe lumen curiae. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cuius tu inimiciſſimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae poſtulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver eieciſti domo, tu in publicum abieciſti, tu ſpoliatum

---

§. 33. *peregrinantur*, ut Ariſtoph. Equ. 1120. *ὁ νοῦς δέ σου παρὼν ἀποδημεῖ.* quem locum attulit Abram.

ac non. Vid. ad Roſc. §. 92.

inuſturus, tanquam ſervitutis notas: nam captivis et ſervis fugitivis notae inurebantur. Vel potius *inurere* eſt tam alte imprimere, ut acriter ſentiantur, ut de orat. II, 45, 189. *omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipſo oratore impreſſi atque inuſti videbuntur.* Itaque Piſon. 13, 30. *lex inuſta* dicitur *per ſervos.*

Et adſpexit me etc. Hic eſt Sex. Clodius, quem in argumento huius orationis diximus corpus Clodii in curiam intuliſſe et ibi cremaſſe, eoque incenſo curiam conflagraſſe; ideo *lumen curiae* dicit. *Aſcon.* Iocum ex ambiguo recte vocant Manut. et Abram. *Lumen* enim *curiae* ſignificare etiam poterat clariſſimum ſenatorem, cuius dignitate moveretur.

c. XIII. *punitus es.* Sic Phil. 8, 2, 7. *ut clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necem.* Cf. Tuſc. I, 44, 107. de offic. I, 25, 88. Plura eiusmodi verba commemorat Ruddimannus I p. 276. ed. Stallb.

cruentum cadaver, quod lavari et inungi debuerat, *eieciſti*, quum in veſtibulo domus collocari et efferri conveniret. De iuſtis funebribus vid. Turneb. Adv. XXI, 15. Dio Caſſ. XL, 49 in Clodii corpore cremando *τὸν ὅμιλον πάντα τὰ περὶ τὰς ταφὰς νόμιμα συγχέαι* ſcribit.

abieciſti. Sic infra 32, §. 86. Piſon. 33, 82. *abiectum cadaver.* Non minus proprium verbum eſt *proiicere*, ut Tuſc. I, 43, 104. *proiici ſe iuſſit inhumatum*, ſed h. l. nulla codd. auctoritate mu-

imaginibus, exſequiis, pompa, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. Quam rem etſi nefarie feciſti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompſiſti tuam, laudare non poſſum, iraſci certe non debeo. * * *

---

nitum, de quo vid. Ruhnk. ad Rutil. L. p. 45. Cum contemptu etiam dictum videtur *cadaver*, quum alibi *hominis mortui corpus* commemoretur.

imaginibus. Hos *expreſſos cera vultus* maiorum nobilium tanquam larvas impoſitos eſſe hominibus forma et ſtatura ſimillimis patet e Polybio VI, 53. p. 568 ed. Schweigh. *Ταύτας τὰς εἰκόνας — — ἄγουσιν εἰς τὴν ἐκφοράν, περιτιθέντες ὡς ὁμοιοτάτοις εἶναι δοκοῦσι κατά τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἄλλην περικοπήν. οὗτοι δὲ προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας — — αὐτοὶ μὲν οὖν ἐφ' ἁρμάτων οὕτοι πορεύονται — — — ὅταν δ' ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους ἔλθωσι, καθέζονται πάντες ἐξῆς ἐπὶ δίφρων ἐλεφαντίνων· οὐ κάλλιον οὐκ εὐμαρὲς ἰδεῖν θέαμα νέῳ φιλοδόξῳ καὶ φιλαγάθῳ.* Sed haec optime demonſtravit Eichſtadius in comm. tribus *de imaginibus Romanorum.*

Exſequiae proprie ſignificat comitatum eorum, qui funus proſequuntur; *pompa*, quae ad magnificentiam deductionis additur. Corn. Nep. Att. c. 22. *Elatus eſt — ſine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis.*

Infelices arbores alias vocantur quae fructus non ferunt, ideoque ad ſupplicium deſtinatae ac diis inferis conſecratae ſunt. Hic vero, ut recte monuit Garaton., ligna infelicia non ſunt, ut illa, in funerum ac ſupplicorum uſum nata, imo honore quodam potita, quum ex iis fuerint ſubſellia ſenatorum confecta et tribunalia praetorum, perierint tamen miſerrime rogumque cadaveri P. Clodii praeſtiterint. Quod mihi ita probatur, ut tamen hoc vocabulum in Clodii contumeliam uſurpatum putem, ad deſignandum hominem, lignis infelicibus i. e. ſupplicio dignum.

Semuſtulatum, cfr. or. pro Tull. §. 18. *ſemuſtilatus effugit*, ubi Heinr. hoc quoque loco *ſemuſtulatum* ſcribendum videri monet. *Semuſtulatus* e Colot. et Vatic. Garaton. edidit Philipp. II, 36.

nocturnis canibus. Noctu diſcurſantibus: nam interdiu canes dilaniare cadaver non poterant, quia in celeberrimo urbis loco abiectum erat. Dictum autem fere poetico more, pro *noctu dilaniandum*, ut illud Horatii. *Nocturna verſate manu, verſate diurna.*

laudare non poſſum i. e. quamquam laudare non poſſum, eadem ratione dictum eſt, qua illa, de quibus ad Sext. XIX §. 44. XLIX §. 105. LXVI §. 138. monui.

34 *** fuerit occidi Milonem; convertite animos viciſſim nunc ad Milonem. Quid Milonis intererat interfici Clodium? Quid erat, cur Milo, non dicam, admitteret, ſed optaret? Obſtabat in ſpe conſulatus Miloni Clodius? At eo repugnante fiebat, imo vero, eo fiebat magis, nec me ſuffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Valebat apud vos, iudices, Milonis erga me remque publicam meritorum memoria; valebant preces et lacrimae noſtrae, quibus ego tum vos mirifice moveri ſentiebam; ſed plus multo valebat periculorum impendentium timor. Quis enim erat civium, qui ſibi ſolutam P. Clodii praeturam non ſine maximo rerum novarum metu proponeret; ſolutam autem fore videbatis, niſi eſſet is conſul, qui eam auderet poſſetque conſtringere. Eum Milonem unum eſſe quum ſentiret univerſus populus Romanus, quis dubitaret ſuffragio ſuo ſe metu, periculo rempublicam liberare? At nunc, P. Clodio remoto, uſitatis iam rebus enitendum eſt Miloni, ut tueatur dignitatem ſuam; ſingularis illa huic uni conceſſa gloria, quae quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam morte Clodii cecidit. Vos adepti eſtis, ne quem civem metueretis, hic exercitationem virtutis, ſuffragationem conſulatus, fontem perennem gloriae ſuae perdidit. Itaque Milonis conſulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus eſt. Non modo igitur nihil pro-
35 deſt, ſed obeſt etiam P. Clodii mors Miloni. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus; fuit ultor iniuriae, punitor doloris ſui. Quid, ſi haec, non dico maiora

---

§ 34. *** *fuerit occidi Milonem.* — *Quis enim erat civium, qui ſibi ſolutam.* Haec verba e Palimpſeſto Taurin. addidit Peyron p. 221. eorumque veſtigia praeferunt Erfurt. et Lagom. 43. qui habent *proponeret*, non *proponi*, et Erfurt., qui *ſolutam autem fore* pro *et ſolutam fore* exhibet. In Erfurt. etiam inter verba *debeo* et *P.* ſuperſcriptum *deeſt*. Quae deſunt, ita ſupplevit Peyron: *Audiſtis, iudices, quantum Clodio profuerit*, Beier. autem ad Cicer. or. fragm. p. 90. ſic *Demonſtravi, iudices, quantum Clodii interfuerit.*

ſolutam — conſtringere, tanquam belluam aliquam. Conf. infra XV, 40. pro Sext. 7, 16. 41, 88. quos locos attulit Garaton.

uſitatis rebus. Opponitur *ſingularis huic uni conceſſa gloria.*

§. 35. *punitor doloris ſui.* Sic *cupiditas puniendi doloris* de orat. I, 51, 220. i. e. dolorem poena

fuerunt in Clodio, quam in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiem ſuae gloriae, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? Ille erat ut odiſſet, primum defenſorem ſalutis meae, deinde

---

de adverſario ſumpta ſatiandi, eum ulciſcendi.

ſegetem ac materiem. Ad hanc rationem ſententia conformata eſt a Livio VI, 7 quam indicavit Heum. *Hoſtis quid eſt aliud, quam perpetua materia virtutis gloriaeque veſtrae?* Idem non multo poſt c. 22. *adiutor ex tribunis ſorte L. Furius datur, non tam e republica, quam ut collegae materia ad omnem laudem eſſet.* Quinctilianus VIII, 6 (7) p. 731. ut ſolent rhetores in figuris confiſtere, *fontem, ſegetem, materiem* retulit ad ornatum. *Garat.*

praeter hoc civile odium. Nos diceremus *praeterquam hoc civili odio.* Sic etiam divin. in Caec. 4, 14. *Omnium civitatum totius Siciliae legationes adſunt, praeter duas civitates*, i. e. praeterquam duarum civitatum legati. Cf. Phil. III, 11, 28. Cluent. 6 in. *Civile* autem *odium* eſt, ex diſſenſione reipublicae ſ. civili ſuſceptum, non e privata aliqua cauſa, ut contra Victor. V. L. XXI, 19 docuit Muret. ad Tacit. Ann. I, 8 (Opp. T. IV p. 47) et Variar. lect. XI, 3.

Ille erat ut odiſſet pro erat, ut ille od. Sed vis eſt in pronom. *ille*, quam ſynchyſin vocat Garat., quum pron. *ille* proximum ei verbo ſit, cui non convenit; cuius figurae aliud exemplum profert e Lucret. IV, 691. *Hic odor ipſe igitur, nares quicunque laceſſit, Eſt alio ut poſſit permitti longius alter.* Repugnat Goerenz. l. c. p. 334. eamdem eſſe conſtructionem contendens quae ſit formulae *is ſum qui*, et ſupplendum eſſe *ille erat eiusmodi* ſ. *talis, ut.* Quaſi vero *ille ſum qui* unquam dicatur pro *is ſum qui.* Differre haec inter ſe, docebit locus Phil. VI, 3, 5. *is eſt enim ille, qui ſemper — contemſerit.* Cic. de orat. II, 36. *Eſt ut plerique philoſophi nulla tradant praecepta dicendi, es iſt der Fall, daſs.* Coel. 6, 14. *magis eſt, ut ipſe moleſte ferat erraſſe ſe*, i. e. cauſa eſt cur, quomodo hoc quoque loco accipiendum videtur. ib. 20, 48. *quando fuit, ut, quod licet, non liceret?* wann war es der Fall? ad Att. X, 10, extr. *eſt ut regatur*, i. e. fieri poteſt. Divin. I, 56, 128. *Non eſt igitur, ut mirandum ſit*, i. e. non eſt cauſa cur (Alienus eſt locus de offic. II, 24 in., ubi *ut locupletes ſuum perdant etc.* pendent e verbis *non* id agendum eſt, *ut loc.*, quae elicienda ſunt ex eo, quod praecedit, *providendum eſt. Si fuerit* ſc. aes alienum.) Hinc etiam pro Sext. 45, 97. Conf. Terent. Hec. III, 7, 51. 8, 43 ſq. IV, 3, 15. Ad. III, 5, 4. Phorm.

vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremo etiam accuſatorem ſuum: reus enim Milonis, lege Plotia, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius, et in homine iniuſto quam etiam iuſtum?

XIV Reliquum eſt, ut iam illum natura ipſius conſuetudo-
36 que defendat, hunc autem haec eadem coarguant. Nihil per vim umquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo, iudices? quum maerentibus vobis urbe ceſſi, iudiciumne timui? non ſervos, non arma, non vim? Quae fuiſſet igitur iuſta cauſa reſtituendi mei, niſi fuiſſet iniuſta eiiciendi? Diem mihi, credo, dixerat; multam irrogarat; actionem perduellionis intenderat; et mihi videlicet in cauſa aut mala aut mea, non et praeclariſſima et veſtra etiam iudicium timendum fuit. Servorum et egentium civium et facinoroſorum armis meos cives, meis conſiliis
37 periculisque ſervatos, pro me obiici nolui. Vidi enim, vidi hunc ipſum Q. Hortenſium, lumen et ornamentum reipublicae, paene interfici ſervorum manu, quum mihi

---

II, 1, 40. V, 7, 32. Zumpt. gramm. lat. §. 752.

lege Plotia, quae erat de vi armatis hominibus. Cf. pro Sext. 41, 89. poſt red. in ſen. 8, 19.

c. XIV. §. 36. *Nihil per vim unquam Clodius.* Fortaſſe reſpicit ad id, quod Dio Caſſ. narrat l. 39, 18. *Κλώδιος γραφὴν κατὰ τοῦ Μίλωνος τῆς τῶν μονομάχων παρασκευῆς ἀπήνεγκεν· ἃ γὰρ αὐτὸς ἔπραττε καὶ ἐφ' οἷς ἐκρίνετο, ταῦτ' ἐκείνῳ ἀντενεκάλει.*

non ſervos. Vid. pro Sext. c. XVII extremo.

Diem mihi dixerat. Diem dicere accuſare quidem eſt, ſed tum duntaxat, quum tribuni pl. ad populum accuſant. *Manut.*

actionem perduellionis, ob cives Romanos, Catilinariae coniurationis ſocios, de ſenatus ſententia indicta cauſa damnatos.

videlicet in ironia uſitatiſſimum. Similiter poſt *credo* in ironia ſequitur *videlicet* pro Planc. 30, 72. *vererer*, credo, *ne turpiter facerem, ſi — defenderem: ſingenda fuit mihi* videlicet (quod Graev. ex Erf. addidit) *cauſa peracuta.* quem locum attulit Moebius. Egregium Ciceronis fragm. Garat. attulit e Quintil. IX, 3, 40. *Veſtrum iam hic factum reprehenditur, Patres conſcripti, non meum; ac pulcherrimum quidem factum, verum, ut dixi, non meum, ſed veſtrum.*

Servorum — obiici nolui. Cf. pro Sext. XX. Piſon. 9, 21.

§. 37. *quum mihi adeſſet*, meam cauſam ſua praeſentia et auctoritate defenderet, ne in exſi-

adeſſet; qua in turba C. Vibienus ſenator, vir optimus, cum hoc quum eſſet una, ita eſt mulcatus, ut vitam amiſerit. Itaque quando illius poſtea ſica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis eſt; huic ego vos obiici pro me non ſum paſſus; haec inſidiata Pompeio eſt; haec iſtam Appiam, monumentum ſui nominis, nece Papirii cruentavit; haec, haec eadem longo intervallo converſa rurſus in me nuper quidem, ut ſcitis, me ad regiam paene confecit. Quid ſimile Milonis? cuius 38

---

lium eiicerer. De C. Vibieno vid. Aſcon. arg. §. 7.

Haec intentata nobis eſt, ante exſilium. *huic ego — non ſum paſſus*, urbem relinquendo. *haec inſidiata Pompeio eſt.* vid. ſupra 7, 18. Aſconius ad h. l. nihil habet, quod non illis locis ab ipſo Cicerone narretur, alia, quae ad locum melius intelligendum nihil valent.

nece Papirii. Pompeius poſt triumphum Mithridaticum Tigranis filium in catenis depoſuerat apud Flavium ſenatorem. Qui poſtea quum praetor eſſet eodem anno, quo tribunus pl. Clodius, petiit ab eo Clodius ſuper coenam, ut Tigranem adduci iuberet, ut eum videret. Adductum collocavit in convivium, deinde Flavio non reddidit; Tigranem dimiſit et habuit extra catenas, nec repetenti Pompeio reddidit, poſtea in navem depoſuit, et quum profugeret, ille tempeſtate delatus eſt Antium. Illico, ut deduceretur ad ſe, Clodius Sex. Clodium, de quo ſupra dixi, miſit, qui eum reduceret. Flavius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus eſt. Ad quartum lapidem ab urbe pugna facta eſt, in qua multi ex utraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flavii, inter quos et M. Papirius eques Romanus publicanus, familiaris Pompeio. Flavius ſine comite Romam vix perfugit. *Aſcon.*

longo intervallo, ſexennio poſt, quum Cicero pro Milonis conſulatu obniteretur Clodio. *Garat.*

ad regiam. Quo die periculum hoc adierit, ut Clodius eum ad regiam paene confecerit, nusquam plane inveni; non tamen adducor, ut putem, Ciceronem mentitum, praeſertim quum adiiciat *ut ſcitis.* Sed videtur mihi loqui de eo die, quo Coſſ. Domitio et Meſſala, qui praeceſſerant eum annum, quum haec oratio dicta eſt, inter candidatorum Hypſaei et Milonis manus in via ſacra pugnatum eſt, multique ex Milonis ex improviſo ceciderunt. De cuius diei caede et periculo ut putem loqui eum, facit et locus pugnae; — nam in ſacra via traditur commiſſa, in qua eſt regia (Anci Marcii ſec. Solinum c. 2.)

vis omnis haec ſemper fuit, ne P. Clodius, quum in iudicium detrahi non poſſet, vi oppreſſam civitatem teneret. Quem ſi interficere voluiſſet, quantae, quoties occaſiones, quam praeclarae fuerunt? Potuitne, quum domum ac deos penates ſuos, illo oppugnante, defenderet, iure ſe ulciſci? potuitne, cive egregio et viro fortiſſimo, P. Sextio, collega ſuo, vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, quum de reditu meo legem ferret, pulſo, crudeliſſima in foro caede facta? potuitne, L. Caecilii, iuſtiſſimi fortiſſimique praetoris, oppugnata domo? potuitne illo die, quum eſt lata lex de me? quum totius Italiae concurſus, quem mea ſalus concitarat, facti illius gloriam libens agnoviſſet, ut, etiam ſi id Milo feciſſet, cuncta civitas
XV eam laudem pro ſua vindicaret? At quod erat tempus?
39 Clariſſimus et fortiſſimus conſul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator ſenatus, defenſor veſtrae voluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſti-

— et quod affuerunt cum candidatis ſuffragatores, Milonis Cicero, Hypſaei Clodius. *Aſcon.* Aliam pugnam eſſe, quae commemoratur ad Att. IV, 3. (epp. 34, 5) quippe ipſo reditus anno factam, monuit Garaton.

§. 38. *ne P. Clodius — teneret.* Nam *gladiatoribus emptis reipublicae cauſa, quae ſaluto* Ciceronis *continebatur*, Milo *omnes P. Clodii conatus furoresque repreſſit*, ut ait noſter de offic. II, 17, 58. Cf. pro Sext. 42, 90. 92. ad Att. IV, 3 (epp. 34, 11.) Dio Caſſ. 39, 8.

quantae, quoties occ. Vid. ad Catil. IV, §. 19. ad Att. I, 11 extr. *quas tu incredibile eſt, quam brevi tempore quam deteriores offenſurus ſis, quam reliquiſti.* Caeſ. b. Gall. I, 43. *quae ſenatus conſulta, quoties quamque honorifica in eos facta eſſent.* Garaton. laudat. Cortium ad Salluſt. Iug. 14, 11.

Potuitne. Vid. ad Roſc. §. 33. ſed praecipue Scheller. Obſerv. p. 17. ad II de or. 15. De domo Milonis oppugnata cf. pro Sext. 39. extr. 41. Alia eſt oppugnatio ap. Aſcon. arg. §. 8. coll. Dion. Caſſ. XL, 49. D.

P. Sextio. Vid. Sext. 37. in. De *Fabricio* ibid. 35, 75.

L. Caecilii, praetoris P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote Coſſ. a. u. 696. auctore Aſconio, qui de oppugnata eius domo nusquam ſe adhuc legiſſe fatetur. Ceterum de hac animi moderatione Milonis cf. Sext. c. XLI, 88.

c. XV. §. 39. *ultor ſceleris illius* pro ſceleſti illius, ſc. Clodii. *Ern.* Quidni qui ſcelus illius, eiectionem Ciceronis, ulciſcebatur.

tutor ſalutis meae; ſeptem praetores, octo tribuni plebis, illius adverſarii, defenſores mei; Cn. Pompeius auctor et dux mei reditus, illius hoſtis, cuius ſententiam ſenatus omnis de ſalute mea graviſſimam et ornatiſſimam ſecutus eſt, qui populum Romanum eſt cohortatus, qui, quum de me decretum Capuae fecit, ipſe cunctae Italiae cupienti et eius fidem imploranti ſignum dedit, ut ad me reſtituendum Romam concurrerent; omnia tum denique in illum odia civium ardebant deſiderio mei, quem qui tum interemiſſet, non de impunitate eius, ſed de praemiis cogitaretur. Tamen ſe Milo continuit, et P. Clodium 40
in iudicium bis, ad vim numquam vocavit. Quid privato

ſeptem praetores etc. Omnes magiſtratus de ſe promulgaſſe, praeter unum praetorem, Appium Claudium, fratrem Clodii, et duos tribunos plebis, Sext. Atilium Serranum et Numerium Quinctium, ipſe narrat or. in Piſon. c. 15. qui totus locus cum noſtro conferendus eſt. Cf. ad or. pro Sext. XXX, 69.

ſent. ornatiſſimam non eſt honorificentiſſimam, ut explicat Moebius — quomodo enim partic. paſſiv. vim activam accipere poſſit? — ſed omnibus, quae ad elegantiam orationis pertinent, inſtructam. Sic *graviter et ornate dicere* pro Sext. §. 74. Vid. Erneſt. lex. technol. lat. rh. v. *Ornare.*

decretum Capuae fecit. Rectius *fecit* quam *feciſſet*, quod ante Graevium legebatur: nam eo ipſo, quod decretum fecit, ſignum dedit. Vid. Exc. ad orat. VII p. 241. not.

ſignum dedit vix dixerim e re militari ductum eſſe, quod valet de locutione *ſignum ſuſtuliſti* Marc. 1.

interemiſſet — cogitaretur. Non eſt pro *cogitatum eſſet*, quamquam nos ita loqueremur, ſed ineſt in imperf. continuationis notio, ut ſupra c. XIV extr. Cat. m. 6, 19. *Num igitur, ſi ad centeſimum annum vixiſſet, ſenectutis eum ſuae poeniteret?* non poenitebat autem eum.

§. 40. *in iudicium — ad vim.* Saepe praepoſitiones variari, praeſertim ubi ſua cuique nomini propria ex uſu tribuatur, ad h. l. monuit Garat. laudans Catil. II, 6. *Si L. Catilina — iter* ad *fugam atque* in *exſilium converterit*, et pro Cluent. 55, 150. *converte nunc ad equeſtrem ordinem atque in ceteros ordines easdem vitae conditiones:* tum Wopkenſ. lect. Tull. I, 6. p. 27. Drakenb. ad Liv. VI, 28. Heuſing. ad Cic. de off. I, 30. Bis autem in iudicium vocatum eſſe Clodium, nusquam alibi commemoratur.

Milone et reo ad populum, accuſante P. Clodio, quum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus eſt, quae tum non modo occaſio, ſed etiam cauſa illius opprimendi fuit? Nuper vero quum M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, graviſſimamque adoleſcens nobiliſſimus reipublicae partem fortiſſime ſuſcepiſſet, atque illam belluam iudicii laqueos declinantem iam irretitam teneret, qui locus, quod tempus illud, dii immortales! fuit? quum ſe ille fugiens in ſcalarum tenebras abdidiſſet, magnum Miloni fuit conficere illam peſtem
41 nulla ſua invidia, Antonii vero maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties poteſtas fuit? quum ille vi in ſepta irrupiſſet, gladios deſtringendos, lapides iaciendos curaſſet, deinde ſubito vultu Milonis perterritus fugeret ad Tiberim, vos et omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute ſua liberet?

XVI Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, ini-

---

accuſante P. Clodio. Dio Caſſ. 39, 18. quem locum ſupra adſcripſi ad §. 36. pro Sext. c. 44. in. Non impetum factum in Pompeium, ſed convicia a Clodianis iacta eſſe narrant Cicer. epp. famil. I, 5, 9. ad Quint. fr. II, 3. Dio Caſſ. 39, 19.

iudicii laqueos — irretitam. Abram. comparat Demoſth. in Ariſtog. p. 778, 16. *ἀπεσχοινισμένος πᾶσι τοῖς δικαίοις*, quod inter audacter dicta refert Plin. epiſt. IX, 26, 9. *Legum laquei* ſunt Sext. §. 88. Cluent. 55, 150.

in ſcalarum tenebras. Phil. II, 9. *P. Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti. Quidnam homines putarent, ſi tum occiſus eſſet, quum tu illum in foro, inſpectante pop. R. gladio ſtricto inſecutus es, negotiumque transegiſſes, niſi ille ſe in ſcalas tabernae librariae conieciſſet, hisque oppilatis impetum tuum compreſſiſſet?* Reipublicae autem partem ſuſcipit, quicunque aliquid pro ſalute reipublicae aggreditur, ut h. l. Antonius ſeditioſum hominem foro pellit, et Cicero divin. in Caecil. 3, 9. dicit, ſe in accuſando Verre *ad eam partem reip. acceſſiſſe, quae maxime laboraret.* Cf. pro Sext. 22, 49.

c. XVI. §. 41. *Quem igitur cum omn. grat. nol.* De hoc enthymemate e contrariis vid. Quint. V, 14, 2. *cum omnium gratia*, ita ut ab omnibus gratiam iniret, ut *cum aliquorum querela*, ita ut aliqui quererentur. Eſt hoc ex eo genere, de quo monui ad or. pro Muren. §. 2.

quo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere? Praeſertim, iudices, quum honoris ampliſſimi 42
contentio et dies comitiorum ſubeſſet; quo quidem tempore (ſcio enim, quam timida ſit ambitio, quantaque et quam ſollicita cupiditas conſulatus) omnia non modo, quae reprehendi palam, ſed etiam obſcure quae cogitari poſſunt, timemus, rumorem, fabulam fictam, falſam, levem perhorreſcimus, ora omnium atque oculos intuemur. Nihil eſt enim tam molle, tam tenerum, tam aut fragile aut flexibile, quam voluntas erga nos ſenſusque civium, qui non modo improbitati iraſcuntur candidatorum, ſed etiam in recte factis ſaepe faſtidiunt. Hunc 43
diem igitur campi ſperatum atque exoptatum ſibi proponens Milo, cruentis manibus ſcelus et facinus prae ſe ferens et confitens, ad illa auguſta centuriarum auſpicia veniebat? quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, quin ſe ille interfecto Milone regnaturum putaret? Quid? quod caput eſt, iudices,

---

§. 42. *obſcure quae cog. p.* Relativi poſtpoſiti haec exempla ad h. l. attulit Garat. orat. 3. *et reliqua, ex collocatione verborum quae ſumuntur quaſi lumina.* Lael. 5, 19. *ut ii fuerunt, modo quos nominavi.* Off. I, 25, 88. *Nec vero audiendi, graviter qui inimicis iraſcendum putabunt;* alia ad or. pro Balb. 5.

in recte factis, etiam quum recte faciunt. Vid. ad Roſc. §. 22. Catil. II §. 20. *Faſtidire* vero dicuntur eos, quos ſibi non ſatisfacere ſignificant, ut hoc modo ipſi plus aliis ſapere videantur.

Quam hoc non credibile in hoc. Commode Moeb. comparat de or. I, 34, 154. *Sed poſt animadverti, hoc eſſe in hoc vitii.*

§. 43. *dubitandum, quin ſe illa — putaret.* Sic Codd. optimi, Werd., Erfurt. et Bavar. Alii *qui ſe interf. Mil. regn. putaret.* quos cum Erneſt. ſecutus eſt Garaton. At primum iam per ſe vix eſt probabile, qui locutionem expeditiſſimam *qui ſe regnaturum putaret* legerit, hanc in difficiliorem mutaviſſe; qui *quin ſe ille r. put.* legebat, facile hoc corrigens in alterum mutare potuit. Quod ſupra ad c. VI. §. 15 monui poſt *Quod* ad praecedentia relatum ſaepe per abundantiam aliquam addi explicationem, hoc de pron. *id* quoque valet. Lael. 7, 25. *qualis tum patronus iuſtitiae fuit contra accuratam orationem Phili. Facile id* (patronum eſſe iuſtitiae) *fuit, iuſtitiam iuſtiſſimo viro defendere.* ibid. §. 23. *id ſi minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque ſit.* quem locum recte defendit Schellerus Obſervv.

quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? In utro igitur haec fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut praeclari aut certe necessarii? an in Clodio? qui ita iudicia poenamque contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset aut per leges liceret?

44 Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te, Q. Petelli, appello, optimum et fortissimum civem, te, M. Cato, testor; quos mihi divina quaedam fors dedit iudices. Vos ex M. Favonio audistis. Clodium sibi dixisse, et audistis, vivo Clodio, periturum Milonem triduo. Post diem tertium gesta res est, quam dixerat. Quum ille non dubitarit aperire, quid cogitaret, vos potestis dubi-
XVII tare, quid fecerit? Quemadmodum igitur eum dies non
45 fefellit? dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat. Vidit necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est,

---

p. 244. de divin. II, 16 in. *Sed affers in tauri optimi extis, immolante Caesare, cor non fuisse; id quia non potuerit accidere, ut sine corde victima illa viveret.* In pron. *idem* hoc factum N. D. II, 38, 96. Sed ubi sententia explicandi causa additur, solet ea aliis verbis declarari, quam quae praecesserant. Sic h. l. quum dicendum esset: *quam idem in Clodio non dubitandum, quin* cruentis manibus ad comitia venerit, quibus se *interfecto Milone* praetorem factum iri speraret, et hoc modo *se regnaturum putaret*, omissis intermediis, consequens statim posuit, quo simul causa continetur, cur illud minime dubitandum sit. Similiter de fin. II, 33, 108. pro *Quod vero a te disputatum est, maiores esse voluptates et dolores animi, qui probari potest?* ita enim fieret, *ut is, qui propter me aliquid, plus, quam ego ipse,* gauderet, consequens statim adiunxit, *qui probari potest, ut is — gaudeat.* Vid. Goerenz. ad l. Cf. infra ad §. 84. Satis scio non defuturos, qui hanc contortam explicationem esse dicant: sed contorta et difficilia omnia videntur iis, qui consuetudinem dicendi nondum observarunt.

§. 44. *ex M. Favonio.* vid. c. IX, 26.

Quum illo non dubitarit. Refertur ad praesens *potestis. dubitaret*, ut ed. Graev., rectum esset, si sequeretur *poteratis*, et utraque actio per idem temporis spatium continuata significaretur. Nam actio praeterita, relata ad aliam praesentem, perfecto declaratur, ad praeteritam, plusquamperf. Monui propter Ellendti minus dilucidam, ne dicam, falsam, annotationem ad Cic. Brut. p. 32.

die; itaque antevertit. At quo die? quo, ut ante dixi, fuit insanissima concio, ab ipsius mercenario tribuno plebis concitata, quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, numquam reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi, Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit. Quid, si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit? Primum quaero, qui scire 46
potuerit; quod vos idem in Clodio quaerere non potestis; ut enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit, illo ipso die Lanuvii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset, omnes scilicet Lanuvini. Milo de Clodii reditu unde quaesivit? quaesierit sane; videte, quid vobis largiar; servum etiam, ut Q. Arrius, meus amicus, dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius Scola Interamnas, familiarissimus et idem comes P. Clodii, cuius iampridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae, P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse, sed subito ei esse nuntiatum, Cyrum architenim omnia eiicienda sunt, quae sine sententiae detrimento abesse poterant; et *scilicet* h. l. vim habet vere Latinam, qua ponitur de eo, quod ita non dubium esse possit, ut alteri etiam notum esse debeat. Nos: *versteht sich.*

Q. Arrius, meus amicus. In his ironiam non agnoscere cum Garaton. mihi quidem difficile est. Pro mendacio certe Cic. habet id quod Arrius dixit. Quis vero ferat eum, qui serio dicat *Mentitus est Caius, meus amicus?*

cuius iampr. testimonio. Quint. IV, 2, 88. *P. Clodius fiducia testium, qua nocte incestum Romae commiserat, Interamnae se fuisse dicebat.*

---

insanissima concio. Hoc significat, eo die, quo Clodius occisus est, concionatum esse mercenarium eius tribunum pl. Sunt autem concionati eo die, ut ex actis apparet, C. Sallustius et Q. Pompeius, utrique et inimici Milonis, et satis inquieti. Sed videtur mihi Q. Pompeium significare: nam eius seditiosior fuit concio. *Ascon. nisi approperaret, — reliquisset.* Nam reliquit, quia approperabat. Vid. ad Sext. §. 141.

§. 46. *omnes scilicet Lanuvini.* His additis magis ridicula etiam mihi fieri videtur eorum excusatio, qui scire illud non potuisse Clodium dicerent. Itaque nec pro suppositis illa verba habeo cum Lamb., Heum., Gar., neque

ctum esse mortuum; itaque Romam repente constituisse proficisci. Dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius.
XVIII Videte, iudices, quantae res his testimoniis sint confectae.
47 Primum certe liberatur Milo non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio; quippe obvius ei futurus omnino non erat. Deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium) scitis, iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius. Me videlicet latronem ac sicarium abiecti homines et perditi describebant. Iacent suis testibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro audisset, fuisse rediturum. Respiravi, liberatus sum; non vereor, ne, quod ne suspi-
48 cari quidem potuerim, videar id cogitasse. Nunc persequar cetera. Nam occurrit illud: igitur ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus.

---

c. XVIII. §. 47. *liberatur Milo non eo consilio profectus esse* pro Absolvitur Milo (ut supra c. 5, 7. pro Balbo 23. in Pis. 39 extr. Plura habet Mencken. Observ. l. l. p. 578 sq.) eo quod demonstratum est eum non eo cons. profectum esse. Sic recte post Heumann. locum explicavit Garaton. ad Planc. c. 13 et ad h. l. Verba enim dicendi etc. saepe omitti, manente tamen constructione, quam illa requirebat, docuerunt Perizon. ad Sanct. Min. p. 8, 8. ed. Scheid. Wopkens. l. Tull. p. 244. Similiter Phil. V, 5, 14 *excusatur Areopagites esse* i. e. exc. eo, quod dicitur Areop. esse. Cf. Liv. 43, 4. Graeci dicunt ἀπολύεται μὴ ἀδικεῖν, ut Thucyd. I, 95.

consilio vero maioris alic. Cf. Phil. II, 9, 21. Pompeium Rufum et Sallustium hoc dixisse narrat Ascon.

iacent, refelluntur, a suis ipsi testibus prostrati sunt. de divin. II, 51. *iacet igitur tota conclusio*, de fin. V, 28. *iacet omnis ratio Peripateticorum. Garat.* Hanc scripturam *Iacent suis testibus* ii, *qui* cur ferri non posse dicat Garat., non assequor. Is autem cum Lamb. dedit *Iacent hi suis test.* pronomen tamen fortasse delendum dicens; Orell. *Iacent suis testibus hi.* Neque vero necessarium erat eos, qui hoc negabant, tanquam praesentes demonstrari. De *Cyro* architecto vid. epp. fam. II, 2. ad Att. III, 2.

§. 48. *Nam occurrit illud*, sponte sese offert, in mentem venit, explicavit Garat. citans illa: in Verr. V, 40, 104. *Occurrebat illa ratio: quid Cleomene fiet?* de orat. III, 9, 34. *Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud: si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi — non posse ea, quae inter se discrepant, iisdem praeceptis atque una institutione formari.* Cf.

Siquidem exiturus ad caedem e villa non fuisset. Video enim, illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Una fui, testamentum simul obsignavi cum Clodio; testamentum autem palam fecerat, et illum heredem et me scripserat. Quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora

---

de fin. II, 33. Sed ubique simul inest notio rei adversantis iis, quae antea dicta sunt, ut fit pro *in mentem venit, quod contra dici possit.* Itaque *occurrere* in his ea vi potius accipiendum videtur, qua Catil. III, 7, 17 dictum est *Omnibus Catilinae consiliis occurri atque obstiti. occurrit illud*, obstat, adversatur.

Siquidem respondentis est, qui, assumpta per ellipsin ex dicto alterius affirmatione, conditionem subiicit ad infitiandum aut ad confirmandum aut ad distinguendum. Similem in particula *si* rationem vidimus c. 7. de prov. consul. atque ita plane Graeci adhibent tum simplex εἰ, tum εἴπερ, praecipue tragici, a quibus et a comicis dialogorum formulae petendae sunt. Simillima ergo dabit Terent. Eun. I, 2, 102. V, 6, 17. et Plautus Asin. III, 3, 122. Pseud. IV, 7, 55. Poen. I, 2, 28. Neque vero apud ipsum Tullium deerant, veluti de nat. d. II, 36. ubi Pacuvianum illud ex Graeci persona prolatum, *nostri coelum, Grati perhibent aethera* ita deridet: *quasi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur. Siquidem nos non quasi Graece loquentem audimus.* Item de fin. III, 4. *Sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit — — reliquarum rerum discrimen omne tollenti. Siquidem, inquit, tollerem; sed relinquo.* Etiam Tusc. II, 16. *abducet Patrocles, credo, ut collocet in cubili, ut vulnus obliget. Siquidem homo esset. Sed nihil vidi minus: quaerit enim, quid actum sit. Garat.* Idem Italice vertit: *Diresti vero, s' egli non fosse stato per uscire della sua villa per fare uccisione.* Nos diceremus: *Ja, wenn er nur nicht hätte herausgehen wollen*, ut recte vertit Schelle. Recte locum iam cepit Huldricus apud Orell. ad h. l.

animam efflantem. Platonis locos, qui huc faciunt, attuli olim ad c. 25 in Pison. Adde Lucret. III, 436. 456. et Silium XVII, 557. Euripideo illi ἐξέπνευσαν βίον, quod affert Abramius, respondet apud Sophoclem in Ai. 1050. ἀπέψυξεν βίον, eiusque oppositum ἐμπνέειν βιότου ipse habet Euripides in Hippol. 1246. Cicero autem Tusc. II, 9. de Nemeaeo leone, *Frendens efflavit graviter extremum halitum*, quum ea locutio non sit apud Sophoclem, quem ibi Latine loquentem inducit. *Garat.*

decima denique ei nuntiabatur? Age, fit ita factum; XIX
49 quae cauſa, cur Romam properaret? cur in noctem ſe coniiceret? quid afferebat feſtinationis, quod heres erat? primum erat nihil, cur properato opus eſſet; deinde, ſi quid eſſet, quid tandem erat, quod ea nocte conſequi poſſet, amitteret autem, ſi poſtridie mane Romam veniſſet? Atque, ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit, ſic Miloni, quum inſidiator eſſet, ſi illum ad urbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſi-
50 dendum atque exſpectandum fuit. Noctu, inſidioſo et pleno latronum in loco occidiſſet; nemo ei neganti non credidiſſet, quem eſſe omnes ſalvum, etiam confitentem, volunt. Suſtinuiſſet hoc crimen primum ipſe ille latronum occultator et receptator locus; [dum] neque muta ſolitudo indicaſſet, neque caeca nox oſtendiſſet Milonem; deinde multi ab illo violati, ſpoliati, bonis expulſi, multi etiam haec timentes in ſuſpicionem caderent; tota deni-
51 que rea citaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens devertit Clodius ad ſe in Albanum. Quod niſi ſciret Milo, illum Ariciae fuiſſe, ſuſpicari tamen debuit,

---

c. XIX. §. 49. *Quid erat, quod — poſſet, amitteret* i. e. Quid ea nocte conſequi poterat, amittebat autem (eo tempore) ſi veniſſet. Falſo Moebius *poſſet, amitteret* pro potuiſſet, amiſiſſet poſita dicit.

§. 50. *occidiſſet* non eſt pro ſi occidiſſet, de quo vid. ad Roſc. §. 55., ſed occidiſſet eum, ſi ſubſidiſſet. Sic etiam *credidiſſet — ſuſtinuiſſet.*

dum neque muta ſolitudo. vid. not. crit.

tota denique rea citaretur Etruria, i. e. omnes Etruſci accuſarentur caedis Clodii, quos vexarat.

§. 51. *ad ſe in Albanum.* ad Attic. IV, 9. *venit etiam ad me in Cumanum;* de fato apud Macrob. Saturn. II, 12. *quum eſſet apud ſe ad Lavernium Scipio.* de rep. III apud Nonium p. 522 *cuius etiam focum Cato noſter, quum venerat ad ſe in Sabinos, viſere ſolebat;* quos locos attulit Garaton. de locutione *ad ſe* legi iubens Pareum lex. crit. p. 31. et ipſe addens locum Plauti Poen. III, 3, 60. *Ut devortatur ad me in hoſpitium optumum.*

Quod niſi ſciret Milo, ſcilicet *illum Ariciae fuiſſe*, ideoque in via eſſe. Vid. ad c. VI. §. 15. *Ut* eſt concedentis. Quod ut ſciſſe Milonem concedamus, poſt quod ex more ſequitur *tamen.* Vid. Horat. Turſell. p. 1144 ed. Schwartz. *Tamen* vero nunquam idem valet quod certe. ſaltem: vid. ad Catil. III §. 10. *ſuſpicari tamen debuit, eum — deverſurum*, ideoque vel ante occurrere vel in loco inſidioſo ſubſidere.

eum, etiam ſi Romam illo die reverti vellet, ad villam ſuam, quae viam tangeret, deverſurum. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa reſideret, nec eo in loco ſubſedit, quo ille noctu venturus eſſet?

Video adhuc conſtare omnia, iudices; Miloni etiam utile fuiſſe Clodium vivere, illi ad ea, quae concupierat, optatiſſimum interitum Milonis; odium fuiſſe illius in hunc acerbiſſimum, nullum huius in illum; conſuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, huius tantum in repellenda; mortem ab illo denuntiatam Miloni et prae- 52
dictam palam, nihil umquam auditum ex Milone; profectionis huius diem illi notum, reditus illius huic ignotum fuiſſe; huius iter neceſſarium, illius etiam potius alienum; hunc prae ſe tuliſſe, ſe illo die Roma exiturum, illum eo die ſe diſſimulaſſe rediturum; hunc nullius rei mutaſſe conſilium, illum cauſam mutandi conſilii finxiſſe; huic, ſi inſidiaretur, noctem prope urbem exſpectandam, illi, etiam ſi hunc non timeret, tamen acceſſum ad urbem nocturnum fuiſſe metuendum.

Videamus nunc id, quod caput eſt, locus ad inſi- XX
dias ille ipſe, ubi congreſſi ſunt, utri tandem fuerit aptior. 53
Id vero, iudices, etiam dubitandum et diutius cogitandum eſt? Ante fundum Clodii, quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facile mille hominum verſabatur valentium, edito adverſarii atque excelso loco ſuperiorem ſe fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potiſſimum delegerat, an in eo loco eſt potius exspectatus ab eo, qui ipſius loci ſpe facere impetum cogitarat? Res loquitur, iudices, ipſa, quae ſem-

---

c. XX. §. 53. *quo in fundo.* Vid. ad Roſc. §. 23. Adde in Caecil. 1, 2. 5, 18. Verr. IV, 11, 26. Sext. c. 4, 11. ubi Garat. citat Manut. ad div. in Caec. 1. Oudend. ad Caeſ. B. G. II, 18. Cort. ad Salluſt. Catil. 51, 40. ad Plin. epp. II, 11, 23. Cf. Bremi ad l. de fin. I, p. 61. Ellendt ad Brut. 18, 69.

inſanas illas ſubſtr. ut infra §. 85. *ſubſtructionum inſanae moles.*

mille hominum. Phil. 6, 5, 15. *qui L. Antonio mille numûm ferret expenſum*, unde patet *verſabatur* h. l. rectum eſſe, non *verſabantur.*

adverſarii Clodii, quum adverſarius loco ed. atque exc. eſſet.

54 per valet plurimum. Si haec non geſta audiretis, ſed picta videretis, tamen appareret uter eſſet inſidiator, uter nihil cogitaret mali, quum alter veheretur in rheda paenulatus, una ſederet uxor, quid horum non impeditiſſimum? veſtitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, quum paenula irretitus, rheda impeditus, uxore paene conſtrictus eſſet? Videte nunc illum, primum egredientem e villa, ſubito; cur? veſperi; quid neceſſe eſt? tarde; qui convenit, id praeſertim temporis? „Devertit in villam Pompeii.“ Pompeium ut videret? ſciebat in Alſienſi eſſe. Villam ut perſpiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat? mora et tergiverſatio; dum hic veniret, locum relinquere noluit.

XXI Age, nunc iter expediti latronis cum Milonis impe-
55 dimentis comparate. Semper ille antea cum uxore, tum ſine ea; numquam non in rheda, tum in equo; comites Graeculi, quocumque ibat, etiam quum in caſtra Etruſca

---

§. 54. *quum alter veheretur.* Debebat ita pergere: alter egredi*tur* e villa ſubito, veſperi, tarde. Sed interiectis illis *Quid horum non impeditiſſimum* etc. ordo immutatus eſt.

veſtitus, an vehiculum quaſi praeceſſiſſet Quid horum impeditius? veſt. an veh.

uxore paene conſtrictus quae muliebri timore perculſa eum non patiebatur ad pugnam deſcendere. *Abram.* In ſqq. Huldricus apud Orell. recte monuit, de Ciceronis cum adverſario colloquio non cogitandum eſſe, quae Graevii fuerat ſententia. Nam interrogationibus ſubiectis nihil niſi gravius exprimit, quod ſimpliciter ſic dici poterat: ſubito, at nulla de cauſa, veſperi, quod neceſſe non erat, tarde, quod minime conveniebat. Tum demum adverſarium ſibi reſpondentem fingit. Egredi autem dicitur Clodius e villa *ſua*, ut ad villam Pompeii deverteret, ut Clodiani certe ſimulabant.

c. XXI. §. 55. *Age.* Brit. duo *Agite*, quod pro varietate legitur etiam in mei cod. margine. Scilicet ante Vallam non defuerunt, qui *age* putarent cum plurali non poſſe coniungi. Horum iamdiu exploſa ſententia eſt. Conſule Broukhuſ. et Burm. Sec. ad Propert. I, 1, 21. Bulaeum et Burm. ſeniorem ad Valer. Fl. III, 311. Drakenb. ad Liv. 38, 47. *Garat.*

quum in caſtra Etruſca prop. Saepe obiicit Clodio Cicero, ſocium eum coniurationis Catilinae fuiſſe. Quam rem nunc quoque reticens oſtendit. Fuerat enim opinio, ut Catilina ex urbe profugerat in caſtra Manlii centurionis, qui tum in Etruria ad Faeſulas exercitum ei comparabat, Clodium ſubſequi eum voluiſſe, tum dein mutato conſilio in urbem rediiſſe. *Aſcon.* Diſſentit Manut., qui Clodium ad vexandam Etruriam proficiscentem intelligi vult, de quo eſt §. 56.

properabat, tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat et ancillarum greges; ille, qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas duceret, tum neminem, niſi ut virum a viro lectum eſſe diceres. Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur, quia, quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. Nec vero ſic erat umquam non paratus Milo contra il- 56
lum, ut non ſatis fere eſſet paratus; ſemper ille et quan-

---

nugarum. Sic appellat homines leves et nugatorios, h. l. verſantes in artibus ludicris, quas tractare gravi viro indignum eſſet. Cf. ad Att. VI, 3. ad Quint. fr. I, 2, 2. Sic *quisquiliae* Sext. 43, 94. Commode Abram. comparat locum Platonis e Prot. p. 347. D. *Ὅπου δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ συμπόται καὶ πεπαιδευμένοι εἰσὶν, οὐκ ἂν ἴδοις οὔτ' αὐλητρίδας οὔτ' ὀρχηστρίδας οὔτε ψαλτρίας, ἀλλὰ αὐτοὺς αὑτοῖς ἱκανοὺς ὄντας συνεῖναι ἄνευ τῶν λήρων τε καὶ παιδιῶν τούτων.* Cf. pro Sext. §. 24.

niſi ut i. e. niſi tales omnes, ut, quomodo recte explicavit Erneſt. ſecum tamen ipſe pugnans, quum *niſi* ſpurium ſibi videri diceret. Alios locos, ubi *talis* ante *ut* omiſſum eſt, attulit Garaton. Brut. 67, 238. *at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim, ſed eam ut citius veteratoriam diceres*, i. e. ſed talis accuratio, ut eam etc. (Male locus interpungitur etiam ap. Ellendt.) ibid. 47, 174. *L. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut neſcires, quid ei deeſſet.* Locutionem *vir a viro legitur* illuſtravit Victor. V. L. XVIII, 19. monens videri aliquando ſolitos Romanos in delectu habendo poteſtatem facere militibus, ut ſinguli ſingulos, notos ſibi quorumque virtute confiderent, legerent, atque id potiſſimum, quum periculum aliquod maius inſtaret, atque aliquis gravior caſus urgeret. Deinde citat Liv. IX, 39. Tacit. hiſt. I, 18. Aliter hanc locutionem cepiſſe Virgil. Aen. XI, 632. annotat, narrantem ſingulos utriusque aciei legiſſe ſibi e numero hoſtium, cum quibus congrederentur. Cf. Turneb. adverſ. XXV, 7.

ſemper ille. Paulo negligentius locutus eſt Cic. eodem pro-

tum intereſſet P. Clodii ſe perire, et quanto illi odio eſſet, et quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam ſuam, quam maximis praemiis propoſitam et paene addictam ſciebat, numquam in periculum ſine praeſidio et ſine cuſtodia proiiciebat. Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui ſaepe ſpoliantem iam et exſultantem evertit et perculit ab abiecto. Adde inſcitiam pransi, poti, oſcitantis ducis, qui quum a tergo hoſtem intercluſum reliquiſſet, nihil de eius extremis comitibus cogitavit; in quos incenſos ira vitamque domini deſperantes quum incidiſſet, haesit in iis poenis, quas ab eo ſervi fideles pro domini
57 vita expetiverunt. Cur igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet, ne indicarent, ne dolorem perferre non poſſent, ne tormentis cogerentur occiſum eſſe a ſervis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus eſt tortore? quid quaeris? occideritne? occidit. Iure, an iniuria? nihil ad tortorem: facti enim in equuleo quaeſtio eſt, iuris
XXII in iudicio. Quod igitur in cauſa quaerendum eſt, id agamus hic, quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu vero cur miſerit, ſi id potius quaeris, quam cur parum amplis affecerit praemiis, neſcis inimici factum
58 reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia ſemper conſtanter et fortiter, M. Cato, dixitque in turbulenta concione, quae tamen huius auctoritate placata eſt, non libertate ſolum, ſed etiam omnibus praemiis dignissimos

---

nomine modo Milonem, modo Clodium deſignans. Quare *ille* poſt *ſemper* delendum cenſebat Garat.

§. 56. *paene addictam.* Ductum ab eo, quod debitor, qui ſolvendo non eſſet, a praetore tradebatur ſ. addicebatur creditori, qui eo tanquam ſervo uteretur, donec ſolviſſet.

Martem communem. Vid. ad Sext. 5, 12.

perculit ab abiecto, i. e. per eum, qui iam abiectus et proſtratus erat. Ut praep. *a* cum paſſivis iuncta ſignificat id, quod ſubſtantivo efficitur, ſic etiam cum verbis activis, vel neutris ut Acad. I, 7, 29. *nihil valentius eſſe a quo intereat.* Leg. III, 16, 35. *cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit afferre.* Cf. infr. XXXV, 96. De ſimili uſu praepoſ. ὑπὸ vid. Gramm. gr. §. 592. Aliud eſt Il. σ', 309. ξυνὸς Ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα, *occidit eum, qui in eo erat, ut alium occideret.* Sed Eteoclem recte Mars dici potuit *perculiſſe ab abiecto* Polynice.

fuiſſe, qui domini caput defendiſſent. Quod enim praemium ſatis magnum eſt tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus ſervis, propter quos vivit? etſi id quidem non tanti eſt, quam quod propter eosdem non ſanguine et vulneribus ſuis crudeliſſimi inimici mentem oculosque ſatiavit. Quos niſi manumiſiſſet, tormentis etiam dedendi fuerunt conſervatores domini, ultores ſceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus moleſte ferat, quam, etiam ſi quid ipſi accidat, eſſe tamen illis meritum praemium perſolutum. Sed quaeſtio- 59
nes urgent Milonem, quae ſunt habitae nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de ſervis? Rogas? de P. Clodii.

---

c. XXII. §. 58. *Quod enim praemium.* Garaton. comparat Iſocr. Paneg. c. 8. p. 47 B. ed. H. Steph. (§. 35 Bekk.) *οὐδεὶς γὰρ ἂν δύναιτο δωρεὰν τοσαύτην τὸ μέγεθος εὑρεῖν, ἥτις ἴση τοῖς πεπραγμένοις ἐστίν.* Talia multa congeri poſſunt, quae per ſe quisque reperire poteſt, non aliorum imitatione ductus.

propter quos vivit. Vid. ad Roſc. §. 63. Praeter Lamb. et Heumann. ad h. l. Garaton. citat Viger. de idiot. IX, 2, 17. i. e. p. 587. ed. Herm. ibique Hoogev.

dedendi fuerunt. Vid. ſupra §. 31.

defenſores necis, depulſores: ex multis vide Mencken. obſerv. l. l. p. 229. *Garat.* Cf. ad Roſc. 1, 1.

quod minus moleſte ferat per *μείωσιν* pro quo ſe erigat, conſoletur. *Ern.*

etiam ſi quid ipſi accidat. Hic *εὐφημισμός* non ſemper ad mortem pertinet: vid. Manut. et Cort. ad epp. X, 23. Hoc loco damnationem ſignificat, ex qua non mors Miloni, ſed exſilium, quod unum poterat, obtigit. Quamquam de Milonis capite utique agebatur, ſed non ut tolleretur, verum, ut ea, quam ita ICti vocant, *capitis deminutio* conſequeretur iudicium et damnationem. *Garaton.*

§. 59. *in atrio Libertatis*, i. e. in aula quadam porticibus circumdata ante aedem Libertatis. Mentio eius fit a Livio XXIV, 17. XXV, 7. XXXIV, 44 et XLIII, 16. itemque ab Ovidio Faſt. IV, 62, 4. et Triſt. III, 1, 72. et a Suetonio Aug. 29., ubi legatur annotatio Caſauboni. *Cellar.*

Rogas? Formula quotidiani ſermonis et dialogorum notiſſima, velut apud Terent. Phorm. IV, 1, 7. *Chr. Pol me detinuit morbus. Dem. Unde aut qui? Chr. Rogas? ſenectus ipſa eſt morbus*, et ita Comici saepius. *Garaton.* Addere poterat, uſurpari hanc formulam, ubi quis

Quis eos poſtulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio. Dii boni! quid poteſt agi ſeverius? De ſervis nulla lege quaeſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium. Proxime deos acceſſit Clodius, propius quam tum, quum ad ipſos penetrarat, cuius de morte, tamquam de caeremoniis violatis, quaeritur. Sed tamen maiores noſtri in dominum de ſervo quaeri noluerunt, non quia non poſſet verum inveniri, ſed quia videbatur indignum et dominis morte ipſa triſtius. In reum de ſervis accuſatoris quum quaeritur, verum inveniri poteſt? Age vero, quae erat, aut qualis quaeſtio?

---

miretur vel mirari ſe ſimulet, quod alter de ea re interrogare potuerit.

Quis eos poſtulavit? Appius. Inter exempla *συμπλοκῆς* ſ. *κοινότητος*, *complexionis*, hoc ponit Quint. IX, 3, 31. *Appius* autem iſte, ut monuit Manut., non eſt P. Clodii frater, ſed Caii fratris eius filius. Cf. Aſcon. arg. §. 10.

ab Appio i. e. ex Appii domo. Similia loca vid. in Parei lex. crit. p. 31. *Heum.* Quanta fides habenda ſit iis, qui e domo accuſatoris prodeunt, docet Cic. pro Flacc. 10. *una ex domo prodeunt; ſi verbo titubarint, quo revertantur, non habebunt. An quisquam eſſe teſtis poteſt, quem accuſator ſine cura interroget nec metuat, ne ſibi aliquid, quod ipſe nolit, reſpondeat?*

De ſervis nulla qu. Partit. c. 34. *dicendum – – de noſtrorum etiam prudentiſſimorum hominum institutis, qui, quum de ſervis in dominos quaeri noluiſſent, de inceſtu tamen et coniuratione, quae facta me Conſule eſt, quaerendum putaverunt.* Cf. pro Roſc. §. 120. pro Deiot. c. 1. §. 3. Tacit. Ann. II, 30. Notanda autem legitima conſtructio *de ſervis quaerere in dominum* h. e. e ſervis quaeſtione ſ. tormentis extorquere, quod contra dominum valere poſſit.

non quia non poſſet. Sic Tuſc. I, 1. *hoc mihi Latinis litteris illuſtrandum putavi*, non quia *philoſophia Graecis et litteris et doctoribus percipi* non *poſſet*, *ſed* etc. Coni. poſt *non quia*, indic. poſt *ſed quia* poſiti eadem ratio eſt, quae in formula *non quo*, — *ſed quod*, de qua vid. ad Roſc. §. 141. Poterat uno verbo dicere *non quin poſſet*, ut loquitur ad Att. VII, 26. VIII, 11 p. 770 ed. Ern. (epp. 86, 15.) Phil. VII, 2, 6. ſed *non quin non poſſet* i. e. *non quo poſſet*, ut Erneſt. edidit, ſententiae repugnat. Cic. Topic. 20. *verberibus, tormentis, igni fatigati quae dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere.*

Heus tu Rufio, verbi cauſa, cave ſis mentiare, Clodius 60
inſidias fecit Miloni? „Fecit.“ Certa crux. „Nullas fecit.“ Sperata libertas. Quid hac quaeſtione certius? Subito arrepti in quaeſtionem, tamen ſeparantur a ceteris, et in arcas coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui poſſit. Hi centum dies penes accuſatorem quum fuiſſent, ab eo ipſo accuſatore producti ſunt. Quid hac quaeſtione dici poteſt integrius, quid incorruptius?

Quod ſi nondum ſatis cernitis, quum res ipſa tot XXIII
tam claris argumentis ſignisque luceat, pura mente atque 61
integra Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum Romam revertiſſe, recordamini, per deos immortales! quae fuerit celeritas reditus eius, qui ingreſſus in forum, ardente curia, quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio.

---

§. 60. *mentiare.* Sic edidit Lambin e cod. et adſcriptum habet unus Oxon. pro *mentiaris.* Solet enim Cicero ſecundas paſſivorum perſonas, ubi nulla poteſt eſſe confuſio, ſyllaba *re*, non *ris*, terminare, *abutere, bacchabere, fruere* etc. contra *machinaris, arbitraris, amaris, doceris*, non *machinare* etc. *Mentiaris* ſcriptum eſt ob ſimilitudinem vocabuli praecedentis, *fis.*

arrepti, per vim capti atque prehenſi, explicat Garat., qui laudat Liv. III, 13. *Virginius arripi iubet hominem et in vincula duci. ib.* 56, *nullo morante, arreptus a viatore.* Plaut. Curc. V, 3, 17. *Hoccine pacto indemnatum atque inteſtatum me arripi.* Aeque proprium in hac re verbum eſt *abripi*, quod alii Codd. habent, ut, utra lectio praeſtet, certo diiudicari non poſſit.

arcas eas eſſe, quas *robuſtum carcerem* vocet Plautus Curc. V, 3, 14. docet I. Fr. Gronov. lect. Plaut. p. 97. Feſtus: Robus quoque in carcere vocatur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robuſteis (h. e. tabulis in modum arcae compactis, expl. Forcell.) includebatur.

c. XXIII, 61. *tot tam*, pro *tot et tam.* Eleganter. Cicer. Catil. IV, 3, 6. Liv. 25, 24 *tot tam opulenti tyranni*, quem ad locum duo alia exempla adſcripſit Gronov. XXVIII, 28. *tot tam claris imperatoribus.* XXX, 30. *tot tam egregii duces.* *Heumann.* qui ad 14, 9. citat infra c. 31 in. Liv. V, 54 *tot tam valida.*

qui vultus. Abram. ad §. 62 citat or. pro Clu. 19, 54. *Oculi omnium iudicum non in Scamandrum, ſed in Oppianicum coniiciebantur; timor eius, perturbatio, ſuſpenſus incertusque vultus, crebra coloris mutatio, quae*

Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed etiam publicis praesidiis et armis; neque his tantum, verum etiam eius potestati, cui senatus totam rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi Romani arma commiserat. Cui numquam se hic profecto tradidisset, nisi causae suae confideret, praesertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil com-

erant antea suspiciosa, haec aperta ac manifesta faciebant.

commisit i. e. eius fidei tradidit, sed ita ut ipse periculum in eo adiret. Vid. ad Rosc. §. 64. Inter *gradationis*, *κλίμακος*, exempla hoc retulit Aquila R. p. 183. ed. Ruhnk. addens: *Parce autem usus est hac figura. Nam in tertio gradu contentus fuit dicere*, neque his tantum, *ne totum illud repeteret*, neque publicis praesidiis et armis tantum, *videlicet, quia et longum et insuave futurum erat. Egregie autem et, ut mihi videtur, feliciter Licinius Calvus in Vatinium, Non ergo pecuniarum magis repetundarum, quam maiestatis, neque maiestatis magis, quam Plautiae legis, neque Plautiae legis magis, quam ambitus, neque ambitus magis, quam omnium legum omnia iudicia perierunt.* Nec omisit locum illustrissimum Demosthenis, de cor. p. 288 ed. Reisk. *οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ, οὐδ' ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ, οὐδ' ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους.* Vide libellum de arte lat. scrib. (*über den Stil*) p. 44. h.

magna metuenti. Satis de metu Pompeii constat ex c. 24 et 25. isque metus aliquo modo excusatur, quum dicitur, *magna* illum *metuere.* Nam Clodiani ceterique Milonis inimici sane quam multi, qui suspiciosum et credulum Pompeii animum noverant, ingentes ei motus fictis sermonibus et fabellis, submittendo etiam alios et subornando callide obiiciebant. Conferendum Asconii quoque argumentum. Cicero de se consule pro Sulla 30. *Ego, iudices, de tantis omnium periculis quum quaererem omnia, multa audirem, non crederem omnia, caverem omnia;* ut infra c. 24. *cavebut magis Pompeius, quam timebat - - omnino omnia.* Garat.

neque timeant, — et. Vid. ad or. pro Sull. V, 17. Abram. laudat dictum Biantis: *Ἐρωτηθεὶς τί ἂν εἴη τῶν κατὰ τὸν βίον ἄφοβον, εἶπεν, ὀρθὴ συνείδησις*, et locum Platonis de rep. I. p. 331. A. —*ᾧ δὲ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδότι ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος, ὡς καὶ Πίνδαρος λέγει. χαριέντως γάρ τοι, ὦ Σώκρατες, τοῦτ' ἐκεῖνος εἶπεν,*

miserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Neque vero sine ratione certa causa Mi- 62
lonis semper a senatu probata est: videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianae, non modo inimicorum Milonis sermones et opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum? negabant eum Romam esse rediturum. Sive 63
enim illud animo irato ac percito feciisset, ut incensus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut aequo animo patria careret, quum sanguine inimici expleisset odium suum; sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin, quum suo periculo salutem reipublicae attulisset, cederet aequo animo legibus, secum auferret glo-

ὅτι ὃς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βιὸν διαγάγῃ, γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτάλλοισα συναορεῖ ἐλπὶς, ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ. Ad sqq. *animo irato ac percito* adscripsit locum Andocid. de myst. in §. 3. Bekk. (*ὁπόσοι μὲν γὰρ μὴ ἠθέλησαν ὑπομεῖναι καταγνόντες αὐτῶν ἀδικίαν, εἰκότως ἂν καὶ ὑμεῖς τοιαῦτα περὶ αὐτῶν γινώσκοιτε οἷά περ καὶ αὐτοὶ περὶ σφῶν αὐτῶν ἔγνωσαν·*) *ὁπόσοι δὲ πιστεύσαντες μηδὲν ἀδικεῖν ὑπέμειναν, δίκαιοί ἐστε καὶ ὑμεῖς περὶ τούτων τοιαύτην ἔχειν τὴν γνώμην οἵανπερ καὶ αὐτοὶ περὶ αὐτῶν ἔσχον, καὶ μὴ προκαταγινώσκειν ἀδικεῖν.*

Constantiam Graevius recte explicat imperterritum animum, qui magno et intrepido animo se defendit, nullo metus signo edito, i. qui nullis terroribus de statu deiicitur, sed sibi constat, afferens locum Iustini 1, 6. ubi *constantia* pueri Cyri coram Astyage se defendentis commemoratur.

negabant eum R. esse rediturum. Similiter Andocides l. c. §. 4. *αὐτίκα ἐγὼ πολλῶν μοι ἀπαγγελλόντων, ὅτι λέγοιεν οἱ ἐχθροὶ, ὡς ἄρα ἐγὼ ἂν ὑπομείναιμι οἰχήσομαί τε φεύγων κ. τ. λ.*

§. 63. *illud* explicatur sequ. vv. *ut — truc. inim.* quorum constructio pendet e voc. *feciisset.*

tanti putasse. Garat. comparat Partit. c. 32. *Spectantur etiam ad causam facti motus animorum, - - si facinoris voluptas maior, quam damnationis dolor;* et Virgil. Aen. II, 585. *Extinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis Laudabor poenas, animumque expleisse iuvabit.*

non dubitaturum quin. Vid. ad Manil. §. 49.

cederet legibus, legibus, quae eum, qui hominem occidisset, exsilio multari iubebant, obtem-

riam ſempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipſe ſervaſſet. Multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriae faciet. Miſeros interdum cives optime de republica meritos! in quibus homines non modo res praeclariſſimas obliviſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur.
64 Ergo illa falſa fuerunt; quae certe vera exſtitiſſent, ſi Milo admiſiſſet aliquid, quod non poſſet honeſte vereque defendere.

XXIV Quid, quae poſtea ſunt in eum congeſta, quae quemvis etiam mediocrium delictorum conſcientia perculiſſent,

perans abiret, ſubiret poenam legibus ſtatutam potius, quam iis repugnaret, ut poſt Cortium Exc. IV ad Sall. Catil. explicavit Geſner. in Theſ. l. l. *Abeundi* vim ineſſe in verbis *cederet legibus*, nec operoſe inde eliciendam, ut viſum eſt Wundero var. lect. p. LXXXIV non difficile eſt intelligere. Gravius autem eſt et honorificentius Miloni, ſi patria cedere propter legum reverentiam, quam ſi ſimpliciter cedere patria diceretur. Itaque ne inutilis quidem mihi vox *legibus* videtur, ſed ad Milonem magis commendandum valere. Similiter Sext. §. 64. *ceſſeram reipublicae.*

illa portenta h. e. eius generis conſceleratos atque exſecrabiles homines. Ita et Gabinium ac Piſonem appellat *duo reip. portenta* or. de prov. conſul. 1, 2. et or. in Piſon. 4 Clodium vocat *fatale portentum prodigiumque reip.* Rurſus Phil. XIII, 21, 49. ſic ait: *Monſtra quaedam ſunt iſta et portenta et prodigia reip. Heum.* Schütz. interpretatur portenta verborum, quae ſtatim afferuntur *erumpet*, — *bellum patriae faciet*, quod mihi minus probatur, quamquam *portenta* ſic uſurpantur orat. 8, 26. agrar. II, 20, 55. *Loqui* autem cum accuſ. plerumque a Cicerone cum contemptu dicitur, tempere aliquid dicere, vel etiam ſaepius aliquid inculcare. Parad. VI, 3. *ne semper Curios et Luſcinos loquamur.* ad Att. IX, 12. *Hic quidem mera ſcelera loquuntur.* Tuſc. I, 7, 13. *pugnantia loqui.* Nos *ſchwatzen.*

c. XXIV. §. 64. *conſcientia* eſt ablativus cauſae ſ. inſtrumenti. Nam crimina non per ſe ipſa percellunt hominem, ſed eo, quod delictorum ſibi conſcius eſt, ut Parad. 2. *te conſcientiae ſtimulant maleficiorum tuorum.* Sic Parad. 2, 1. *Regulus tot virtutum praeſidio tantoque comitatu, quum corpus eius caperetur, capi certe ipſe non potuit.* et ſim. ubi fere ablativum pro *propter* poſitum dicunt. Sed poteſt etiam dictum accipi pro *in med. delict. conſcientia*, ut Lael. 15, 54. *Miror, illa ſuperbia et importunitate ſi quemquam* (amicum) *habere potuit*, quum illam ſuperbiam haberet, *bei jenem Stolze.*

ut ſuſtinuit! dii immortales! ſuſtinuit? imo vero ut contempſit ac pro nihilo putavit? quae neque maximo animo nocens, neque innocens, niſi fortiſſimus vir, negligere potuiſſet. Scutorum, gladiorum, ſparorum pilorumque etiam multitudo deprehendi poſſe indicabatur; nullum in urbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebant, in quo Miloni non eſſet conducta domus; arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi, domus in clivo Capitolino ſcutis referta, plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum, haec non delata ſolum, ſed paene credita, nec ante repudiata ſunt, quam quaeſita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pom- 65
peii, ſed dicam, ut ſentio, iudices. Nimis multa audire coguntur, neque aliter facere poſſunt ii, quibus tota commiſſa eſt respublica. Quin etiam audiendus fuerit popa Licinius, neſcio qui de circo maximo, ſervos Milonis apud ſe ebrios factos ſibi confeſſos eſſe de interficiendo Cn. Pompeio coniuraſſe, deinde poſtea ſe gladio percuſſum eſſe ab uno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nuntiavit; arceſſor in primis; de amicorum ſententia rem defert ad ſenatum. Non poteram in illius mei patriaeque cuſtodis tanta ſuſpicione non metu exanimari, ſed mirabar tamen, credi popae, confeſſionem ſervorum audiri, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. Verum, ut intelligo, cave- 66

§. 65. *tota comm. ſit resp.* non una tantum reip. pars, ut procuratio rei frumentariae, ſed quod dicit c. 25, 68. *omnes partes.* Cf. §. 66. *tota rep. ſuscepta.* et §. 61.

audiendus fuerit ſubiunctivus eſt conceſſionis, ut recte Garat. citans Wopkenſ. l. Tull. I, 14. p. 83. Ab his pendent ea, quae ſequuntur *ſervos Milonis ſibi confeſſos eſſe* pro popa Licin., qui dicebat ſerv. Sic Liv. IV, 20. *quum Auguſtum Caeſarem ſe ipſum in thorace linteo ſcriptum legiſſe audiſſem.* Vide ad c. XVIII, 47. Formulam *deinde poſtea* defendunt Perizon. ad Sanct. Min. III, 14. p. 648. et Mencken. obſerv. l. l. p. 234. De re vid. quae adſcripſi ad Aſcon.

probari, fidem fieri hunc ictum eſſe glad. Sic Cic. Verr. V, 30, 78 *ſuppoſitum in eius locum, quem pro illo probare vellet.* Te-

bat magis Pompeius, quam timebat, non ea ſolum, quae timenda erant, ſed omnino omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Caeſaris, clariſſimi et fortiſſimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo ſenſerat; tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompeium, praeſtantiſſima virtute civem, timidum ſuſpicari; diligentiam, tota republica ſuſcepta, nimiam nullam putabam. Frequentiſſi-

---

rent. Eun. II, 3, 83. *facile ut pro eunucho probes.* quos locos attulit Ruhnk. ad Rutil. L. p. 15. ſq. Addit Garat. de invent. I, 48 *ſaepe obſcurius vitium pro vero probatur.* Victor. V. L. XVIII, 16. comparat Lyſiam p. 172. ed. Reiſk. ὁ δ' εἰς τοῦτο βαρυδαιμονίας ἥκει, ὥστε οὐκ αἰσχύνεται τραῦμά γε ὀνομάζων τὰ ὑπώπια etc.

§. 66. *tam celebri loco.* Suet. Iul. 46. *Habitavit primum in Suburra modicis aedibus, poſt autem pontificatum maximum in ſacra via domo publica.* Celebritatem autem ſacrae viae quum multi loci Horatii et aliorum ſignificant, tum illi Ciceronis, pro Planc. 7, 17. Verr. act. I, 7, 18. quos attulit Abram.

tota rep. ſuſcepta. quum totam remp. tuendam Pompeius ſuſcepiſſet. Ita de orat. II, 24, 101. *Cauſas dicunt incognitas; in quo eſt illa quidem magna offenſio vel negligentiae, ſuſceptis rebus, vel perfidiae receptis.* In rebus ſuſceptis negligentia ibi vituperatur, ut hic diligentia laudatur. *Suſcipere* autem latiſſime patet, locumque habet in iis ipſis rebus, quae *recipiuntur;* Id etſi conſtat multis ex locis, exempli tamen cauſa duos nomino, pro S. Roſc. 1 et 21 et pro Sull. 6. Nemo itaque *ſuſcepta* damnet, quia Pompeio fuerat tota reſp. a Senatu commiſſa. Iam vero quid, inquies, illa oppoſitione fiet, *ſuſceptis, receptis?* quid illa grammaticis celebrata differentia, *recipimus rogati, ſuſcipimus ultro,* quam ab Agroetio p. 2272. Puſch. acceptam Geſnerus et Erneſtus alios ſecuti comprobant? Tenendum eſt, multa ſaepe promiſcue adhibita tum aliquam differentiam prodere, quum opponuntur. Illum autem locum adiuncta explicant, *negligentiae, perfidiae.* Nimirum omnia modis omnibus *ſuſcipiuntur,* ea vero *recipiuntur,* in quibus fides implorata interponitur. [ſ. aliis verbis *ſuſc.* vocabulum eſt generis, *recip.* ſpeciei ſ. partis. Ita magna de genere parte detracta, genus ipſum in reliqua parte conſiſtit. Quadrat hoc etiam in locum ſimilem divin. in Caecil. c. 8. ubi Hottom. Agroetii explicatione producta, locos admiſcet, qui differentiam illam, quia oppoſitionem non continent, tollere

mo ſenatu nuper in Capitolio ſenator inventus eſt, qui Milonem cum telo eſſe diceret. Nudavit ſe in ſanctiſſimo templo, quoniam vita talis et civis et viri fidem non faciebat, niſi, eo tacente, res ipſa loqueretur. Omnia xxv
falſa atque inſidioſe ficta comperta ſunt. Quod ſi tamen 67
metuitur etiam nunc Milo, non hoc iam Clodianum crimen timemus, ſed tuas, Cn. Pompei, (te enim iam appello, et ea voce, ut me exaudire poſſis) tuas, tuas, inquam, ſuſpiciones perhorreſcimus. Si Milonem times, ſi hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare aut molitum aliquando aliquid putas, ſi Italiae delectus, ut nonnulli conquiſitores tui dictitarunt, ſi haec arma, ſi Capitolinae

---

videantur, dum tamen ſententiae ei favent. Cf. ib. c. 1. *Garat.*

ſenator inventus eſt, P. Cornificius. vid. Aſconii arg. §. 17 et quae adſcripſi ad ei. §. 16.

niſi, eo tacente. Minime abſurda eſt iſta lectio, ut videbatur Garat. *vita* ipſa Mil. per ſe *fidem non faciebat* (nos diceremus *faceret* vel *feciſſet.* vid. ad §. 31.) *niſi res ipſa loqueretur.* Hoc itaque opus eſſe videbatur Cornificio, ut res ipſa loqueretur; alioqui propter vitam ante actam fidem ei non habuiſſet. Saxon. tamen, Erfurt. et Bavar. adde tres Lagom. codd. *ut, eo tacente,* quod cum Graevio et Garat. recepiſſem, niſi dicendum fuiſſe, *nudavit ſe* Milo, *ut ſe* (vel *ipſo*) *tacente, res ipſa loqueretur* exiſtimarem.

c. XXV. §. 67. *inſidioſe,* quia fictis criminibus Miloni fiebant inſidiae. *Garat.* qui tamen praefert *invidioſe.*

te enim iam appello, et ea voce. *Et* pro *et quidem* poſiti haec exempla Heuſing. affert ad Offic. III, 33, 7. Tuſc. III, 20, 48. *At laudat, et ſaepe, virtutem.* pro Deiot. c. 1. *Fugitivi autem dominum accuſantis, et dominum abſentem, et dominum amiciſſimum noſtrae reip., quum os videbam.* et conferri iubet Cortium ad epiſt. XI, 29, 6. Confer etiam Catilin. III, 10, 23. Ruhnken. ad Vellei. II, 60, 2. et noſtra ad Manil. §. 7. *Exaudire* proprium eſt de eo, qui e longinquo audit, ut hic Pomp. inde ab aerario. Vid. pro Sulla c. XII in. pro Ligar. 3. *quantum potero, voce contendam, ut populus hoc Romanus exaudiat.* ad Att. I, 9. *clamores tanti fuerunt, ut — eos usque iſthinc exauditos putem.* Praeterea Garat. conferri iubet Oudendorp. ad Caeſ. b. c. III, 87. Drakenb. ad Liv. III, 56.

tuas ſuſpiciones. Vid. Aſcon. argum. §. 16. et ibi not.

cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta iuventus, quae tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt, magna in hoc certe vis et incredibilis animus et non unius viri vires atque opes indicantur, si quidem in hunc unum et praestantissimus dux electus
68 et tota respublica armata est. Sed quis non intelligit, omnes tibi reipublicae partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas? Quod si Miloni locus datus esset, probasset profecto tibi ipsi, neminem umquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi; nullum se umquam periculum pro tua dignitate fugisse; cum ipsa illa taeterrima peste se saepissime pro tua gloria contendisse; tribunatum suum ad salutem meam, quae tibi carissima fuisset, consiliis tuis gubernatum; se a te postea defensum in periculo capitis,

---

si excubiae, si vigiliae. Coniunguntur haec etiam pro Planc. c. 42. et promiscue usurpantur, sic tamen, ut *vigiliae* numquam de diurno tantummodo tempore dicantur. *Garaton.*

delecta iuventus. Iuventutis nomine praecipue equites designantur: hinc *princeps iuventutis.*

non unius, sed multorum, *indicantur.* Eadem attractione supra c. XXIV, 64. *multitudo deprehendi posse indicabatur,* ib. 66. *oppugnata domus nuntiabatur.* Cf. Liv. IV, 21. X, 2. at supra c. XVIII extr. *eum mortuum esse nuntiabatur.* Cf. Liv. XL, 2. de nat. d. II, 11, 29. *inesse principatus putatur.* 62, 154. *quaecunque sunt in omni mundo, deorum atque hominum putanda sunt,* ubi praecesserat *Athenas et Lacedaemonem — putandum est conditas esse.* — de l. agrar. I, 1. extr. *vectigalia ne retineri quidem potuisse iudicabuntur.* Cf. pro Sull. 26, 73. Cluent. 44, 125. Quare minus recte Heid. ap. Cicer. de nat. d. II, 62, 155. pro *hominum causa facta esse iudicanda sunt* e Glog. suo dedit *iudicandum est;* supra in. cap. *Omnia ficta esse comperta sunt,* ut locutus etiam est Liv. XXVII, 1. Cf. ad Manil. §. 34.

si quidem in hunc unum. Hunc locum inter exempla duorum antecedentium, inter quae consequens medium positum est, affert Ernest. ad I de nat. d. 10, 25. At *siquidem* non est conditionale, sed idem quod quandoquidem.

§. 68. *Quod si Miloni locus datus esset.* Non datus est: nam, ut ait Ascon. ad vv. *tuas suspiciones* §. 67. Pompeius in superioribus hortis se continens venientem ad se Milonem non admiserat.

adiutum in petitione praeturae; duos se habere semper amicissimos speravisse, te tuo beneficio, me suo. Quae si non probaret, si tibi ita penitus insedisset ista suspicio, nullo ut evelli modo posset, si denique Italia a delectu, urbs ab armis sine Milonis clade numquam esset conquietura, nae iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est et ita consuevit; te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit. Vide, quam sit varia vitae XXVI
commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, 69
quantae infidelitates in amicitiis, quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum,

---

insedisset ista suspicio. E Sax., Erfurt., Bavar. aliisque Graev. et Garaton. edid. *inhaesisset;* quod nihilo deterius est. Ego vero vereor, ne duo verba *penitus insidere* uno *inhaerendi* vocabulo declarare aliquis voluerit. ad Att. I, 17. et *insedisse quasdam odiosas suspiciones.* pro Deiot. 3. *fictum crimen infidet in animo.* de orat. II, 28, 122. *nihil egit, quod non in memoria mihi penitus insederit.* Cf. Manil. 3 in. *macula, quae penitus iam insedit atque inveteravit.* epp. famil. V, 13 (epp. 134, 2.) *cogitatio penitus insederat,* quae paulo post *convelli* dicitur, ut h. l. *evelli.*

iste. Digito demonstrat Milonem. vid. ad Rosc. §. 18. Cf. Goerenz. ad Acad. I, 1, 2.

qui ita natus est, ὃς οὕτω πέφυκε, eo ingenio et animo a natura instructus, *ea mente natus est,* ut loquitur infra c. XXXVII, 101. de offic. I, 33. *ex eo modo, quo quisque natus est, quid deceat, exquirimus.* de fin. V, 20, 57. *ut quisque optime natus institutus-que est.* — *ita consuevit,* ita rationem vitae instituit, quae deinde in consuetudinem abiit. Recte Schell. vertit *vermöge seines Charakters und seiner Grundsätze.*

antestaretur. Hoc verbum, ut ex Acrone colligitur ad Horatius Serm. I, 9, 76 hoc continet: memento, te ipsum mihi aliquando testem futurum, tuas de me suspiciones fuisse inanissimas. Acronis formulae hoc convenit, *in illa causa mihi testis eris.* Neque vero quae sequitur, proprie antestatio est, sed antestationis explicatio potius et demonstratio temporis, quo Milo sibi a Pompeio testimonium praeberi voluerit. Ut enim, si quis aliquem in ius vocasset, isque nollet sequi, proximos praesentes, qui audiverant, aure apprehensa, antestabatur, ut sibi apud praetorem ea de re testimonium dicerent, ita Milo, quum optimis rationibus Pompeio se purgasset neque fidem tamen ei faceret, Pompeium ipsum antestaretur, ut amicitiae perpetua in illum fide

quantae timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, quum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, qui quam crebro accidat, experti debemus scire, et amicissimi benevolentiam et gravissimi hominis fidem et unius post homines natos fortissimi viri

---

servatae testimonium sibi tum perhiberet, quum aliorum, quibus se nunc insimulantibus crederet, infidum subdolumque animum esset expertus. Quia vero, quum Pompeius Milonem ne audire quidem voluerit, adhuc erat huic antestationi locus, quasi quae pro se Milo dicturus fuerit, Pompeius cognita repudiasset, idcirco additur, *quod nunc etiam facit. Garaton.* Simpliciter est: te moneret, ut mominisses, se convenire te voluisse, et de sua innocentia, aliorum autem perfidia docere.

c. XXVI. §. 69. *salutaribus rebus tuis* dictum accipiunt pro *salvis*; quod per consuetudinem latini sermonis non licet, quum *salutare* significet id quod salutem affert ac praebet; nec codd. variant. Est potius pro tutis, ita salvis, ut tua salus non imminuatur, vel ut aliis etiam et reip. salutem afferre possint. Sic epp. fam. X, 23, 4 (quem l. laudat Moeb.) in ep. Planci: *confodi eo consilio, ut vel celeriter accedere vel salutariter recipere me possem* i. e. cum salute et mea et exercitus. Similiter *salubriter emere*, vili pretio, ut emtio res tuas non perturbet. Plin. epist. I, 24 extr. Cf. VI, 30, 3.

quare iniuria Ernestium vituperavi in *Eloqu. lat. ex.* p. 227. et in eundem errorem induxi Krebsium *Anleitung zum Lateinischschr.* p. 633. *Rebus tuis*, privatis, *sed immutatis*, ut non tantum in rep. possis, quantum antea. Salvae quidem Ciceronis etiam res privatae erant post exsilium, sed tamen immutatae, ut minus ponderis haberent, et *salvae* res sunt omnium, quorum *salus* non imminuta est exsilio, damnatione etc. Hae salutem etiam reipublicae afferre *possunt*, sed quominus *afferant*, obstat principum vel invidia vel potentia. Ita haec duo non magis inter se pugnant, quam pro Sull. 31, 89. *si non integra fortuna, at afflicta*; nec *immutatis*, quod deest in Bavar., Erf., Barber. etc. delendum videtur cum Wundero p. LXXXVII. quo deleto dura fit reliqua oratio; et cur amicissimi benevolentiam etc. desideraret Pompeius nisi immutatis rebus suis? Ceterum hic quoque locus ad divinationem Ciceronis pertinet, de qua vid. ad Sext. XXI, 47. Nam tribus annis post iudicium Milonis exarsit bellum civile inter Pompeium et Caesarem. Ego vero homini in republica versatissimo, quique o praeto-

magnitudinem animi desideres. Quamquam quis hoc 70
credat, Cn. Pompeium, iuris publici, moris maiorum, rei denique publicae peritissimum, quum senatus ei commiserit, ut videret, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET, quo uno verbo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis, hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium exspectaturum fuisse in eius consiliis vindicandis, qui vi iudicia ipsa tolleret? Satis iudicatum est a Pompeio, satis, falso ista conferri in Milonem, qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolvi a vobis oporteret, ut omnes confitentur, liceret. Quod vero in illo loco atque illis publicorum praesi- 71
diorum copiis circumfusus sedet, satis declarat, se non terrorem inferre vobis (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse et more maiorum et suo iure posset?) sed praesidio esse, ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere vobis, quod sentiatis, libere iudicare.

---

ritis de futuris callide coniicere sciret, quum insanam in principibus potentiae augendae et imperii sibi arrogandi cupiditatem eorumque invidiam et perfidiam nosset, non difficile fuisse credo augurari aliquid simile iis, quae omnes iam experti erant.

§. 70. *quo uno verbo.* Leg. II, 6, 14 leges Titias, Apuleias, Livias *uno verbo senatus* sublatas commemorat, i. e. hoc eodem SCto.

satis armati i. e. subsidiis ad consilia sua perficienda instructi. Garat. affert Liv. IV, 53. *hoc decreto Consul armatus.* pro Sext. 64, extr. ad Att. II, 22. (epp. XVIII, 3.) et supra c. I, 2. De ipso decreto Sallust. Catil. 29. *Ea potestas per Senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere modis omnibus socios atque cives, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere.*

iudicia ipsa tolleret. Cf. Catil. I, 7, 18. pro Sext 64, 135.

Satis iudicatum est a Pomp., satis. Huius ἐπανόδου, quam ineptam vocat Heumann. Garatonius haec exempla affert: supra c. 8, 21. pro Sull. 6, 20. 16, 46. Verr. V, 45, 119. 59, 154. Cf. pro Sull. 29, 80.

oporteret — liceret. Referuntur haec ad tempus latae legis, eamque ferentis voluntatem et consilium, ut recte Garaton., qui laudat supra c. VI, 15. De pronomine *qui* ad remotiorem Pompeium relato idem consuli iubet Wopk. lect. Tull. p. 192.

§. 71. *in illo loco*, pro aerario.

XXVII 72 Nec vero me, iudices, Clodianum crimen movet, nec tam sum demens tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. De qua si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare atque mentiri gloriose liceret: occidi, occidi, non Sp. Maelium, qui annona levanda iacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi; non Ti. Gracchum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit; quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria; sed eum (auderet enim dicere, quum patriam periculo suo liberasset) cuius nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis

c. XXVII. §. 72. *Clodianum crimen*, quod Milo accusatur Clodium occidisse. De artificio oratorio Quintil. IV, 5, 15. *Egregie vero Cicero pro Milone insidiatorem primo Clodium ostendit, tum addit ex abundanti, etiamsi id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris et gloria necari potuisse.*

mentiri gloriose, gloriari, sed ita ut mentiretur, se Clodium tanquam pernicioſum civem, consulto occidisse; quod verum non esset; nam insidiatorem se defendens interfecit.

occidi. Inter exempla a minori ad maius ducentia hoc ponit Quintil. V, 11, 12.

iacturisque. Vid. ad Manil. §. 67.

regni appetendi. Heusing. ad Phil. II, 44. §. 114. *Sp. Cassius et Maelius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. appetendum*, inquit, est id, quod appetitur, praesens-que tempus significat. Vid. Perizon. ad Sanctii Min. I, 15, 8. p. 142 sq.

collegae, M. Octavio, qui legi a Graccho latae intercedebat. vid. Plutarch. v. Tib. Gracch. c. 10, 11. Appian, b. civ. I, 12. Cic. de nat. d. I, 38, 106.

periculo suo. Vid. ad Sext. 22, 49.

nefandum gravius est, quam *nefarium*, propter pollutam religionem, quae ipsum adulterio incesti nomen adiunxit, et propter insolentiam facinoris ac novitatem; de qua Cic. de haruſp. c. 3. *etenim illos* deos *eo scelere violavit, quo nemo antea.* Sed paulo post est *nefarium stuprum cum sorore germana.* Sed ne stupra quidem legibus vetita *nefaria* Cic. appellare solebat, nisi crimen aliquod vulgaribus flagitiis gravius inesset. Satis in hanc rem ea sunt, quae in Sassiam pro Cluentio dicuntur c. 5, 12. 13. tum c. 66, 188. Cf. in Pison. 4, 9. *Ab eodem homine,*

nobilissimae feminae comprehenderunt, eum, cuius sup- 73
plicio senatus sollemnes religiones expiandas saepe censuit, eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse, eum, qui civem, quem senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac vitae civium conservatorem iudicabant, servorum armis exterminavit, eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est, eum, qui, plurimis caedibus in foro factis, singulari virtute et gloria civem domum vi et armis compulit, eum, cui nihil umquam nefas fuit nec in facinore nec in libidine, eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam exstingueret, eum denique, cui iam 74
nulla lex erat, nullum civile ius, nulli possessionum termini, qui non calumnia litium, non iniustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat, qui non solum Etruscos (eos enim

in stupris inauditis (quum sacra Bonae deae adulterio violavit) *nefariisque* (sororis germanae) *versato. E not. Garat.*

nobilissimae feminae. Non solas virgines Vestales intelligendas esse cum Abramio, sed alias etiam matronas, quae in Cos. aedibus ad illa sacra celebranda convenerant, recte monuit Graevius.

comprehenderunt pro deprehenderunt, cuius usus exempla protulit Ernest. in clav. Catil. III, 1, 3. 7, 16. Cluent. 16, 47. Flacc. 28, 68. Quae sequuntur, in Sextiana saepe commemorata sunt, et commemorantur simillimo loco Paradox. IV, 2.

§. 73. *singulari virt. et gl. civem*, Cn. Pompeium. Vid. ad VII, 18.

aedem Nymph. inc. Parad. l. c. *aedes Nympharum manu tua deflagravit.* De eadem re pro Caelio 32, 78. *qui aedes sacras, qui censum pop. Rom., qui memoriam publicam suis manibus incendit*, ubi hoc Sex. Clodio, *ministro seditionis*, tribuitur.

memoriam publicam rec. tab. publicis impr. tabulas censorias: nam *recensio* est *pop. Rom. census* pro Cael. 32. de leg. III, 20, 46 publicis *litteris consignatam memoriam* publicam *nullam habemus.* ubi nihil monuit Ern. is, qui ad h. l. *memoria publica tabulis publicis impressa* an Cicerone indignum esset, dubitabat. Alterutrum haud dubie omittere licebat: nam memoria publica necessario tabulis publicis continetur et tabulae publicae memoriam continent non aliam, quam publicam; sed maior vis est in repetito adiectivo.

penitus contempserat) sed hunc Q. Varium, virum fortissimum atque optimum civem, iudicem nostrum, pellere possessionibus armis castrisque conatus est, qui cum architectis et decempedis villas multorum hortosque peragrabat, qui Ianiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum, qui quum ab equite Romano splendidissimo et forti viro T. Paconio non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, caementa atque arma convexit, dominoque trans ripam inspectante, non dubitavit aedificium
75 exstruere in alieno, qui huic T. Furfanio, cui viro? dii immortales! (quid enim ego de muliercula Scantia? quid de adolescente Aponio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantam

---

virum — civem. Garat. affert Phil. III, 2 et 4 *fortissimos viros civesque optimos.* Pison. 11 *fortissimorum virorum, optimorum civium.*

§. 74. *splendidissimo et forti viro.* Superlativus cum positivo non raro iungitur. Sic Manil. VIII, 20. *forti viro et sapientissimo homini.* de nat. d. I, 21, 58. *de re obscura atque difficillima* (al. *difficili*) ubi vid. Davis. Cluent. 71, 202. *virum plurimis mortalibus carum atque iucundissimum.* Cf. Wopkens. lect. Tull. p. 219. qui ex Acad. II, 41, 127. attulit *exigua et minima.* Facilius autem *splendidissimo et forti* mutari potuit in *splendido et forti*, ut est in Saxon., Erf., Bav., vel *splendidissimo et fortissimo*, quod legitur in Brit. 5. quam contra.

in lacu Prelio. Cluver. Ital. ant. p. 474. Cellarium in notit. orbis ant. T. I. p. 575. Wesseling. ad itiner. ant. p. 292 citat Garat. et Peyron. p. 328. lacum a Plin. H. N. III, 5. *Prilem s. Prillem*, in itin. vett. *Aprilem* vocari annotat. Hodiernum nomen esse *Lago di Castiglione* scribit Orell.

atque arma. Recte Garat. monet arma per vim aedificanti fuisse necessaria, eorumque commemorationem solam facere potuisse, ut *vim armatam* intelligeremus.

§. 75. *Cui viro, dii immortales!* Ita quidem saepe, ut notavit Heumann., sed simillime pro Rabir. perd. 7, 20. *quum equester ordo, at quorum equitum, dii immortales!* et in Brut. 17, in. *Catonem — at quem virum, dii boni!* De hoc autem T. Furfanio videndus est Isaac. Valkenar. ad III epist. Cic. fel. 46. n. I. *Garatonius.*

sed ausus est. Vid. ad Catil. III §. 3. Anacoluthon hic ego nullum video.

popposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum, qui Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit, qui parietem sic per vestibulum fororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et limine. Quamquam haec quidem iam tolerabilia videbantur, etsi aequabiliter in rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat; sed nescio quomodo iam usu obduruerat et percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quae vero aderant iam et impendebant, quonam modo ea aut de-

XXVIII 76

---

mortuum se — illaturum, ut Furfanius caedis auctor videretur, inquit Abram.

Appium, eum ad quem sunt Ciceronis epist. l. III.

per vestib. fororis. De tribus P. Clodii fororibus consulendus est Perizon. Animadv. hist. III. p. 109. Abramius vero recte suspicatus est, hanc, qua de agitur, Clodiam fuisse Q. Metelli Celeris uxorem. Nam id ex Caeliana probatur c. 7. 8. 15. 16. Erant P. Clodii et Q. Metelli domus in Palatio contiguae; Caelius *in P. Clodii aediculis* habitabat; ea vicinitas Clodiae, quam *Palatinam Medeam* Cicero appellat, erga Caelium amores excitavit, ex quibus discidium, simultas et accusatio denique exorta est. *Garaton.*

c. XXVIII. §. 76. *Quamquam* referri ad superiora, monet Garat., ita ut non multum a *tamen* distet, ut §. 82. Tum pergit, etsi non debebant tolerabilia videri, *quia — irruebat; sed usu iam obd. civ. patientia.* In quibus *sed* non est pro inquam, ut Heusingero visum ad Phil. II, 4, sed vere iis, quae praecesserant, aliquid opponit eiusdem sententiae, quam habebant illa *haec iam tolerab. videbantur.* Garat. comparat Phil. XI, 5. *Ferremus, etsi tolerabile non erat; sed quidvis patiendum fuit, ut hoc taeterrimum bellum non haberemus.* Cf. pro Deiot. §. 31.

aequabiliter. Huic adverbio locum esse arbitratur Garat., ubi, quae disparia sunt generibus, pari atque una in conditione ponuntur, idque non uno facto, sed multis et crebris et variis. Omnino *aequabile* est, quod secum ipsum consentit, etsi partibus diversum, *aequale*, quod cum aliis; quamquam non raro *aequabile* et *aequale* commiscentur. Vid. Frotscher. ad Quint. X, 1, 86.

in longinquos, in prop., in remotos et vicinos, ut locorum distantia intelligatur, ut recte Abram. Sic *longinquus homo* pro Deiot. c. 3 extr.

pellere potuiſſetis aut ferre? Imperium ille ſi nactus eſſet — omitto ſocios, exteras nationes, reges, tetrarchas: vota enim faceretis, ut in eos ſe potius immitteret, quam in veſtras poſſeſſiones, veſtra tecta, veſtras pecunias; pecunias dico? a liberis, a liberis, medius fidius, et a coniugibus veſtris numquam ille effrenatas ſuas libidines cohibuiſſet. Fingi haec putatis, quae patent? quae nota ſunt omnibus? quae tenentur? ſervorum exercitus illum in urbe conſcripturum fuiſſe, per quos totam rempublicam resque privatas omnium poſſideret? 77 Quamobrem, ſi cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: Adeſte, quaeſo, atque audite cives; P. Clodium interfeci; eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frenare poteramus, hoc ferro et hac dextera a cervicibus veſtris repuli, per me ut unum ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent; eſſet vero timendum, quonam modo id ferret civitas. Nunc enim quis eſt, qui non probet? qui non laudet? qui non unum poſt hominum memoriam T. Annium plurimum reipublicae profuiſſe, maxima laetitia populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affeciſſe et dicat et ſentiat? Non queo, vetera illa populi Romani quanta fuerint gaudia, iudicare; multas tamen iam ſummorum imperatorum clariſſimas victorias aetas noſtra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam. 78 Mandate hoc memoriae, iudices; ſpero multa vos libe-

---

Imperium ille ſi nactus eſſet. Debebat pergere: putatisne vos otio et poſſeſſionibus veſtris frui potuiſſe; ſed indignitate eorum, quae poſt haec interiicit, abreptus apodoſin omittit, cuius ſententia in fine demum capitis additur, *ea quae tenetis — potuiſſent?*

quae tenentur? Vid. ad or. pro Sull. 25, 71. „Res manifeſtas continet verbum *patent*, conſcientiam omnium et teſtimonium ea ſignificant, *quae nota ſunt omnibus*, convicta ſunt probationibus, *quae tenentur*.“ *Garat.*

§. 77. *Pudor*, αἰδώς, eius eſt, qui male facere reformidat, non eius, quem male factorum pudet; eius pars eſt *pudicitia.*

eſſet vero timendum. Vero ironicum illuſtravit Goerenz. ad l. de fin. II, 26, 83. loco Phil. VI, 2, 4. *Facile vero huic denunciationi parebit — — !* ubi peſſime vulgo interrogandi ſignum ponitur.

§. 78. *Mandate hoc mem.* In his etiam ordo legitimus deſeritur: dictum eſt enim pro Mand. hoc memoriae, etſi ſperem multa vos — eſſe viſuros, tamen in iis ſingulis vos exiſtimaturos.

rosque veſtros in republica bona eſſe viſuros; in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos viſuros fuiſſe. In ſpem maximam et, quemadmodum confido, veriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annum, hoc ipſo ſummo viro conſule, compreſſa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus et iudiciis conſtitutis, ſalutarem civitati fore. Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc, P. Clodio vivo, contingere potuiſſe arbitretur? Quid? ea, quae tenetis, privata atque veſtra, dominante homine furioſo, quod ius perpetuae poſſeſſionis habere potuiſſent?

Non timeo, iudices, ne odio inimicitiarum mearum XXIX inflammatus libentius haec in illum evomere videar, quam verius. Etenim etſi praecipuum eſſe debebat, tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, ut in communi odio paene aequaliter verſaretur odium meum. Non poteſt dici ſatis, ne cogitari quidem, quantum in illo ſceleris, quantum exitii fuerit. Quin ſic attendite, iudices; nempe 79 haec eſt quaeſtio de interitu P. Clodii. Fingite animis — liberae ſunt enim cogitationes noſtrae, et quae volunt, ſic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus —

---

c. XXIX. §. 78. *odio inimicitiarum.* Vid. ad Manil. §. 43.

praecipuum — communis. Vid. ad epp. CVIII, 1.

paene aequaliter verſaretur, ita ut odium meum aequale eſſet communi odio, non gravius.

exitii, animi ad aliorum exitium ac perniciem prompti et parati; quo fit, ut homo exitio ſit ſ. exitioſus aliis.

§. 79. *Quin ſic attendite.* Iudices, quod poſt ea, quae dixerat Cic., eum denuo ſcelera et maleficia Clodii enumeraturum eſſe credebant, parum attentos et aliud agentes quum videret orator vel videre ſibi fingeret, his verbis eos increpat.

ut ea cernimus, quae videmus. Cernere et *videre* nonnunquam distinguuntur, ut epp. fam. X, 19. (epp. CLXXX, 1.) *ſic enim vidi, quaſi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari.* Tuſc. I, 20, 46. *nos ne nunc quidem oculis cernimus, quae videmus*, orat. 5, 18. *ſpeciem eloquentiae cernebat animo, re ipſa non videbat. Videmus* enim ea, quae forte oculis obiiciuntur, ut, eorum speciem animo complexi, ea ab aliis distinguamus; eadem *cernimus*, quum non ſolum totum, ſed partes etiam diſtincte percipimus. Vidit hoc etiam Ochsner. ad Cicer. eclog. p. 14.

fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meae, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit — Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, quos mortuus inani cogitatione percussit? Quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum, si is, inquam, potuisset, ut quaestionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse? etiam si propter amicitiam vellet illum ab inferis evocare, propter rempublicam non feciſſet. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis, et de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege revivisceret posset, lata lex numquam esset. Huius ergo interfector qui esset,

---

Sic fere philosophi nostri distinguunt *klare* et *deutliche Vorstellungen*. Sic *ita intuentur, ut — videmus* recte Schellius vertit: *wir können, was wir wollen, uns so anschaulich machen, als wir dasjenige wahrnehmen, was unser Auge sieht.* Hoc discrimen (quod in oppositione tantum servatur: vid. Garat. ad XXIV, 66.) quum ignoraretur, locum emendare sibi visus est aliquis scribens *ut ea cernamus, quae non videmus*, quae scriptura cod. Colonienſis recepta a Garatonio nimia verbositate laborat, pro *et quae volunt, sic intuentur, quasi ob oculas versentur.*

fingite igitur; Igitur in oratione post parenthesin redordienda solenne, quando ea, quae dicenda sunt, ex iis, quae interiecta sunt, sequi quodammodo videntur, vid. Heusing. ad Offic. I, 1, 3. Heind. ad Hor. Serm. I, 1, 27. cf. Miscell. philol. II. p. 99.

conditionis meae, quam vobis propono verbis *si* etc. Sed ea conditione proposita abrumpitur oratio verbis *quid vultu extimuistis?* ita ut absorpta sit apodosis.

utrum putatis, utram rem. Male Heum. *utrum* pro *an* positum accipiebat.

etiamsi vellet, — non feciſſet, non fecit, quia eo tempore non volebat.

si putetis, — nolitis. Significat fieri adhuc posse, ut putent; at, ut revivisceat, non potest. Neque enim assentior Krügero, hoc discrimen tollenti, quod etiam in *velim* et *vellem* servatur.

interfector qui esset de genere (*γενικῶς*) loquitur, non de Milone. *si esset*, quod recepit Garaton., vix potest *γενικῶς* accipi: vel cogitandum *si Milo esset*, — quod absurdum esset: nam non negat Milo, se Clodii interfectorem esse, sed se iure eum inter-

in confitendo ab iisne poenam timeret, quos liberavisset? Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui 80
tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem et memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur, inquam, si feciſſet, et magno animo et libente se feciſſe, libertatis omnium causa; quod esset ei certe non confitendum modo, verum etiam praedicandum. Etenim, si id non negat, ex quo xxx
nihil petit, nisi ut ignoscatur, dubitaret id fateri, ex quo 81
etiam praemia laudis essent petenda? Nisi vero gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri ordinis, defensorem fuisse, quum praesertim in ea confessione, si

---

feciſſe contendit — vel admodum dure supplendum *si quis esset.*

§. 80. *quas res divinas.* Demosth. *περὶ παραπρ* p. 431, 16. de Harmodio et Aristogitone loquens, *οὓς νόμῳ διὰ τὰς εὐεργεσίας, ἃς ὑπῆρξαν εἰς ὑμᾶς, ἐν ἅπασι τοῖς ἱεροῖς, ἐπὶ ταῖς θυσίαις σπονδῶν καὶ κρατήρων κοινωνοὺς πεποίησθε, καὶ ᾄδετε καὶ τιμᾶτε ἐξίσου τοῖς ἥρωσι καὶ τοῖς θεοῖς.* Alibi de his rebus sacris nihil memini me legere. Sed notissimum est carmen *σκολιόν, Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω κ. τ. λ.*

consecrantur, quae inter deos referuntur et cultu divino afficiuntur, ut belluae apud Cicer. de nat. d. I, 36, 101. cf. II, 23, 61. 26 in. 31, 79. Liber, Ceres, Libera ibid. II, 24, 62. *ad religionem*, ita ut religiose colantur et memoria hominum vigeant. *Immortalitatis* autem *religio* est, qualis immortalitati s. naturis immortalibus i. e. diis debetur.

c. XXX. §. 81. *quum praesertim*, refertur ad sententiam non verbis expressam, sed in eorum, quae praecedunt, conformatione latentem. Cf. Verr. I, 14 in. et ad or. pro Deiot. §. 21. Quum enim formula *nisi vero* usurpetur, ubi absurdi quid commemoratur (vid. ad Rosc. §. 82.) in verbis *nisi vero — fuisse*, haec ineſt sententia: gratissimum vobis putat esse, se vestri capitis defensorem fuisse, idque libenter praedicaret, quum praesertim etc.

in ea confessione, dum ea confiteretur. vid. ad Rosc. §. 22. Catil. II, 20. Poterat etiam dicere *ea confessione* sine *in*, ut id indicaret, quo efficeretur, ut honores aff. ampliſſimos. Ut nostro loco, sic infra c. 36. *ut beneficia vestra aut in huius sa-*

grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos. Si factum vobis non probaretur (quamquam qui poterat salus sua cuiquam non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset, magno animo constantique cederet ex ingrata civitate. Nam quid esset ingratius, quam laetari ceteros, lugere eum solum, propter quem ceteri laetarentur? Quamquam hoc animo 82 semper fuimus omnes in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus. Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, quum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quae mulier sceleratum ac pernicio sum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, poena, qui nihilo segnius rempublicam defendit, is vir vere putandus est. Populi grati est, praemiis afficere bene meritos de republica cives; viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter feciss e 83 poeniteat. Quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi; et, si grata respublica esset, laetaretur, si ingrata, tamen in gravi fortuna conscientia sua niteretur.

---

lute (dum huius salutem tuemini) *augeatis, aut in eiusdem exitio* (dum ei exitium affertis) *occasura esse videatis*, pro quo e nostra consuetudine planius esset, ut aut huius salute conservanda, aut eiusdem exitio decernendo.

sed tamen si. Vid. ad Catil. III, §. 3. quamquam nemo esse potest, cui salus sua non probetur, si *tamen.*

propter quem. vid. ad §. 58.

§. 82. *periculum quoque.* Abram. similia dicta profert Pindari Ol. V, 34. *Ἀεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον.* ib. VI, 14. *ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι· πολλοὶ δὲ μέμναντ', καλὸν εἴ τι πονηθῇ.* Garaton. sententiam Herodoti VII, 50. *μεγάλα πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι.*

quae mihi ipsi trib. laus esset, — si — arbitrarer, nam nulla mihi tribuenda laus erat, si arbitrabar. Nos diceremus: *tribuenda fuisset, si* arbitratus essem! sed vid. ad or. pro Rosc. §. 103. ad Sext. XXII, 49. XXIX, 63. LXVII, 141.

Sed huius beneficii gratiam, iudices, fortuna populi XXXI Romani et vestra felicitas et dii immortales sibi deberi putant. Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim esse ducit numenve divinum, quem neque imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec coeli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines movent, neque, id quod maximum est, maiorum nostrorum sapientia, qui sacra, qui caeremonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, et nobis, suis posteris, prodiderunt. Est, est profecto illa vis; neque in 84 his corporibus atque in hac imbecillitate nostra inest quid-

---

c. XXXI. §. 83. *Maiestas* deorum est, quae in hominibus vocatur *dignitas*, quum id significatur, quod eorum praestantia dignum est, *vis numenque* refertur ad potentiam, qua omnia complectuntur et gubernant. Hinc sententiae huius loci accommodatius est, quod in melioribus etiam libris legitur *vim*, quam *maiestatem*. Fortasse hoc ex *habita* oratione fluxit: nam glossema *maiest.* cum Garaton. vix dixerim.

maiorum nostrorum. Sic *maiores nostri* c. XXII, 59. §. 83 et 137. Sext. *a nostris patribus* VII, 16. In una locutione *more maiorum* semper omittitur *nostrorum;* in aliis et additur et omittitur.

§. 84. *neque in his corporibus.* Saepe Graeci et Romani scriptores duas sententias eodem tenore progredientes (*coordinatas* vulgo vocant) iuxta se ponunt, quorum altera tamen secundae vel causam vel impedimentum aliquod habet, vel secundam ex se efficit; e quo genere sunt illa, quae ad Manil. §. 2. et ad Sext. §. 44. 105. 138. supra §. 53. attigi. Sic h. l. proprie dicendum erat: quum in his corporibus — inest quiddam, quod vigeat et sentiat, multo magis hoc inest in hoc tanto naturae tam praeclaro motu; quae est argumentatio a minori ad maius, eodemque modo illae argumentationes, quae a verbis *An vero* incipiunt, conformantur. Vid. ad Catil. 1 §. 3. Ita pro illo dicitur: in his corp. inest quiddam, quod v. et s. et hoc idem inest in nat. motu, pro hoc autem duplex negatio ponitur, ita ut prior, *neque* ad totam argumentationem negandam, imprimis vero ad negandum secundum membrum referatur. Vid. ad Sext. LXIX, 146. Eius generis sunt ea, quae Cicero habet de fato c. 8. *Non et sunt in sphaera maximi orbes, et hi non medii inter se dividuntur* pro in sph. sunt max. orbes, et hi medii inter se dividuntur; quam *coniunctionum negationem* ibid. appellat, figuram non tam rhetoricam, quam dialecticam.

dam quod vigeat et ſentiat, et non ineſt in hoc tanto naturae, tam praeclaro motu; niſi forte idcirco eſſe non putant, quia non apparet nec cernitur, proinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua providemus, qua haec ipſa agimus ac dicimus, videre aut plane, qualis aut ubi ſit, ſentire poſſimus. Ea vis, ea igitur ipſa, quae ſaepe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem exſtinxit ac ſuſtulit, cui primum mentem iniecit, ut vi irritare ferroque laceſſere fortiſſimum virum auderet, vincereturque ab eo, quem ſi viciſſet, habiturus eſſet impunitatem et licentiam ſempiternam.
85 Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum immortalium cura res illa perfecta. Religiones mehercule ipſae, quae illam belluam cadere viderunt, commoſſe ſe videntur et ius in illo ſuum retinuiſſe. Vos enim iam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque teſtor, vosque, Albanorum obrutae arae, ſacrorum populi Romani ſociae et aequales, quas ille praeceps amentia, caeſis proſtratisque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat, veſtrae tum veſtrae religiones viguerunt, veſtra vis valuit, quam ille omni

---

Cf. Topic. c. 13. Simillimum locum Heindorf. ad Horat. Serm. II, 7, 109. excitavit illum Lyſiae pag. 887. edit. Reisk. *Οὐ γὰρ ἂν δήπου, εἰ μέν τις λίποι τὴν τάξιν, μὴ αὐτῆς τῆς πόλεως ἐν κινδύνῳ οὔσης, ἀλλ' ἑτέρους εἰς τοῦτο καθιστάσης, ἐτέθη νόμος ὡς μεγάλα ἀδικοῦντος, εἰ δέ τις αὐτῆς τῆς πόλεως ἐν κινδύνῳ οὔσης λίποι τὴν πόλιν αὐτὴν, οὐκ ἂν ἄρα ἐτέθη.* Sententia ipſa eſt e Xenoph. Memor. S. 1, 4, 8. *Σὺ δὲ φρόνιμόν τι δοκεῖς ἔχειν, ἄλλοθι δὲ οὐδαμοῦ οὐδὲν οἴει φρόνιμον εἶναι;* Cf. Cic. de leg. II, 7, 16.

quia non apparet. Xenoph. l. §. 9. *οὐ γὰρ ὁρᾷ τοὺς κυρίους, ὥσπερ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων τοὺς δημιουργούς. Σω. Οὐδὲ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ οὐ γε ψυχὴν ὁρᾷς, ἢ τοῦ σώματος κυριά ἐστιν.* Cf. Cic. Tuſc. I, 22, 51.

mentem iniecit, ut — auderet, vinceretque. *Mentem iniecit, ut vinceretur* abſurdum videri poteſt, ſed coaluerunt duo, quorum alterum ex altero efficitur, pro *mentem iniecit ut — auderet;* quo factum eſt, ut *vinceretur.* Vid. ad §. 43.

§. 85. *commoſſe ſe* i. e. egiſſe hic *videntur*, vim ſuam exſeruiſſe, *Ern.* qui in clav. locum Catil. I, 2, *ne commovere te poſſis* explicat moliri aliquid.

in illo puniendo, h. e. dum illum puniebant; quod moneo, ne quis *in illo* dictum pro *in illum* accipiat. Cf. pro Sext. III, 7.

ſcelere polluerat; tuque ex tuo edito monte, Latiaris ſancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora finesque ſaepe omni nefario ſtupro et scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti; vobis illae, vobis veſtro in conſpectu ferae, ſed iuſtae tamen et debitae poenae ſolutae ſunt. Niſi forte hoc etiam caſu factum eſſe dice- 86
mus, ut ante ipſum ſacrarium Bonae deae, quod eſt in fundo T. Sextii Galli, in primis honeſti et ornati adoleſcentis, ante ipſam, inquam, Bonam deam, quum proelium commiſiſſet, primum illud vulnus acceperit, quo taeterrimam mortem obiret, ut non abſolutus iudicio illo nefario videretur, ſed ad hanc inſignem poenam reſervatus. Nec vero non eadem ira deorum hanc eius XXXII
ſatellitibus iniecit amentiam, ut ſine imaginibus, ſine cantu atque ludis, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore et luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, ambureretur abiectus. Non fuiſſe credo fas clariſſimorum virorum formas illi taeterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quam in quo vita eſſet damnata.

Dura mihi, medius fidius, iam fortuna populi Ro- 87
mani et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc

---

iuſtae et debitae. Non tantum res bonas et honorificas, ſed malas etiam et ignominioſas dici *debitas*, Mencken. obſerv. l. lat. p. 209. docuit et hoc loco, et illis Catil. I, 8, 20. II, 5, 11. Senec. Herc. f. v. 643. 729. et Oedip. 976.

§. 86. *acceperit* Saxon., Erfurt., Bav. Alii codd. habent *acciperet*, ex noſtris regulis grammaticis rectius. At qua de cauſa *acciperet* aliquis mutaverit in *acceperit*, vix dicas; *acceperit* cur in *acciperet* abierit, facilis explicatio eſt. Saepe ſcriptores Latini poſt perfectum ponunt *ut* cum perfecto, quum ſignificare volunt, alteram actionem eodem, quo priorem, temporis articulo concluſam eſſe nec ultra eum progredi, *imperfectum* autem, quum alteram per longius temporis ſpatium continuatam intelligi volunt. Vid. pro S. Roſcio 44, 127. pro Sull. 5, 17. pro Sext. 63. extr. in Caecil. I, 1. Offic. II, 22, 76. Cf. Goerenz. ad Cic. de fin. II, 19, 62.

c. XXXII. §. 86. *clariſſimorum virorum formas* imagines, quae proprie vocantur.

rempublicam insultare videret et pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones, senatus gravissima decreta perfregerat, pecunia se palam a iudicibus redemerat, vexarat in tribunatu senatum, omnium ordinum consensu pro salute reipublicae gesta rescinderat, me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam vexaverat, Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat, magistratuum privatorumque caedes effecerat, domum mei fratris incenderat, vastarat Etruriam, multos sedibus ac fortunis eiecerat, instabat, urgebat; capere eius amentiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant; incidebantur iam domi leges, quae nos nostris servis addicerent; nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret.

§. 87. *videret et pat.* Garat. laudat Phil. 13, 5. *quis hoc vestrum non videt, quod Fortuna ipsa, quae dicitur caeca, vidit?* 19. *quod spectaculum ipsa Fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone, dimicantes.* Neque vero hic intelligitur Fortuna communis, sed propria pop. Rom. Catull. XXIX, 5 et 10. *haec videbis et feres?* Cic. Tusc. I, 44, 105 e vet. poeta: *Vidi, videre quod me passa aegerrume.*

Polluerat sc. *sanct. rel.* Bonae deae. *sen. decreta perfregerat.* Vid. supr. c. V, §. 13. ep. ad Att. 1, 13 (epp. VII, 8.) 14 (VIII, 10 sqq.) *pecunia se redemerat.* ad Att. I, 16. (IX) *sen. vexarat.* pro Sext. 7 sqq. *bona — vexarat.* pro Sext. 24, 54. *Cn. Pompeio bellum nef. indixerat.* supra VII, 18.

caedes effecerat. Ita dici posse pro *fecerat*, negabat Ernest. ad h. l. Simile tamen est, quod cum aliis multis affert Mencken. observ. l. lat. p. 305. Phil. II, 42, 109. *facinora effecit*, ib. 14, 3, 9. *ea dicere reformidat* (animus) *quae L. Antonius in Parmensium liberis et coniugibus effecerit:* ubi Ern. iterum: Imo *fecerat*, sed in clave locum fine suspicione laudat addito altero Brut. 78, 272. *tantos processus efficiebat.* De re cf. Sext. 35. supra VII, 18.

capere eius amentiam. Demosth. Phil. III. p. 118. ed. Reisk. *οὔθ' ἡ Ἑλλὰς οὔθ' ἡ βάρβαρος τὴν πλεονεξίαν χωρεῖ τἀνθρώπου.*

Incidebantur iam domi leges etc. Significasse iam puto nos, fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quae propriae ingenuorum sunt, ferre. *Ascon.*

Obstabat eius cogitationibus nemo, praeter Milonem; ip- 88
sum illum qui poterat obstare, novo reditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur; Caesaris potentiam suam esse dicebat; bonorum animos etiam in meo casu contempserat; Milo unus urgebat. Hic dii immortales, ut supra XXXIII
dixi, mentem illi perdito ac furioso dederunt, ut huic faceret insidias; aliter perire pestis illa non potuit; numquam illum respublica suo iure esset ulta. Senatus, credo, praetorem eum circumscripsisset. Ne quum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat. An consules in praetore coërcendo fortes fuissent? Pri- 89
mum, Milone occiso, habuisset suos consules; deinde quis in eo praetore consul fortis esset, per quem tribunum virtutem consularem crudelissime vexatam esse meminisset? oppressisset omnia, possideret, teneret lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis; servos nostros libertos suos feciisset; postremo, nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo

---

§. 88. *ipsum illum*, Pompeium, cum quo in gratiam redierat. c. VIII.

c. XXXIII. *circumscripsisset*, eius potentiam quasi circumscriptis cancellis et terminis limitasset (coercuisset) *Abram.* ad Att. VII, 9. (epp. LXXV, 2.) *si forte trib. pl. SCto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit.*, ubi Graev. vim vocis explicavit. Phil. II, 22, 53. *circumscriptus a senatu Antonius*, ob quem locum, quia praecesserat *intercessio*, suspicor, intercedendi ius ea circumscriptione ademtum esse. *Sublatus* autem est tribunus, cui magistratus abrogatur, ut Cn. Octavio a Tib. Graccho.

ne quum solebat quidem id fac. magistratus circumscribere: Sulla enim sublata intercessione tribunicia, maiorem fecerat senatus auctoritatem; sed lege Pompeii tribunis restituta est intercessio. De *privato* autem circumscripto nihil umquam legi. Itaque comma, quod erat post vv. *eodem hoc*, transtuli post *facere*. Nihil autem in privato Clodio profecerat senatus, disturbato iudicio, quod de incestu decretum erat.

§. 89. *suos consules*, sibi faventes et addictos. *Manut.*

virtutem consularem, in consulatu praestitam a Cicerone: nam propter res in consulatu fortiter i. e. cum virtute gestas Clodius vexavit Ciceronem vel *res eius gestas*, ut est pro Sext. 5 in. *Virtus* autem *vexari* simili modo dicitur, ut supra XXXII, 86 *mors lacerari.*

libertos suos feciisset, quia eos suo beneficio liberasset.

effaeminatús fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie
90 rempublicam nullam haberetis. An ille praetor, ille vero conſul, ſi modo haec templa atque ipſa moenia ſtare eo vivo tamdiu et conſulatum eius exſpectare potuiſſent, ille denique vivus mali nihil feciſſet, qui mortuus, uno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo populo Romano conceſſam uni ordini inflammari, exſcindi, funeſtari! neque id fieri a multitudine imperita, quamquam eſſet miſerum id ipſum, ſed ab uno! qui quum tantum auſus ſit uſtor pro mortuo, quid ſignifer pro vivo non eſſet auſus? In curiam potiſſimum abiecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus
91 everterat. Et ſunt qui de via Appia querantur, taceant de curia! et qui ab eo ſpirante forum putent potuiſſe defendi, cuius non reſtiterit cadaveri curia! Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis. Frangetis impetum vivi, cuius vix ſuſtinetis furias inſepulti? Niſi vero ſus-

---

§. 90. *templum ſanctit.* Poterat etiam dicere, *quam templ. ſanct.*, ut his verbis explicaretur *quo*, quod praecedit. Vid. Wopkenſ. II, 2. p. 123 ſq. Sed gravior eſt exclamatio.

caput urbis. Alteram lectionem *caput orbis* locum habere non poſſe recte demonſtravit Garat., quod Cicero nunquam ſimpliciter *orbem* non adiuncto *terrae* vel *terrarum* dixerit; poetas demum, qui Auguſti aetate floruerunt, eorumque exemplum ſecutos proſaicos ſcriptores *orbem κατ' ἐξοχήν* uſurpaſſe.

portum omn. gentium. de offic. II, 8, 26. *Regum, populorum, nationum portus erat et refugium ſenatus.* Ovid. Heroid. I, 110. *Tu citius venias, portus et ara tuis.* ubi vid. Heinſ. epp. ex Pont. II, 8, 68. *Vos eritis noſtrae portus et ara fugae.* *Aram* ſic uſurpavit etiam Triſt. IV, 5, 2.

funeſtari, cadavere illato.

uſtor. Qui corporum cremandorum vel humandorum curam habebant, *uſtores*, humile, ſordidum ac contemptum hominum genus erant, de quo Garaton. citat Scalig. ad Catull. LIX, 5. Argumentatur igitur a minori ad maius: ſi *uſtor* tantum potuit, quantum *ſignifer* auſus eſſet?

furias pro furore nominat, tanquam daemonas maleficos, *ἀλάστορας*. Quod *inſepulti* dixit pro *mortui*; fortaſſe reſpexit ad ſuperſtitionem antiquorum, qui inſepultorum animas non admitti in manium conſortia credebant, ut annotat Abram.

tinuiſtis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Caſtoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Caedi vidiſtis populum Romanum, concionem gladiis diſturbari, quum audiretur ſilentio M. Caelius, tribunus plebis, vir et in republica fortiſſimus et in ſuſcepta cauſa firmiſſimus et bonorum voluntati et auctoritati ſenatus deditus, et in hac Milonis ſive invidia ſive fortuna ſingulari, divina et incredibili fide.

Sed iam ſatis multa de cauſa, extra cauſam etiam XXXIV
nimis fortaſſe multa. Quid reſtat, niſi ut orem obteſter- 92
que vos, iudices, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat, ego, etiam repugnante hoc, et imploro et expoſco? Nolite, ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam adſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eumdem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere; haud ſcio, an

---

eum falcibus ad Caſtoris. Falces ſunt inter arma ſcil. ad deſtruendum. Sull. c. V Lentulus dicitur Catilinae, ex urbe emiſſo, miſiſſe *arma, cornua, tubas, falces, ſigna.* nempe effringere voluere aedem Caſtoris, in quam arma illata erant, ut eſt in orat. in Piſon. (c. 5 §. 11. 10 §. 23.) *Ern.* Garatonio templi fores effractae videntur illis falcibus, arcae fortaſſe et armaria, quum latrones illi pecuniis maxime inhiarent, quas ibi deponi conſueviſſe oſtendit Graev. ad c. 4 pro Quinct.

M. Caelius. vid. Aſcon. argum. §. 6. De Caelio Cic. in Brut. c. 79 in. *talis trib. pl. fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a ſenatu et a bonorum cauſa ſteterit conſtantius.*

c. XXXIV. §. 92. *etiam repugnante hoc.* Quintil. VI, 5, 10 oratorem laudat, *quod* Miloni *preces non dederit, et in earum locum ipſe ſucceſſerit.* Plutarch. Cicer. 35. narrat Milonem *εὐθαρσῶς καὶ ἀνδρείως παρίστασθαι τῷ ἀγῶνι καὶ κόμην θρέψαι, καὶ μεταβαλεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιῶσαι· ὅπερ οὐχ ἥκιστα δοκεῖ συναίτιον αὐτῷ γενέσθαι τῆς καταδίκης.* Quint. etiam VI, 2, 24. ubi de miſeratione loquitur, *Nonnunquam etiam*, inquit, *et ipſe patronus has partes ſubit, ut Cicero pro Milone: O me miſerum.* §. 102. *Maximeque ſi, ut tunc accidit, non convenient ei, qui accuſatur, preces. Nam quis ferret Milonem pro capite ſuo ſupplicantem, qui a ſe virum nobilem interfectum, quia id fieri oportuiſſet, fateretur? Ergo et ille captavit ex illa praeſtantia animi favorem, et in locum lacrimarum eius ipſe ſucceſſit.* Cf. XI, 1, 40.

multo etiam sit adiuvandus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis et in infimi generis hominum conditione atque fortuna timidos et supplices et, ut vivere liceat, obsecrantes etiam odisse solemus, fortes et animosos et se acriter ipsos morti offerentes servare cupimus, eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant, quanto hoc magis
93 in fortissimis civibus facere debemus? Me quidem, iudices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, et quibus intersum quotidie. Valeant, valeant, inquit, cives mei, valeant; sint incolumes, sint florentes, sint beati; stet haec urbs praeclara mihique patria carissima, quoquo modo merita de me erit; tranquilla republica cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur; ego cedam

---

Etenim si in gladiatoriis pugnis etc. Abram. locum indicat hinc effictum Senecae de tranqu. an. c. 11. *Gladiatores, ait Cicero, invisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt, favemus, si contemtum eius prae se ferunt.* Demta oratoria circumlocutione hoc nihil aliud est, nisi in gladiatoribus (nam *servorum ius et fortunae conditio infima est* pro Balb. 9 extr. cf. de offic. I, 13.) *timidos et supplices* gladiatores *etiam odisse solemus;* quod quamvis vitiosum nobis videatur, non alienum tamen est a Ciceronis consuetudine. Sic enim pro Balb. 3 in. *ut in P. Cornelio causa ipsius probetur.* de fin. V, 12, 36. *Atqui in sensibus est sua cuiusque* (sensus) *virtus, ut ne quid impediat, quominus suo sensus quisque munere fungatur.* de nat. d. II, 48, 123. *in araneolis aliae* (araneolae) *quasi rete texunt.* Lael. 19, 68. *atqui in ipso equo, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur.*

§. 93. *quas audio — et quibus interfum.* Ex hoc loco patet, non necessario, ubi duo membra a pron., *qui* incipientia coniunguntur, pro secundo ponendum esse *is*, quum diversi sint casus: quod a nescio quo praeceptum esse memini. Cf. Orat. I, 1 in. *quem unice deligerem, cuique me carissimum esse sentirem.* Vid. Goerenz. in *Jahrb. d. Philol.* I. p. 313.

mihique patria carissima. Romam patriam suam Milo, etsi Lanuvii natus, vocat etiam paulo post §. 94 et XXXVII, 102. Cf. Catil. I, 11, 27. Nam, ut ait ipse de leg. II, 2, 5. *nos et eam patriam dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus; sed necesse est caritate eam praestare, qua reip. nomen universae civitatis est.* Monuit Garaton. contra Heum., qui delendam putabat vocem *patria.*

atque abibo. Si mihi republica bona frui non licuerit, at carebo mala, et quam primam tetigero bene moratam et liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustra, in- 94
quit, susceptI mei labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meae! Ego, quum tribunus plebis, republica oppressa, me senatui dedissem, quem exstinctum acceperam, equitibus Romanis, quorum vires erant debiles, bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant, mihi umquam bonorum praesidium defuturum putarem? Ego, quum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi futurum in patria non putarem locum? Ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi denique tua, M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox et defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari? Nec XXXV
vero haec, iudices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem 95
loquitur vultu, quo videtis: negat enim se, negat ingratis civibus feciSse, quae fecerit; timidis et omnia circumspicientibus pericula, non negat. Plebem et infimam mul-

---

si non licuerit. Vid. Excurs. ad Cic. or. VII. p. 238.

§. 94. *O frustra.* Quint. VI, 1, 27. *Idem Cicero, quamquam preces non dat Miloni, eumque potius animi praestantia commendat, accommodavit ei tamen et verba et convenientes etiam forti viro conquestiones. O frustra.*

Ego, quum me senatui dedissem, — putarem. Non *putassem:* nam *putabat* sibi bonorum praesidium non defuturum, et sibi futurum in patria locum. *Dare se alicui* Ern. in clav. explicat ad al. se applicare, ei gratum esse laborare omni obsequii officiique genere, allatis locis de haruSp. resp. 22. ad Div. II, 8. Rabir. Post. 3, 7. *dare se auctoritati senatus.* Sic etiam *tradere se alicui* Sext. §. 130.

c. XXXV. §. 95. *ingratis civibus se sociSse* Graev. explicat, negat hoc ingratum sibi a civibus fuisse, malam civium gratiam se hoc facto promeruisse; *ingratum* enim non esse *ἀχάριστον*, immemorem beneficii, sed cui invisum sit id quod factum est. At is, cuius malam gratiam facto aliquo promeruimus, nonne is est ingratus, *ἀχάριστος?* nec alia umquam vi *ingratus* de homine usurpatur. Negat ingratos esse cives, qui se iudicio persequantur, ne hoc iis exprobrans offendat, sed, quia timidi sint et omnia circumspicientes, idcirco eos sibi capitis periculum afferre.

plebem — eam se sociSse commemorat ut flecteret. De pron.

titudinem, quae P. Clodio duce fortunis veſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet vita noſtra, ſe feciſſe commemorat, ut non modo virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deleniret, nec timet, ne, quum plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in rempublicam ſingularibus. Senatus erga ſe benevolentiam temporibus his ipſis ſaepe eſſe perſpectam; veſtras vero et veſtrorum ordinum occurſationes, ſtudia, ſermones, quemcumque curſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit.
96 Meminit etiam, ſibi vocem praeconis modo defuiſſe, quam minime defiderarit, populi vero cunctis ſuffragiis, quod unum cupierit, ſe conſulem declaratum. Nunc denique, ſi haec arma contra ſe ſint futura, ſibi facinoris ſuſpicionem, non facti crimen obſtare. Addit haec, quae certe

---

eam ex abundanti addita (ſi modo ex abundanti additum videri poteſt, quod vocem, ad quam refertur, vim habere indicat) vid. ad Catil. XII, 27. ad Sext. §. 59. *plebem ſe feciſſe, ut flecteret* periphraſis eſt cum attractione pro *flexiſſe*, ut Cicero loquitur locis ab Heumanno allatis Catil. III, 3, 7. de offic. I, 31 in. *ſic enim eſt faciendum, ut contra univerſam remp. nihil contendamus.* Cat. m. 12, 42. Cf. ſupra §. 63. De altera lectione vid. not. crit.

tribus ſuis patrimoniis. Puto iam ſupra eſſe dictum, Milonem ex familia fuiſſe Papia, deinde adoptatum fuiſſe a C. Annio, avo ſuo materno. Tertium patrimonium videtur ſignificare matris. Aliud enim quod fuerit, non invenio. *Aſcon.* De impenſis Milonis queritur etiam Cicero ad Quint. fr. III, 9. eumque feſtertiûm ſeptingenties aeris alieni debuiſſe narrat Plin. H. N. XXXVI, 15. ut monuit Abram. *Doleniret.* vid. C. Leop. Schneider. Elementarl. der lat. Spr. p. 14. not.

veſtrorum ordinum. Nam iudices e tribus ordinibus delecti erant.

ſecum ſe ablaturum, memoria conſervaturum ubicunque vixerit. *Manut.*

§. 96. *ſibi vocem praeconis modo defuiſſe:* nam ea comitiis demum peractis conſules renuntiabantur; illa vero comitia ſaepius impedita fuerant. Vid. Garaton. ad Planc. p. 116. ed. Orell. Cf. ſupra §. 25.

ſi haec arma contra ſe ſint futura, ſi haec praeſidia ideirco collocata ſint, ut ipſius condemnatio efficeretur; quod dictitabant certe Milonis adverſarii.

facinoris ſuſpicionem. Vid. c. XXV, 67. XXVII. in. Vellei. II, 47. *Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas.* Sic recte Garat., quum falſo explicaſſet Manut.

vera ſunt, fortes et sapientes viros non tam praemia ſequi ſolere recte factorum, quam ipſa recte facta; ſe nihil in vita, niſi praeclariſſime, feciſſe, ſiquidem nihil ſit praeſtabilius viro, quam periculis patriam liberare; beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit a ſuis civibus, nec tamen eos miſeros, qui beneficio cives ſuos vicerint. Sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, ſi eſſet habenda 97
ratio praemiorum, ampliſſimum eſſe praemium gloriam; eſſe hanc unam, quae brevitatem vitae poſteritatis memoria conſolaretur, quae efficeret, ut abſentes adeſſemus,

---

fortes et ſap. viros. Commode Garaton. affert locum de offic. I, 19, 65. *Fortes igitur et magnanimi ſunt habendi non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. Vera autem et ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud, quod maxime naturâ ſequitur, in factis poſitum, non in gloria iudicat:* Abram. hunc locum prae oculis fuiſſe putat Senecae de benef. I, 1. ſcribenti: *Hoc et magni animi et boni eſt, non fructum beneficiorum ſequi, ſed ipſa.* Idem Sen. ep. 81. *Virtutem omnium pretium in ipſis eſt: non enim exercentur ad praemium; recte facti feciſſe merces eſt.*

honori fuerit a ſuis civibus. Sic Thucyd. VI, 15. *ὧν ἐν ἀξιώματι ὑπὸ τῶν ἀστῶν.*

§. 97. *Sed tamen.* Haec oppoſita ſunt illis: *fortes et ſap. viros non tam praemia ſequi ſolere recte factorum, quam ipſa recte facta.* Quod autem praecedit *nec tamen eos miſeros* etc. proxime cohaeret cum illis *beatos eſſe, quibus* etc. Coniunctionis *tamen* parvum poſt intervallum repetitae exemplum Garaton. poſuit pro Rabir. Poſth. 1. *Sed tamen, ſi quis eſt, qui illam Poſtumi — temeritatem vituperandam putet, ego eius opinioni non repugno, illud tamen deprecor* etc. Wopkenſ. l. Tull. p. 37. de divin. II, 13, in. *Democritus tamen non inſcite nugatur. — — Verum is tamen* etc. Ille praeterea conſuli iubet Stroth. ad Liv. VII, 30. Non ſine vi autem ter repetitur idem voc. *praemium.*

quae brevitatem vitae. Cf. pro Sext. 68, 143. Praeterea Abram. laudat Virgil. Aen. IX, 467. Salluſt. Catil. I, 3. Cic. pro Rabir. perd. extr.

conſolaretur. Quum haec omnia a verbis *Addit haec* §. 96. pendeant, dici oportebat *conſoletur*, ut mox *efficiat, ut abſentes adſimus, mortui vivamus.* Sed non raro Cicero in oratione obliqua a praeſentibus ad imperfecta, vel contra, tranſit, quum res commemorat, non uni alicui

mortui viveremus; hanc denique esse, cuius gradibus
98 etiam homines in caelum viderentur adscendere. De me, inquit, semper populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla umquam obmutescet vetustas. Quin hoc tempore ipso, quum omnes a meis inimicis faces meae

---

tempori adstrictas, sed et praesenti et praeterito communes, ut orat. 57, 191. *Ephorus paeona sequitur* (in libris, qui exstant) *Quod enim paeon* habeat *tres breves, dactylus autem duas, brevitate et celeritate syllabarum labi* putat *verba proclivius, contraque accidere in spondeo et trochaeo; quod alter longis* constaret, *alter e brevibus* fieret etc. Hoc de mortuo valet. de Fin. III, 21, 71. *gravissime et verissime defenditur, numquam aequitatem ab utilitate posse seiungi, et quidquid aequum iustumque* esset, *id etiam honestum, vicissimque, quidquid* esset *honestum, id iustum etiam atque aequum fore:* nam non solum eo tempore, quo scribit Cicero, hoc defenditur, sed diu etiam antea. Cf. Wopkens. lect. Tull. p. 34 et 126 cum n. Handii, Wolf in Anal. litt. I, p. 300 sq. Quid? quod a praesenti transitur ad imperfectum, et denuo ad praesens reditur, ut Cat. m. 21, 78. *sic mihi persuasi, sic sentio, quum tanta celeritas animorum* fit – – *non posse eam naturam, quae res eas* contineat, *esse mortalem* – – *et quum simplex animi natura* esset, *neque* haberet — *non posse eum dividi; quod si non* possit, et quae sequuntur. Quare non prorsus repudio, quod ante Graevium edebatur, *cuius grad. hom. in coelum videantur adscendere*, praesertim quum probabilius sit eum, qui *videantur* legerit, hoc ad praecedentium similitudinem conformasse, quam, qui *viderentur*, eum ad remotiora respexisse, et hoc mutasse in *videantur*. Sed *viderentur* est in optimis Codd. Erfurt. et Bavar.

cuius gradibus hom. Abram. opportunum locum attulit ex Paradox. I, 2. *Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in coelum? iisne, quae isti bona appellant, an rebus gestis atque virtutibus?* Garaton. addit pro dom. 28. *quibus tamquam gradibus mihi videor in coelum ascendisse*, et de rep. III ap. Lactant. div. inst. V, 19. Simile est, quod legitur pro Deiot. §. 27.

§. 98. *quum omnes a meis inimic. fac. inf. m. subiiciantur. Quum* temporis significationem habere, apparet e verbis, quae praecedunt, *hoc tempore ipso;* idem tamen vim particulae causalis vel restrictivae (pro *quamvis*) habere, ex eo, quod sequitur, *tamen*. Ita utraque vocis vis h. l. confusa est, et propter notionem restrictionis, quam ubi habet *quum*, semper coniunctivum assumit, hoc quoque loco coniunctivus additus est,

invidiae subiiciantur, tamen omni in hominum coetu gratiis agendis et gratulationibus habendis et omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos et actos et in-

---

subiiciantur, ut in omnibus Codd. legitur, non *subiiciuntur*, quod pro altero, aperte vitioso scilicet, substitui volebat Ernest. Sic Verr. V, 4. in. *tum, quum bello fugitivorum tota Italia arderet*, — *C. Norbanus in summo otio fuit* i. e. tum, quum ardebat et quamvis arderet. Cf. Phil. III, 2, 3. VI, 1. in. N. D. II, 38, 97. Off. II, 15, 54. III, 20, 80. His locis indicativus additur, quando solum tempus significatur, coniunctivus ubi *quum* simul causam designat vel *quamvis* valet. Sed sunt etiam loci, in quibus *quum*, sequente *tamen*, indicativum assumat, ut Verr. V, 48, 127. *paucorum cupiditati* tum, quum *obsistere non* poterant, tamen *sufficere aliquo modo poterant*, epp. famil. III, 7. (epp. 63, 7.) *Quum ea consecutus nondum* eram, *quae sunt hominum opinionibus amplissima*, tamen *ista vestra nomina nunquam sum admiratus* i. e. ne tum quidem, quum ex cons. nondum eram, sum admiratus, et quamvis ea nondum cons. essem, tamen etc. Cf. de fin. V, 10, 29. 11, 30. Singularis est locus agrar. II, 24, 64. *tum*, quum haberet *haec respublica Lascinos* – – – *et tum*, quum erant *Catones* – – tamen *huiuscemodi res commissa nemini est;* quo loco defendi etiam potest alter Verr. III, 54 in. *Quum Sicilia vexata* est – – *et quum bis in ea provincia magnae fugitivorum copiae versatae* sint (Ern. *sunt*) *tamen* etc. Utraque coniunctionis vis confusa etiam est in formula *quum* sq. coni. — *tum*, de qua vid. ad Rosc. §. 16. Cf. ad or. pro Muren. §. 8. et quae contra monuit Beier. in Allg. Schulz. 1827. nr. 24. — De *facibus, incendio, flamma invidiae* Garaton. laudat Catil. I, 11 extr. supra c. XXVII, 75. pro Cluent. 29, 79. Liv. 40, 5.

gratiis agendis et gratul. habendis. Gratias Miloni actas, gratulationes diis habitas, erudite Cruquius existimat. Consulendus est Graevius ad IV in Catil. 10. et Gifanius in Obss. L. L. p. 208. Sed ipse Cicero audiendus, cui post Caesaris necem Mutinensis belli tempore simile quiddam contigit; de quo ita gloriatur ad Brutum scribens ep. 3. *Nihil est in me inane; neque enim debet; sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio gratulatio me commovet.* Haec autem ita enucleantur XIV. Philipp. 5. *nam sive in communi gaudio populi Romani uni gratulabantur, magnum iudicium, sive gratias agebant, eo maius, sive utrumque, nihil magnificentius excogitari potest.* Ex his igitur potius ad

ſtitutos dies; centeſima lux eſt haec ab interitu P. Clodii, et, opinor, altera; qua fines imperii populi Romani ſunt, non ſolum fama iam de illo, ſed etiam laetitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc ſit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris et iam verſatur et ſemper
XXXVI habitabit nominis mei gloria. Haec tu mecum ſaepe, his
99 abſentibus, ſed iisdem audientibus, haec ego tecum, Milo. Te quidem, quod iſto animo es, ſatis laudare non poſ-

---

unum Milonem referri utrumque colligas. *Garat.*

Centeſima lux eſt. Ex rationibus a Pontedera ſubductis, is fuit dies a. d. VI. Id. Apr. quem, ſi lubet, vid. in Epiſt. antiquitat. Lat. et Gr. p. 321. *Ern.*

c. XXXVI. §. 99. *quod iſto animo es.* Graev. ex Erfurt. Pith. et Franc. 1. dedit *quum iſto a. es*, eumque ſecuti ſunt Erneſt. et Garaton. Erneſtum maxime miror, quod h. l. *quum — es* multo melius eſſe dicit, is qui tot Ciceronis locis, ubi *quum* cauſam indicans cum indic. iungebatur, contra Codd. Mss. ſcripturam mutaverit. Quaeſtio iſta de hac coniunctione, utrum, ubi cauſam ſignificet, cum indicativo iungatur, an coniunctivum poſcat, adhuc ne inchoata quidem eſt; nec prius rem ad liquidum perduci poſſe cenſeo quam, collectis omnibus locis, ubi *quum* cauſale cum indic. vel coni. iunctum reperitur, et ad Codd. auctoritatem exactis, ſecretis iis, ubi temporis notionem adiunctam habet, (ut Cicer. Cat. m. 19. *at eſt eo meliore conditione, quam adoleſcens, quum id, quod ille ſperat, hic iam conſecutus eſt*, quem attulit Garat.) quid Ciceronis aetas, quid ſequens tulerit, confectum erit. Qui enim adhuc eam quaeſtionem tractarunt, et pauciſſimos tantum locos contulerunt, et vel confuderunt, quae distinguenda erant, vel ad libidinem regulas finxerunt, v. c. coniunctivum adiungi, ubi res ſit dubia et incerta, ubi certa, indicativum, quod ipſum falſa de vi coni. opinione nititur, aut *quum* cum indic. poni, pro *quod, quoniam, quando quidem*, non docentes, cur his ipſis vocabulis uti noluerint ſcriptores. Mihi quidem *quum* cauſale cum indicativo iunctum ſuſpectum eſt, tum quod paucis tantummodo locis firmatur, tum quod hi ipſi diverſe ſcribuntur, Codd. aliis *quando*, aliis *quoniam* vel *quod* exhibentibus (vid. Wunder. var. lect. p. XCVI ſqq. et quae ipſe monui in praef. epiſtol. Cicer. ed. III, p. 10 ſq.) Simillimus noſtro locus eſt epp. famil. XI, 2. *quae profecto, quum iſtum animum habes, in optimam partem accipies.* Sed ibi Gud. pro *quum* habet qñ i. e. quando. Cf. Wunder. l. c. p. CIII. CVIII.

ſum, ſed, quo eſt iſta magis divina virtus, eo maiore a te dolore divellor. Nec vero, ſi mihi eriperis, reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, ut his iraſci poſſim, a quibus tantum vulnus accepero: non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi, non male aliquando de me meriti, ſed ſemper optime. Nullum umquam, iudices, mihi tantum dolorem inuretis (etſi quis poteſt eſſe tantus?) ſed ne hunc quidem ipſum, ut obliviſcar, quanti me ſemper feceritis. Quae ſi vos cepit oblivio, aut ſi in me aliquid offendiſtis, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? praeclare enim vixero, ſi quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro. Nunc me una conſolatio ſuſtentat, quod 100
tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum ſtudii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego meum ſaepe corpus et vitam obieci armis inimicorum tuorum; ego me plurimis pro te ſupplicem abieci; bona, fortunas meas ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli; hoc denique ipſo die, ſi qua vis eſt parata, ſi qua diminutio capitis futura, depoſco. Quid jam reſtat? quid habeo, quod faciam pro tuis in me meritis, niſi ut eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam? Non recuſo, non abnuo; vosque obſecro, iudices, ut veſtra beneficia, quae in me contuliſtis, aut in huius ſalute

---

Itaque retinui quod ferri poterat, *quum es* vitioſum eſſe putans, donec meliora edoctus fuero; hoc ipſum tamen ortum eſſe ſuſpicor e nota qm̃ i. e. quoniam.

tamen, etſi mihi eripieris. *Ut his iraſci poſſim* ponitur, ut poſt *reliquum eſt.*

Quae ſi vos cepit oblivio pro Cuius rei, quanti me ſemper feceritis, ſi vos cep. obl. Vid. Krüger *Unterſuch.* 3. p. 127 ſq.

Offendere in aliquo eſt animadvertere aliquid, quod moleſtiam faciat, itaque moleſte aliquid ferre in aliquo. Ductam eſſe hanc ſignificationem ex eo, quod *offend.* proprie ſit impingere in re, optime oſtendit Mencken. Obſſ. L. L. p. 688 ſq. et recte addit Forcell. quaſi incurrere in aliquid, quod displiceat. Nos dicimus *anſtoſsen.*

§. 100. *in communionem tuorum temporum contuli* i. e. tecum communicavi, quum tempora tua (i. e. pericula, vid. ad Manil. 1.) id poſcerent, ſ. tecum partitus ſum, ut eſt in Verr. I, 44, 113.

augeatis, aut in eiusdem exitio occasura esse videatis.
XXXVII His lacrymis non movetur Milo; est quodam incredibili
101 robore animi; exsilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus, mortem naturae finem esse, non poenam. Sed sit hic ea mente, qua natus est. Quid vos, iudices, quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipsum eiicietis? et erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem effudistis, vos in viri et in civis invicti appello periculo, centuriones, vosque, milites; vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis et huic iudicio praesidentibus haec tanta virtus ex hac urbe expelletur, ex-
102 terminabitur, proiicietur? O me miserum, o infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero? quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? mene non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset? At in qua causa non potuisse? quae est grata gentibus; a quibus non potuisse? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt;

---

videatis h. e. intelligatis, vobisque persuadeatis. *Garat.*

c. XXXVII. §. 101. *exsilium ibi esse putat*, ideoque patriam esse ubicunque virtuti locus sit; quod diversum est a pervulgata sententia *patriam esse ubi bene sit;* quam comparavit Abram.

mortem nat. finem esse. Cf. Catil. IV, 4, 7. ubi vid. not. *naturae* i. e. existentiae, quam vulgo vocant, s. vivendi.

expelletur, exterm., proiicietur? Demosth. in Aristog. p. 798 ed. Reisk. *ἐξορίσαι, φίψαι ἐκ τῆς πόλεως.* Sed gravius Cicero *proiicietur*, tanquam res contemta. Est autem hic congregatio verborum idem fere significantium, de qua Quintil. IX, 3, 45. cf. ad Catil. II, 1. quae h. l. indicat animum, quod verbum rei accommodatissimum et gravissimum sit, in affectu ambigentem. Est autem interrogatio detestantis, ut notavit Beier. ad fr. or. pro Scauro p. 216.

§. 102. *qui nunc abes*, Caesaris legatus in Gallia.

a quibus non potuisse salutem Milonis tueri, i. e. quorum ope, ut supra XXI, 56. Alias *tueri ab al.* est tueri contra al.

acquierunt, quasi securi facti sunt, ideoque ea delectati sunt; quamquam hoc gravius est. Nam *acquiescere* absentiam tantum significat doloris, ubi nos

quo deprecante? me. Quodnam ego concepi tantum sce- 103
lus, aut quod in me tantum facinus admisi, iudices, quum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi? omnes in me meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati mihi acerbiorem reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus: nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum? Utinam dii immortales fecissent (pace tua, patria, XXXVIII
dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) utinam P. Clodius non modo viveret, sed etiam praetor, consul, dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem et a 104
vobis, iudices, conservandum virum! Minime, minime, inquit; immo vero poenas ille debitas luerit, nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. Hiccine vir patriae natus usquam, nisi in patria, morietur, aut si forte, pro

---

nicht ungern sehen, delectari gaudium accedens.

§. 103. *Quodnam ego concepi.* Cf. pro Sext. 69, 145.

exstinxi, non indicia, sed semina s. auctores communis exitii. Vid. ad Catil. IV, 1, 1. Garat. comparat locum pro Flacc. 2, 5. *repetitur ad poenam, qui indicia communis exitii excepit; cur sibi confidat is, qui ea proferenda et patefacienda curavit?* et fragm. Ciceronis apud Quintil. IX, 3, 49. *Quaero ab inimicis, sintne haec investigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, exstincta per me.*

c. XXXVIII. *Utinam dii imm. fecissent.* Pergere voluit, ut Clodius viveret; sed interpellata oratione, repetiit *utinam* et simpliciter posuit *utinam viveret Clodius.* Semper enim, ubi id, quod praegressum est, post parenthesin repetitur, mutata orationis forma repetitur.

§. 104. *Minime, minime* revivisca Clodius et praetor, consul, dictator sit potius. Ad eumdem Clodium referuntur etiam ea, quae praecedunt *fortem et a vobis conservandum virum.*

aut, si forte, pro p. i. e. si fors ita tulerit, *εἰ τύχοι.* Sic locum explicavit Muret. V. L. XVI, 9. allatis locis ex epist. ad Qu. fr. I, 2. *Intelligis nihil esse a me, nisi orationis acerbitatem et iracundiam, et, si forte, raro litterarum missarum indiligentiam reprehensam:* de orat. III, 12, 47. *ex quo vereor, ne nihil sim tui, nisi suppositionem pedis, imitatus et pauca quaedam verba et aliquem, si forte, motum.* Cf. ad Att. XIV, 13. (epp. 148, 4.) *Restat, ut in ca-*

patria? huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum ſepulcrum eſſe patiemini? hunc ſua quisquam ſententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulſum a vobis ad ſe vocabunt? O terram illam beatam, quae hunc virum exceperit, hanc ingratam, ſi ejecerit, miſeram, ſi amiſerit! Sed finis ſit: neque enim prae lacrymis iam loqui poſſum, et hic ſe lacrymis defendi vetat. Vos oro obteſtorque, iudices, ut in ſententiis ferendis, quod ſentietis, id audeatis. Veſtram virtutem, iuſtitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis optimum et ſapientiſſimum et fortiſſimum quemque delegit.

ſtra Sexti aut, ſi forte, Bruti nos conferamus.

animi monumenta, quae animi eius fortitudinem et magnitudinem memoriae conſecrant, res ab eo pro republica fortiter geſtas, ut quietem reipublicae partam caede Clodii.

SUMMARIUM SCHUETZII.

A. Licinius Archias natus eſt Antiochiae, Syriae urbe, anno circiter U. C. 633. Etenim c. 2. huius orationis dicitur Mario conſule et Catulo A. V. 651 praetextatus adhuc h. e. admodum adoleſcens fuiſſe. [vid. not. §. 5.] Is igitur poſtquam ex pueris exceſſit, primum Antiochiae, deinde in ceteris Aſiae partibus cunctaque Graecia ingenii et facultatis poeticae laude floruit. Et quum in Italiam veniſſet, a Tarentinis, Rheginis, Neapolitanis civitate ceterisque praemiis donatus eſt. Et quum eſſet iam propter famam multis, qui Roma tum afuerant, notus, Romam venit Mario et Catulo coſſ. adoleſcens circiter XVIII. annos natus, eumque Luculli domum ſuam receperunt, a quibus etiam poſtea, quum eſſet civitate donatus, gentilitium Licinii nomen aſſumpſiſſe videtur. Praeterea iucundus fuit Q. Metello Numidico, qui conſul fuerat A. U. 645. eiusque filio Metello Pio, audiebatur a M. Aemilio Scauro, vivebat cum Q. Lutatio Catulo patre (qui conſul fuerat A. U. 652.) et filio (qui poſtea conſul fuit A. U. 675.) a L. Craſſo oratore colebatur; Lucullos vero, L. et M. fratres et M. Livium Druſum M. F. Octavios Cn. et L. fratres, quorum alter conſul cum Cinna fuit A. U. 666, alter cum C. Aurelio Cotta A. U. 678. Catonem (fortaſſe M. Catonis Uticenſis patrem) item Hortenſium conſuetu-

dine devinctos tenuit. Satis longo intervallo h. e. A. U. circiter 660 profectus est cum M. Lucullo in Siciliam, quod iter hic domestici negotii causa suscepisse videtur; [vid. not. §. 6.] nondum enim ad rempublicam accesserat, cum eodemque provincia decedens venit Heracleam, urbem Magnae Graeciae inter Metapontum et Tarentum sitam, eiusque civitatem, quum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli (quam ei et generis nobilitas et magnae facultates conciliarunt) impetravit. Et quum M. Plautius Silvanus et C. Papirius Carbo tribuni pl. A. U. 664 legem tulissent, ut civitas Romana daretur iis, qui foederatis civitatibus adscripti fuissent, si tum, quum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi, Archias hac lege Plautia et Papiria civitatem Romanam adeptus est, utpote qui esset foederatae civitati Heracleensi adscriptus et multos iam annos domicilium Romae habuisset. Professus autem est apud Q. Metellum Pium, familiarissimum suum, eodem anno 664 praetorem. Tum A. U. 665 L. Licinium Lucullum quaestorem in Asiam secutus est, cum eoque ibi remansit usque ad a. 673, quo anno Lucullus rediit aedilitatem petiturus, quam A. U. 674 una cum fratre Marco gessit. Postea eumdem Lucullum A. U. 679 consulem ad bellum Mithridaticum proficiscentem comitatus est, cum eoque A. U. 688 rediit. A. U. 690 M. Pupio Pisone et M. Valerio Messala coss. (quo anno sexagesimum Archias annum agebat, unde ei senectutem Cicero tribuit c. 3) a Graccho quodam, seu, ut alii legunt, Gratio lege Papia reus factus est de civitate. C. Papius enim trib. pl. A. U. 688 legem tulerat, qua sancitum est, ut peregrini urbe pellerentur, qui quum cives non essent, se pro civibus gererent.

Acta causa est apud praetorem populi Romani eiusque consilium. Quis ille fuerit, non constat. Ilgenius V. C. in animadversionibus historicis et criticis in Cic. or. pro Arch. bonae frugis plenissimis (quae insertae sunt

opusculorum philol. T. II. pag. 92 sqq.) evincere studet fuisse C. Virgilium Q. Ciceronis in praetura collegam. Cui libenter assentirer, si certum satis esset, Virgilium et Q. Ciceronem praeturam in urbe gessisse A. U. 692. Pisone et Messalla coss. Verum hoc ipso anno et verno quidem tempore Q. Cicero (ad Att. I, 13. 16) iam abiit in provinciam Asiam, isque primus ei fuit annus provincialis, secundus A. 693 Metello et Afranio coss. tertius A. 694 Caesare et Bibulo coss. Itaque haud scio an Pighius verius Q. Ciceronis et Virgilii praeturam urbanam anno 691 Silano et Murena coss. alligaverit. Inter eos autem praetores, qui A. U. 692 fuerunt, nemo est, in quem laudes a Cicerone praetori, qui quaestionem de Archiae civitate agebat, melius conveniant, quam C. Octavius (Octavii, postea Caesaris Augusti pater) qui hoc anno praetor A. 693 magna cum laude Macedoniam rexit, et a Velleio (II, 59) vir gravis, sanctus, innocens appellatur.

In exordio Cicero se ad Archiam defendendum officio dicit adduci, quod, quum inde a puero in studio eloquentiae sit eius hortatu praeceptisque conformatus, ei potissimum, a quo id acceperit, quo aliis opitulari posset, opem et salutem ferre debeat c. I. petitque a iudicibus, ut, quum pro summo poëta atque eruditissimo homine dicendum sit, patiantur se de studiis humanitatis et litterarum paulo liberius dicere; quod si concedant, perfecturum se pollicetur, ut A. Licinium Archiam non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, putent asciscendum fuisse c. II.

Itaque primum vita Archiae breviter enarrata docet, quando et quomodo civitatem Romanam acceperit c. III IV. Nimirum, quum esset in civitatem Heracleensium adscriptus, lege Plautia et Papiria aliquanto post civitatem Rom. impetravit. Tum refutat adversarii argumenta, quibus ille civitatem Archiae in dubium vocare ausus erat. Negari non posse eum Heracleae adscriptum esse, quippe

quod M. Luculli et Heracleenſium teſtimoniis confirmetur, etſi tabulae proferri non poſſint, quae Italico bello incenſo eorum tabulario interierint. (§. 8.) Negari non poſſe, eum domicilium Romae habuiſſe et apud praetorem profeſſum eſſe. Illud omnibus notum eſſe, hoc tabulis Metelli confirmari, in quibus nulla ſit in nomine A. Licinii litura. (§. 9.) Et quod adverſarius obiiciat, Archiam cenſum non eſſe, id ſic refutat Cicero, quod proximis cenſoribus (L. Gellio Poplicola, Cn. Cornel. Lentulo) A. U. 684 et ſqq. apud exercitum L. Luculli fuerit, ſuperioribus (L. Marcio Philippo et M. Perperna) qui luſtrum fecerunt A. V. 667 cum eodem Lucullo quaeſtore in Aſia fuerit; primis autem poſt civitatem ab Archia impetratam, cenſoribus (P. Licinio Craſſo et L. Iul. Caeſare) A. U. 664 omnino nulla pars populi cenſa ſit. (§. 10. 11.) Denique civitatem Archiae his etiam argumentis conſtare, quod teſtamentum ſaepe fecerit Romanis legibus, quod adierit hereditates civium Romanorum, quod in beneficiis delatus ſit ad aerarium a L. Lucullo praetore et conſule c. V. (§. 11.).

In altera parte orationis dignitatem Archiae demonſtrat a doctrinae et poeſeos laudibus c. VI — VIII. et quod Archias ingenium ſuum ad gloriam populi Romani contulerit, ideoque non ſecus atque alii poëtae a claris et fortibus viris cultus ſit et magni aeſtimatus. c. IX — XI.

In peroratione (c. XII. §. 31.) iudicibus Archiam commendat, cuius ingenium videant ſummorum hominum ingeniis expetitum, et cuius cauſa beneficio legis (Plautiae Papiriae) auctoritate municipii (Heracleenſis) teſtimonio M. Luculli, tabulis Metelli comprobetur.

De hac oratione, quam ſcholarum magiſtri fere pro elegantiſſima et venuſtiſſima habent, contrarium exſtat iudicium Klotzii in *Actis litter. Lipſ.* T. IV. p. 50. Is enim in ea argumentis adverſarii admodum leviter tenuiterque refutatis, arreptoque, ne deeſſet loquendi materies, loco,

ut rhetores dicunt, communi de laudibus litterarum, parum ſummi oratoris partibus ſatisfeciſſe Ciceronem iudicat. Idem argumentum uberius accuratiusque perſecutus eſt Schroeterus in ſingulari editione ſic inſcripta: *M. T. Cic. quae vulgo fertur or. pro A. Lic. Archia p. Rec. ſuas obſervationes adiecit M. C. B. Lipſ. in libr. Weygand.* 1818. Nam in obſervationibus ſubiectis et ſingulas voces ac locutiones cum Ciceronis dictione minus conſpirantes, et ſententiarum multarum levitatem ac tenuitatem, et rerum, quae magis falſo conficta quam ex fide hiſtorica tradita dicas, perverſitatem, totiusque tractationis ieiunitatem acriter et acute notavit. Equidem, quum iam antea inſolentia multarum vocum et locutionum (vid. v. c. ad §§. 2. 16.) ſententiis futilibus, ne dicam ineptis (vid. ad §. 3. 16. 19.) iisque, quae inchoatae potius, quam abſolutae viderentur, offenſus eſſem, magis etiam commovebar iis, quae Schroet. commemoravit ad c. VI. p. 41 ſqq. quod omnia argumenta non ea diligentia ac copia, qua ſolet Cicero, quamque in oratione ſimilis argumenti pro Balbo adhibuit, expoſita et contraria adverſarii refutata ſunt, ſed ita nude et exiliter tractata, ut parcior verborum vix poſſit eſſe, qui cauſam Archiae in aliquam ſummam ſeu epitomen contrahere velit. Hinc igitur efficere vult Schroeter., talem orationem nunquam habitam eſſe a Cicerone, et quae eius feratur oratio, eam a declamatore aliquo ſuppoſitam eſſe. At *ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται.* Quod enim de exilitate et inopia veriſſime dicit, qua auctor orationis argumenta tractavit, haec eo etiam valent, ut orationem non a declamatore aliquo confictam exiſtimemus. Non enim hic mos eſt declamatorum, ut paucis verbis in narrandis rebus exponendisque ac refutandis argumentis defungantur, ſed ut omnia verborum lenocinia et pigmenta oratoria, ornamentorum *ληκύθους* inepte effundant, quod ex orationibus quinque illis ſpuriis ſatis intelligas. Quodſi declamator hanc cauſam ſcribendam ſuscepiſſet, quantum ille exſultaſſet in infirmandis iis, quae Gratius obiecerat, in amplificanda Luculli et legatorum Heracleenſium fide ac religione, in exemplis congerendis, in iis ube-

rius explicandis, quae de teſtamentis et hereditatibus dicit §. 11.? quas *περιόδους* ille, quas *καμπάς*, quae *ἐνθυμήματα* plena manu proieciſſet? Itaque declamatoris hunc foetum eſſe, credere nullo modo poſſum. Ciceronis vero eſſe orationem Quintiliani tum diſerta teſtimonia (vid. ad §. 1. 19.) tum eiusdem et Senecae (vid. ad §. 26.) imitationes ſatis probant; et magis etiam dictio plerorumque locorum plane Ciceroniana, quam nulla imitatio conſequi poteſt. Itaque ſuspicor Ciceronem hanc orationem, ut habita erat in cauſa ſatis levi, ideoque non magna contentione, non magni facientem, quum maxime neceſſaria et initia tantum ſcripſiſſet, reliqua ex tempore exſequuturus, haec a notariis excepta ſepoſuiſſe, nec ſecundis curis poſtea elaboraſſe, i. e. ut Aſconius loquitur, *in commentariis reliquiſſe*. De his commentariis vid Quintil. IV, 1, 69. X, 7, 30. ubi vid. Spald. Sigon. ad fr. or. pro Gabinio p. 1018. ed. Graev. Ex hoc genere erat excepta illa oratio pro Milone, quam commemorat Aſcon. argum. extr.; ex eo etiam id quod Ciceroni exprobrat Q. Fufius Calenus ap. Dionem Caſſ. XLVI, 7. *ἢ οἴει τινὰ ἀγνοεῖν, ὅτι μηδένα τῶν θαυμαστῶν σου τούτων λόγων, οὓς ἐκδέδωκας, εἴρηκας, ἀλλὰ πάντας αὐτοὺς μετὰ ταῦτα συγγέγραφας;* Ita factum opinor, ut Cicero in habenda oratione capita rerum tantum attingeret, copioſior tamen in iis, quae de laudibus ſtudiorum humanitatis dicit, quippe loco communi, ſaepe fortaſſe iam tractato, vel quo imprimis delectaretur. Fieri etiam debuit, ut notarii multa currente ſtilo omitterent, quum vel celeritatem dicentis ſatis perſequi non poſſent, vel dicta non recte perciperent.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRO ARCHIA POETA.

Siquid eſt in me ingenii, iudices, quod ſentio quam ſit 1
exiguum, aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non 1
infitior mediocriter eſſe verſatum, aut ſi huiuſce rei
ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudiis ac diſciplina
profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus
abhorruiſſe, earum rerum omnium vel imprimis hic A.
Licinius fructum a me repetere prope ſuo iure debet.
Nam quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium
praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari

C. I. §. 1. *ingenii — exercitatio — ratio.* Tria enumerat, quae, ut ad quamque artem, ſic ad eloquentiam perficiendam requiruntur, ingenium, *doctrinam* ſ. inſtitutionem — haec eſt enim *ratio*, quatenus certa via ac ratione inſtituitur, — *exercitationem.* Vide Ciceronem fuſe hoc docentem de orat. I, 25 ſqq. Quint. III, 5, 1. *Facultas orandi conſummatur natura, arte, exercitatione.* Cf. Iſocrat. *π. ἀντιδόσ.* §. 202 ſqq. ed. Bekk. Partes autem enumeravit pro toto; nam nihil aliud haec valent, niſi *ſi quid eloquentia valeo;* qui eſt *μερισμός*, quem vocant artis magiſtri. Verbis *in qua me non infitior mediocriter eſſe* integrum hexametrum contineri, monent Interpr., quod vitioſum Cicero ipſe iudicat. Sed tales vſſ. Ciceroni ſaepe exciderunt. Vid. Garaton. ad Verr. Act. 1 c. 7.

fructum — repetere non eſt pro ſimplici petere, ut calumniatur Schroeter., ſed petere tanquam ſibi debitum, ut iam explicavit Geſner. in theſ. l. lat.

ultimam, inde usque repetens hunc video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quod si haec vox huius hortatu praeceptisque conformata nonnullis aliquando saluti fuit; a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis,

ultimam, ab hac aetate remotissimam ideoque primam, ut recte Heumann. Cornel. N. vit. Att. I, 1. Pomp. Att. *ab origine ultima stirpis Rom. generatus.* Sic *ultima tempora* Cic. Leg. I, 3, 8 de prov. conf. 18, 43 opponuntur inter se *ultimum tempus, proximum, medium.*

inde usque repetens nim. rerum ordinem. Sic absolute Cicero dixit etiam Orat. I, 20, 91, *neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, quum repeteret usque a Corace et Tisia nescio quo.* Tusc. I, 48, 116. *claras vero mortes pro patria oppetitas non solum glorioSas rhetoribus, sed etiam beatas videri solent; repetunt ab Erechtheo.* Cf. Acad. II, 5, 13. Nam hic quoque, ut illis locis, sermo est de iis, quae facta sunt, quorum series memoria *repetitur* i. e. e longinquo petitur; hinc additum *inde usque.* Est itaque idem fere quod *ἐντεῦθεν ἀρξάμενος* apud Isocr. Panath. p. 258. D (§. 134 Bekk.) Quod enim ibi scribendum conieci Miscell. philol. II, 2. p. 114 pro *ἐντεῦθεν θραξάμενοι*, (adeo probatum Corayio, ut in editionem suam receperit, iisdem locis adscriptis in Annotatione, quibus ipse in confirmanda coniectura usus eram,) id igitur postea cod. Urbinas apud Bekker. confirmavit.

principem, auctorem, hortatorem, ducem expl. Hottom. ut Sull. 3, 9. Verr. V, 16, 40. *ut ad illam parvam manum exstinguendam ducem te principemque praeberes.* Goerenz. in Jahrb. d. Philol. I. p. 302 addit Lael. 8, 26. Phil. X, 11. epp. fam. X, 17. miro tamen modo explicans Graeco *πρωτεύων τέ*, ut *ad* sit pro *quoad. Studia* autem Cicero non dicit solius eloquentiae — nam Arch. non erat rhetor — sed artium liberalium omnium, in quibus sunt et eloquentia et poësis, communi vinculo ita inter se connexae, ut altera alteram adiuvet. vid. §. 12 sqq.

Suscipiendam pertinet ad consilium discendi artes dicendi, *ingrediendam* ad actum discendi. Illuc spectat mox *hortatu*, huc *praeceptis. Ern.* Non per se ipsa haec coniuncta sunt, ut censebat Schroeter., nam saepe suscipimus aliquid, a quo perferendo in ipso ingressu deterremur. Et quis nescit morem Ciceronis, ea, quae re coniuncta sunt, oratione coniungendi, in quo maxima pars posita est copiae oratoriae, ut mox *opem salutemque*, quod non magis illi probatur.

et opem et salutem ferre debemus. Ac, ne quis a nobis 2
hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio aut disciplina, ne nos quidem huic uni studio penitus umquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et

et opem et salutem ferre. Fin. II, 35, 118. *quum opem indigentibus salutemque ferres.* Minus Latinum hoc videbatur Schroetero.

§. 2. *neque haec dic. rat.* Ciceronis consuetudo postulabat *non haec dic.* Vid. ad Rosc. §. 92. Similiter tamen *neque* pro *non* scriptum est de orat. II, 34, 146. III, 31, 123. Nam, ut contraria saepe ita subiunguntur particula *et*, ut nulla significetur oppositio (vid. ad Sext. §. 35. Rosc. §. 10, ad Muren. §. 71.) sic, ubi id, quod opponitur, negantem sententiam habet, non oppositio indicatur, sed adiunctio. Cf. ad Milon. §. 19. Ita non necesse est cum Goerenzio ad Leg. I. p. 42. novam particulae significationem comminisci, *id est non haec dic. ratio*, quae ne convenit quidem huic loco. Schütz. edidit *atque*, quomodo Cicero locutus est Leg. II, 7. *quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille;* satis leviter.

artes, quae ad humanitatem pertinent, poesis, eloquentia, philosophia, historia, mathematica, omnino artes liberales et ingenuae i. e. libero et ingenuo homine dignae, quae non certum aliquod vitae genus efficiunt, sed ad ingenii humani vires et facultates excitandas alendasque valent, cuius generis apud nos etiam sunt eae, quas commemoravi, et praeterea linguarum antiquarum studium (quod nonnulli solum pravo more humanitatis verbo complectuntur, *humaniora* parum latine vocantes) religionis christianae cognitio, distinguenda a theologia, iurisprudentia, medicina etc. Illas artes significabant Plato et Aristoteles, quum eas *οὐκ ἐπὶ τέχνῃ, ἀλλ ἐπὶ παιδείᾳ* discendas esse docebant; easdem Isocrates *π. ἀντιδόσ.* §. 283 ed. Bekk. quum de philosophia loquens, *τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τότ᾽ ὠφελεῖν ἡμᾶς πέφυκεν, ὅταν λάβωμεν αὐτῶν τὴν ἐπιστήμην, ταῦτα δὲ τοὺς ἀπηκριβωμένους οὐδὲν ἂν ἐνεργετήσειε, πλὴν τοὺς ἐντεῦθεν ζῆν προῃρημένους, τοὺς δὲ μανθάνοντας ὀνίνησι.* cui loco ita similis est alius Quintiliani I, 10, 34. ut ex eo ductus esse videatur. Vid. post Passerat. ad h. l. Ernest. clav. Cic. Gesner. thes. l. lat. v. *Humanitas* n. 4. ubi adscriptus est locus velut classicus Gellii XIII, 15. *Qui verba latina fecerunt, quique iis probe usi sunt, humanitatem non id solum esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque a Graecis φιλανθρωπία di-*

II quasi cognatione quadam inter se continentur. Sed ne cui 5 vestrum mirum esse videatur, me in quaestione legitima et in iudicio publico, quum res agatur apud praetorem populi Romani, lectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat, quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam, ut me pro summo poëta atque eruditissimo

citur et significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam, sed humanitatem appellaverunt id propemodum, quod Graeci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus; quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maxime humanissimi: huius enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homini data est, idcircoque humanitas appellata est.

c. II. §. 3. *Sed ne cui vestrum mirum esse videatur* etc. Nondum me poenitet iudicii, quod in libello artis dicendi praecepta continente (*Theorie des lat. Stils*) p. 20 feci. Ut enim aptissime Cicero a iudicibus veniam petat de studiis humanitatis paulo loquendi liberius, ineptum tamen mihi esse videtur ita dicere, Ne cui mirum videatur, me uti hoc genere dicendi, quaeso a vobis, ut me patiamini uti novo genere dicendi. Quis enim, ut recte ait Weiske, hac ratione allata veniam petit, aut tali utitur sermonis anfractu? Quis ita loquatur, Ne cui mirum videatur, me hunc hominem verberare, peto a vobis, ut me eum verberare patiamini? Accedit inutilis verborum idem significantium cumulus. Longe aliter idem argumentum tractavit pro Mur. 29, 61.

in quaestione legitima, legibus constituta, non ab otiosis hominibus doctis proposita. Praetor vero, apud quem causa agitur, Ilgenio esse videbatur C. Virgilius, Schützio in Summ. p. 291 C. Octavius.

apud severissimos iudices, quorum est licentiam a proposito evagandi coërcere. Eodem pertinent verba *paulo loqui liberius*, ita ut more iudiciorum minus astrictus sim.

hoc genere dicendi, ad studiorum humanitatis laudes pertinente, quod deinde tractaturus est.

a forensi sermone, eo, quo homines in foro uti solent, de litibus suis, de formulis iuris et cautionibus, de pecuniis credendis vel collocandis, non de rebus scholae aptioribus, inter se colloquentes.

homine dicentem, hoc concursu hominum litteratissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis ac litterarum paullo loqui liberius, et in eiusmodi persona, quae propter otium ac studium minime in iudiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi. Quod si mihi a vobis tribui concedique 4 sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.

Nam ut primum ex pueris excessit Archias atque ab III iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiae, (nam ibi natus est loco nobili) celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluente, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia sic eius adventus celebrabantur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius

in eiusmodi persona, homine eiusmodi studia exercente. Nam personam non simpliciter dici hominem, sed ratione habita eius conditionis, muneris, morum etc. Ernest. monuit in Clav. Cic. Mollius esset *in ei. persona*, quae minime in iudiciis *versata* vel *iactata est*; quae coniectura est Ilgenii; sed paulo audacius verbum ad propriam vim vocis *personae* accommodavit: nam *personam tractare* proprie dicitur histrio. Vid. pro Rosc. com. 7, 61. Offic. III, 29, 106. Fortasse eo etiam respexit, quod poetae, rerum civilium fere rudes atque ignari, easque adeo refugientes, si quando in vitae communis lucem protracti vel in iudicium adducti sunt, in sole caligantes magis aliis se regendos, moderandos, *tractandos* praebent, quam ipsi *versantur*. Aliter Quintil. IV, 1, 14. *Ipsius autem litigatoris persona tractanda varie est*, nimirum ab oratore. De *periculis* vid. ad Rosc. §. 152.

c. III. §. 4. *primum Antiochiae — pergere voluit*: omnibus antecellere coepit. Sed post parenthesin immutavit orationem.

loco nobili i. e. nob. genere, ut *honesto loco natus* Flacc. 8, 18. *infimo loco natus*, ibid. 11. in.

ut famam — superaret. Sic Cicero apud Macrob. Saturn. VI, 2. de Catone: *Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut maiora omnia res, quam fama, viderentur, id quod non saepe*

adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena Graecarum artium ac disciplinarum, studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis, et hic Romae propter tranquillitatem reipublicae non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae quum esset iam absentibus notus,

---

evenit, ut exspectatio a cognitione, aures ab oculis vincerentur. Monuit Manut.

§. 5. *Italiam* distinguit a Latio, quae eius pars est a Tiberi ad L passus meridiem versus pertinens. Antiquitus autem ea tantum pars, quae a Samnio orientem et meridiem versus patet, vocabatur Italia, vid. Niebuhr. röm. Gesch. I. p. 15. Hinc alii *Latini*, alii *Italici*, aliud *ius Latii*, aliud *Italicum*. Italiae igitur nomine designat Magnam Graeciam.

propter tranqu. reip. quum Saturnini seditio oppressa anno sequente, nec dum bellum sociale exarsisset a. 664.

non negligebantur minus esse, quam colebantur, recte monuit Manut. Romanos minus studere litteris, quam Latinos, iudicat etiam de orat. III, 11, 43.

et Neapolitani. c. IV, 10. addit *Locrenses.* Licuisse in aliis gentibus plurium civitatum civem esse, contra quam Romae concessum erat (vid. pro Caec. 34, 100. pro Balb. 12, 31.) monuit Hottomann. Illos autem populos, quo tempore Archiam civitate donarunt, foederatos fuisse, suis legibus, non Romanis utentes, postea lege Iulia, belli socialis anno primo lata, municipes factos ostendit Manut. Sed negotium facessit Tarentum, quo Velleii. I, 15. coloniam deductam esse scribit anno post Longinum et Calvinum coss. i. e. anno 631. quo anno ne natus quidem erat Archias, siquidem is anno 652 seu post annos 21 praetextatus adhuc erat; inter municipia refert Cic. infr. V, 10. Ita Tarentum eo tempore esse non potuit foederata civitas. Hanc difficultatem ita amovebat Manut., ut Velleium errasse contenderet, Schroeter. hoc etiam argumento demonstrare volebat hanc orationem declamatoris alicuius esse, non Ciceronis. Mihi Cicero causae serviens Tarentinos addidisse videtur: nam quod Orell. dicit, cogitandum esse de Tarentinis veteribus, diversis a novis, id est colonis Tarentum deductis, non minus inepte Cicero ita locutus esset, quam si quis eum, qui post annum 1816 natus esset Vitebergae, etiam nunc Saxonem diceret.

Romam venit, Mario consule et Catulo. Nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter quum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli, quum praetextatus etiam tum Archias esset, eum in domum suam receperunt. Sed enim hoc non solum ingenii ac litterarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus, quae

---

Mario consule et Catulo i. e. anno u. 652. Recte autem Manutius, Postulare mos videbatur, inquit, Mario et Catulo coss., sed in Bruto quoque ita loquitur [96, 328]. *Hle a Crasso consule et Scaevola usque ad Paullum et Marcellum fuit.*

alter Marius, victorias de Iugurtha et de Teutonibus ac Cimbris reportatas. *alter* Catulus *quum res gestas*, victoriam Cimbricam (Tusc. V, 19, 56.) *tum etiam studium et aures adhibere posset* non tam, quod alienos lusus libenter audiret, ut explicat Passerat., quam quod, ut ait Manut., quae audiret, iudicare etiam vel sentire pulchritudinem carminum posset; nos dicimus *gustum. Studium* Catuli non tam in versibus scribendis positum fuisse videtur, (quamquam et historiam scripsit Cic. Brut. 35. et carmina) quam in voluptate, quam e carminibus vel legendis vel audiendis capiebat, et in eo, quod semper *aliquid percipere atque audire studebat*, ut loquitur cap. extr. §. 6. Fuit enim, ut Cicero iudicat Brut. 35, 132 *non antiquo illo more, sed hoc nostro eruditus* cet. et, ut ait idem de offic. I, 37, 133. *Catuli exquisito iudicio utebantur litterarum. Adhibere* ad proximum vocabulum, *aures* accommodatum est — Zeugma vocant — quum *res gestas* postulet verbum *suppeditare.*

praetextatus. More Romano loquitur pro quum ea esset aetate, qua nostri praetextati, id est annorum fere XVI. Sed quomodo etiam tum, anno 652 *praetextatus*, id est puer minor XVI annis, esse potuit, qui iam ex pueris excesserat, quum Antiochiae versabatur? Equidem credo Ciceronem, ardore dicendi abreptum vel ipsum oblitum esse eius, quod paulo ante dixerat, vel auditores hanc repugnantiam non animadversuros putasse: multa enim eorum, qui audiunt, aures facile praetervehuntur, quae oculi legentium nullo negotio repetunt. Quod si orationem postquam habita erat, eadem, qua ceteras, cura limasset, hunc errorem ipse emendasset.

Sed enim i. e. *Sed* hoc non satis est, quod Luc. eum receperunt: hoc *enim* non solum ing. etc. Vid. Handii Turscll. p. 444 sq.

ut domus pro *quod domus.* Sed quod proprie ad explican-

huius adoleſcentiae prima fuerit, eadem eſſet familiariſſima
6 ſenectuti. Erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico et eius Pio filio; audiebatur a M. Aemilio, vivebat cum Q. Catulo et patre et filio, a L. Craſſo colebatur; Lucullos vero et Druſum et Octavios et Catonem et totam Hortenſiorum domum devinctam conſuetudine quum teneret, afficiebatur ſummo honore, quod eum non ſolum colebant, qui aliquid percipere atque audire ſtudebant, verum etiam, ſi qui forte ſimulabant.
IV Interim ſatis longo intervallo, quum eſſet cum L. Lucullo in Siciliam profectus et quum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam; quae quum eſſet civitas aequiſſimo iure ac foedere, adſcribi ſe in eam civitatem voluit, idque, quum ipſe per ſe dignus

---

dum pron. *hoc* adiici oportebat, id ita affertur, ut effectum eſſe moribus Archiae ſignificetur; qua ratione hic uſus *ut* pro *quod* ſcribendi plerumque explicari poteſt.

ſenectuti. Si cauſa acta eſt a. u. 692. Archias tunc ſexageſimum agebat annum ſec. Schütz. Summ.

§. 6. *ſi qui forte ſimulabant.* Valde urbanum hoc eſt, neque minus verum uſuque temporum comprobatum. Nam qui principes in civitatibus florent, gloriae fere undecunque parandae cupidi, doctrinae quoque laudem et famam affectant, praeſertim quum adulatores non deſint. *Weiſk.* De viris, qui hic commemorantur, vid. Summ.

c. IV. *Siciliam* L. Lucullo provinciam obtigiſſe dici, non privati negotii cauſa eo profectum eſſe ex iis, quae ſequuntur, apparet, *quum ex ea provincia decederet.* Neque tamen huius rei ullum in hiſtoria veſtigium exſtat; (vid. Cic. Acad. IV, 1.) non magis quam Ciliciae ab eo adminiſtratae. Accurate haec perſecutus eſt Schroeterus. Itaque hic auctorem orationis, fraudis tam manifeſtae convictum, ex hoc loco impudentiſſimum impoſtorem agnoſcere omnes iubet. Equidem notarii, qui orationem excepit, oſcitantiam et levitatem in h. l. deprehendere mihi videor, quam prodit etiam abſurda orationis conformatio, notata ab eodem Schroetero, *quum eſſet cum L. Lucullo in Siciliam profectus, et quum ex ea provincia cum eodem Luc. decederet, venit Heracleam*, quaſi primarium quid eſſet quod in Siciliam profectus erat cum Lucullo, ac non pro ſecundario ponendum eſſet ſic: quum ex provincia Sicilia cum L. Luc., quem eo comitatus erat, decederet.

aequiſſ. iure ac foed. pro Balb. 22 in. *Heracleenſem legionem* (nonne civitate donavit) *P. Craſſus vir ampliſſimus, ex ea civitate, quacum prope ſingulare foedus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio coſ. ictum putatur.*

putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracleenſibus impetravit. Data eſt civitas Silvani lege et 7
Carbonis, SI QVI FOEDERATIS CIVITATIBVS ADSCRIPTI FVISSENT; SI TVM, QVVM LEX FEREBATVR, IN ITALIA DOMICILIVM HABVISSENT; et, SI SEXAGINTA DIEBVS APVD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Quum hic domicilium Romae multos iam annos haberet, profeſſus eſt apud praetorem Q. Metellum, familiariſſimum ſuum.

Si nihil aliud, niſi de civitate ac lege dicimus, nihil 8
dico amplius; cauſa dicta eſt. Quid enim horum infirmari, Grati, poteſt? Heracleaene eſſe tum adſcriptum negabis? Adeſt vir ſumma auctoritate et religione et fide M. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiviſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Adſunt Heracleenſes legati, nobiliſſimi homines; huius iudicii cauſa cum mandatis et cum publico teſtimonio venerunt, qui hunc adſcriptum Heracleenſem dicunt.

---

auctoritate. Auctoritas eſt hominum honoratorum et potentium, quatenus veremur ipſos laedere, iis negare aliquid. Verr. Act. I, 10 *auctoritate* deterrere dicitur conſul deſignatus. Cf. ad Sext. §. 67. Ernſt. clav. Cic. f. v. n. 28.

§. 7. *Silvani* (M. Plautii *Silv.*) *et* (C. Papirii) *Carbonis* (unde lex Plautia Papiria dicta eſt) a. u. 664 lata Cn. Pompeio, L. Catone coſſ. Sed ea lex a nullo praeterea ſcriptore antiquo commemoratur, nec a Cicerone quidem in or. pro Balbo. Itaque hoc etiam indicio falſarium deprehendiſſe ſibi viſus eſt Schroeter. *Data eſt civ.* non Archiae, ſed foederatis in Italia civitatibus. Cf. §. 10. *Weiſk*, qui recte praeterea verba nimis abrupta notat.

apud praetorem Q. Metellum Pium, quem anno 664 praetorem fuiſſe, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone coſſ. Ferratius oſtendit apud Garaton.

§. 8. *de civitate ac lege* i. e. *de* lege (Plautia Papiria) *qua* civitas *data eſt foederatis populis.* Vid. ad Sull. §. 2. 66.

adſcriptum Heracleenſem. Inſolens locutio pro adſcriptum in civitatem (— te) Heracl. vel adſcriptum Heracleae. Nam etiam, ſi ſic ſcriptum eſſet, eum non natum eſſe Heracl., ſed factum, ut expl. Heum., quivis intelligeret. Comparari tamen poſſunt *adſcripticii cives* de nat. d. III, 16. 39.

Hic tu tabulas defideras Heracleenfium publicas, quas Italico bello, incenfo tabulario, interiffe fcimus omnes. Eft ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere, quaerere, quae habere non poffumus, et de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare, et, quum habeas ampliffimi viri religionem, integerrimi municipii iusiurandum fidemque, ea, quae depravari nullo modo poffunt, repudiare, tabulas, quas idem dicis folere corrumpi, defiderare. At domicilium non habuit in Italia
9 is, qui tot annis ante civitatem datam fedem omnium rerum ac fortunarum fuarum Romae collocavit. At non eft profeffus. Immo vero iis tabulis profeffus, quae folae ex illa profeffione collegioque praetorum obtinent publi-
v carum tabularum auctoritatem. Nam quum Appii tabulae negligentius affervatae dicerentur, Gabinii, quamdiu in-

---

Hic tu. Non abeft indignatio quaedam; quale illud in epift. ad Luccei. (epp. famil. V, 15. = 159, 6.) *Hic tu ea me abeffe urbe miraris, in qua domus nihil delectare poffit, fummum fit odium temporum, hominum, fori, curiae?* Et ad Trebatium (epp. fam. VII, 13.) *Hic tu me etiam infimulas, nec fatisfactionem meam accipis. Manut.*

de hominum memoria, quae homines facta meminerunt et teftantur. *litterarum mem.* mem. rei litteris proditam. Iniuria hanc eiusdem vocabuli repetitionem vituperat Schroeter. Sic enim folet Cicero, ubi duo adiuncta inter fe opponit ex eodem vocabulo pendentia, ut epp. fam. XI, 16. Hoc quum pop. R. meminerit, *me ipfum non* meminiffe *turpiffimum* eft XIV, 2 *ego tum denique mihi videbor* reftitutus, *fi area nobis erit* reftituta. divin. in Caec. II, 34. *concedas oportet iis, qui nullo fuo* peccato *impediuntur, quominus alterius* peccata *demonftrare poffint.* Vid. libellum *Theorie des lat. Stils* inferiptum p. 33. et ad Milon. §. 31.

§. 9. *At domicilium — collocavit?* Refponfio f. refutatio cum eo, quod adverfarius opponit, in unam fententiam confufa eft pro At domic. in Italia non habuit. Imo vero tot annis. Vid. ad Rofc. §. 105. et ad Sull. §. 90. Similiter pro Muren. 41, 88. de divin. II, 49, 102. *neque ignorant ea, quae ab ipfis conftituta et defignata funt* pro neque ign. futura; haec enim etc. Leve vero effe, quod obiiciatur, ipfa interrogatio indicat.

c. V. *Appii* Claudii Pulchri, praetoris a. 664., quo anno lex Plautia Papiria lata eft, collegae Q. Metelli Pii, P. Clodii patris. Vid. Erneft. ind. hift. v. *App. Claudius. P. Gabinius*, item Q. Metelli collega, poft adminiftratam Achaiam a Pifone de repetundis accufatus — vid. div. in Q. Caecil. 20, 64. — et, ut ex h. l. intelligitur, damnatus eft.

columis fuit, levitas, poft damnationem calamitas omnem tabularum fidem refignaffet, Metellus, homo fanctiffimus modeftiffimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem et ad iudices venerit et unius nominis litura fe commotum effe dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis. Quae quum 10
ita fint, quid eft, quod de eius civitate dubitetis, praefertim quum aliis quoque in civitatibus fuerit adfcriptus? Etenim quum mediocribus multis et aut nulla aut humili

---

refignaffet, pro fuftuliffet, dictum, quia tabulae obfignabantur annulo praetoris. Damnati autem et eiecti pro improbis haberi folent, ideoque eorum, quae antea fecerunt, fides infirmari. Weifkii explicationem, a more Romano plane abhorrentem, recte explofit Schroeter.

modeftiffimus, legum diligentiffimus obfervator. vid. clav. in h. v. *Ern.*

venerit — dixerit non eft pro *veniret — diceret.* Nam hoc rem continuatam vel repetitam fignificaret, perfectum femel peractam. Vid. ad Milon. §. 86. *Lentulus* autem praetor fuit A. U. 692.

fe commotum effe ad fufpicandum mendum.

in nomen, ita ut nomen cera obductum fit. Similia funt *in amicitiam ditionemque effe, in poteftatem effe*, alia, quae congeffe-runt ii, quos Ruddimann. citat Inftit. gramm. II. p. 325 fq. not. Cf. Erneft. clav. Cic. v. *In.* Eft ex antiquo ufu dicendi in certis formulis fervato. Graecam confuetudinem vocat Moebius. At vid. Gramm. gr. §. 578. p. 1143 not.

§. 10. *de eius civitate.* Inde a cap. IV de eo tantum locutus eft, quod Arch. Heracleae civis adfcriptus fuit, in quo cardo rei vertitur. Hoc vero magis etiam confirmatur eo, quod in aliis etiam civitatibus adfcriptus fuit.

mediocribus multis explicatur adiectis illis, *aut nulla aut humili aliqua arte praeditis*, ut pro Balb. 6, 14 *mediocres homines* verbis *nullo ufu, nullo ftudio militari praediti.* de orat. I, 21, 94 *mediocres homines* funt nulla fcientia prae ceteris infignes. H. l. intelligi *fcenicos artifices*, ex fqq. patet.; in quibus tamen remunerandis noftra aetas vel Graeculorum levitatem fuperare videtur.

aliqua arte praeditis gratuito civitatem in Graecia homines impertiebantur, Rheginos credo aut Locrenſes aut Neapolitanos aut Tarentinos, quod ſcenicis artificibus largiri ſolebant, id huic ſumma ingenii praedito gloria noluiſſe. Quid? quum ceteri non modo poſt civitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo

---

gratuito, ita ut nullus inde fructus neque ad ſe neque ad remp. redundaret. de nat. d. I, 44, 122. *Prata et arva et pecudum greges diliguntur iſto modo, quod fructus ex iis capiuntur; hominum caritas et amicitia gratuita eſt.* Et quia fructus, qui e re percipitur, quaſi merces est ac praemium, plerumque *gratuitus* eſt *nullis praemiis evocatus*, ut interpretatur Cicero de Fin. II, 31, 99.

in Graecia magna, ut recte Manut. et Ern. Alioqui non procederet argumentationis ratio: nam quum mediocribus multis in Graecia, quae proprie dicitur, homines impertirentur, veriſimile non eſt, magnae Graeciae incolas, ut Rheginos etc. Archiae noluiſſe? *In Graecia* autem iungendum cum *impertiebantur*, non *in Graecia homines*, ut poſt Heum. Schroeter, qui hinc quoque calumniandi anſam arripuit.

Rheginos credo — noluiſſe. Aliud exemplum ironicae huius ormulae cum accuſat. et infinit. iunctae recte Moebius affert e Roſc. §. 59.

poſt civitatem datam, ſociis et Latinis, (ut plenius loquitur epp. fam. XIII, 30. *Erat adſcriptus in id municipium ante civitatem ſociis et Latinis datam*, quod monuit Heum.) duabus legibus, Iulia et Plautia Papiria. Leges enim de civitate biennio duae latae ſunt, una conſularis, altera tribunicia, conſularis L. Julii Caeſaris (a. u. 663) anno primo Italici belli, ut ſociis, qui in fide manſiſſent aut arma depoſuiſſent, civitas daretur, nulla peregrinorum mentione facta; tribunicia M. Plautii Silvani, C. Papirii Carbonis, anno altero eiusdem belli (vid. ad §. 7.) non ut Italis daretur ſolis, verum ut peregrinis etiam, qui modo foederatis civitatibus adſcripti fuiſſent, et tum, quum lex ferretur, domicilium Romae haberent, et apud praetorem ſexaginta diebus profeſſi eſſent. *Manut.*

poſt legem Papiam. Lata eſt a. u. 688. Cotta et Torquato Coſſ. ut peregrini urbe pellerentur et ſocii nominis Latini in ſuas civitates redigerentur. Auctor Cicero ipſe pro Corn. Balbo c. 23. III, de offic. c. 11. ad Att. IV, 14. *Paſſerat.* Cf. Ern. ind. leg.

in eorum municipiorum tabulas irrepſerint, hic, qui ne utitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quod ſemper ſe Heracleenſem eſſe voluit, reiicietur? Cenſus noſtros requiris ſcilicet. Eſt enim obſcurum, proximis cenſoribus hunc cum clariſſimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuiſſe, ſuperioribus cum eodem quaeſtore fuiſſe in Aſia, primis, Iulio et Craſſo, nullam populi partem eſſe cenſam. Sed, quoniam cenſus non ius civitatis confirmat, ac tantum modo indicat, eum, qui ſit cenſus, ita ſe iam tum geſſiſſe pro cive, iis temporibus, quae tu criminaris, 11

---

in eorum municipiorum tabb. Nam quum Rhegium, Locri, Neapolis etc. ante modo foederatae civitates fuiſſent, lege L. Caeſaris municipia facta erant; adde huc Cicer. ad Div. XIII, 30. *Erneſt.*

quod ſemper ſe Heracl. eſſe voluit. Sic de off. I, 31, 113. *in omni ſermone omnibus affabilem et iucundum ſe eſſe volebat.* cap. 19, 65. *principem ſe eſſe mavult*, quum paulo ante §. 64. dixiſſet ita: *princeps omnium eſſe vult*, II, 7, 24. *qui ſe metui volent.* III, 4, 17. *qui bonos ſe viros haberi volunt*, ibid. 17, 71. *malitia vult videri ſe eſſe prudentiam* (id eſt vult ſe videri) II, 18, 62. *qui ſe adiuvari volent.* Idem de ſenect. 20, 73. *vult ſe eſſe carum ſuis*; et Paradox. I, 4. *Ipſi iudicent, utrum ſe horum, an Fabricii, ſimiles eſſe malint. Heumann.* Vid. Krüger *Unterſuch.* III. p. 334 ſq.

§. 11. *eſt enim obſcurum. Enim* ironiae inſervit, ut Phil. VII, 1, 21. *An equites Romanos amplectetur? occulta enim fuit eorum voluntas iudiciumque de M. Antonio.* Cf. pro Deiot. 12, 33 et 34. Ironia in eo poſita eſt, quod cauſa affertur rei, quam falſam vel abſurdam eſſe omnes ſciunt.

proximis cenſoribus, Cn. Lentulo Clodiano et L. Gellio a. u. 684. M. Licinio Craſſo, Gn. Pompeio Magno coſſ. *ſuperioribus*, L. Marcio Philippo, et M. Perperna a. u. 667. *primis* poſt impetratam ab Archia civitatem et eius profeſſionem cap. IV, §. 7. Cenſores autem tunc fuerunt L. Iul. Caeſar, et P. Licinius Craſſus anno 664. Gn. Pompeio, L. Porcio Catone Coſſ. *Apud exercitum eſſe* dicuntur, ut recte Manut., qui non ſunt milites, ſed quacunque de cauſa belli ducem ſequuntur, ut *in praefidiis eſſe* pro Lig. §. 28. de qua formula Duker. ad Liv. 38, 11. citat Erneſt. in cl.

ac tantumm. ind. vid. ad §. 2.

quae tu criminaris, per attractionem dictum eſt pro quibus eum ne ipſius quidem iudicio in civium Rom. iure eſſe ver-

ne ipſius quidem iudicio eum in civium Romanorum iure eſſe verſatum, et teſtamentum ſaepe fecit noſtris legibus et adiit hereditates civium Romanorum et in beneficiis ad aerarium delatus eſt a L. Lucullo praetore et conſule. Quaere argumenta, ſiqua potes: numquam enim hic neque ſuo neque amicorum iudicio revincetur.

VI 12 Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc homine delectemur. Quia ſuppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur et aures convicio defeſſae conquieſcant. An tu exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his ſtudiis eſſe deditum. Ceteros

---

ſatum, tu criminaris i. e. criminis in Archiam conferendi cauſa dicis. Nam praemiſſis verbis *tu criminaris* ad hoc retulit, quod cum verbis *eum eſſe verſatum* coniungi oportuerat. Miror Orellium ad Moebium provocantem, cuius annotatione non tollitur difficultas, quae in accuſ. *quae*, pendente a verbo *criminaris*, ineſſe videbatur Graevio et Garatonio. De *criminaris*, omiſſo voc. *dicens*, vid. ad Sext. §. 53.

In beneficiis deferri dicebantur, qui a provinciali magiſtratu commendabantur et laudabantur, non ut emolumentum aliquod conſequerentur, ſed honoris et commendationis cauſa, quo vel maiora ornamenta a rep. conſequerentur, vel pericula, ſi quae exſtitiſſent, ſublevarentur, ut oſtendit I. Fr. Gronov. de pec. vet. III, 17. Similis cauſa eſt Balbi in orat. c. 28, 63. quo ex loco Geſner. in theſ. p. 636. n. 3. intelligi putat, nihil aliud hac formula ſignificari, niſi indicari tabulis in aerario reponendis una cum rationibus, quo quemque comitum ſuorum militumque adeo honore et gradu in provincia habuerit, atque eſſe proinde in poſterum velit. Cf. epp. fam. V, 20. ad Att. V, 7. Heuſing. ad Cic. de offic. p. 516. *m.* Recto Moebius comparat τοὺς εὐεργέτας τοῦ βασιλέως apud Herod. VIII, 85. εὐεργεσίαν Syracuſanorum ap. Xenoph. h. gr. I, 1, 26. Cf. Schneid. Ind. Wolf. ad Demoſth. Lept. p. 282.

c. VI. §. 12. *convicio.* Quint. I, 8, 11. *Praecipue apud Ciceronem — vidimus Ennii — et aliorum inſeri verſus, ſumma non eruditionis modo gratia, ſed etiam iucunditatis, quum poeticis vo-*

pudeat, ſiqui ita ſe litteris abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum neque in adſpectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut ab nullius umquam me tempore aut commodo aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure 13
ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumpſero? Atque hoc ideo mihi concedendum eſt magis, quod ex

---

luptatibus aures a forenſi aſperitate reſpirent.

ſe litteris abdiderunt. epp. famil. VII, 33. *me totum in litteras abdere, tecumque et cum ceteris earum ſtudioſis honeſtiſſimo otio perfrui;* quae uſitatior eſt iunctura. Geſner. in theſ. *litteris* pro dativo habet, ut apud Vellei. II, 91, 4. poëtis hoc ſolenne eſſe dicens; mihi ablativus eſſe videtur pro *in litteris*, ut de invent. I, 2, 2. *in tectis ſilveſtribus abditos.*

retardarit dubito an iungi poſſit cum *a tempore*, quia *retardare ad al.* i. e. ſegniorem reddere ad tempus obeundum, potius videtur dicendum eſſe. Poteſt tamen ad τὸ σημαινόμενον relatum eſſe: nam in *retardandi* verbo ineſt notio abducendi. Sed quod de Graecis monet Porſon. ad Eurip. Med. 734, idem non raro apud Ciceronem reperitur, ut, quum verba duo, diverſos caſus regentia, ad idem nomen aeque referantur, ne nomen aut pronomen minus ſuaviter repetatur, in utrovis regimine ſemel ponatur, altero omiſſo. Ibi Schaefer: Idem in latinam linguam valere, monui ad Plinii Panegyr. c. 86. p. 712. Vid. ad Catil. II. §. 19.

§. 13. *quantum ceteris.* Victorio Var. lect. XII, 18 haec e Platonis Phaedro p. 276 D. ſumpta exiſtimanti, ne fraudi fuerit eruditio, veretur Heindorf. ad l. §. 139. Certe haec nec praeeunte altero, facile per ſe ipſe quisque invenire potuit. Similis etiam locus eſt Quint. I, 12, 18. *Qui vero imaginem ipſam eloquentiae divina quadam mente conceperit — facile perſuadebit ſibi, ut tempora, quae ſpectaculis, campo, teſſeris, otioſis denique ſermonibus, ne dicam ſomno et conviviorum mora conterunt, geometrae potius ac mufico impendat*, qui locus ſi e noſtro

his ſtudiis haec quoque cenſetur oratio et facultas, quae, quantacumque in me eſt, numquam amicorum periculis defuit. Quae ſi cui levior videtur, illa quidem certe,
14 quae ſumma ſunt, ex quo fonte hauriam, ſentio. Nam, niſi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem atque honeſtatem, in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exſilii parvi eſſe ducenda, numquam me pro ſalute veſtra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obieciſſem. Sed pleni omnes ſunt libri, plenae ſapientium voces, ple-

---

ductus eſt, firmat etiam pluralem *temporum*.

cenſetur, aeſtimatur, ut Paradox. VI, 2. *Si cenſenda nobis atque aeſtimanda res ſit, utrum pluris aeſtimabimus pecuniam Pyrrhi, an continentiam Fabricii?* Nam quae oratio multas notas habet ſtudiorum humanitatis, ea pluris aeſtimatur, quam quae nullas habet vel paucas. Alteram lectionem *creſcit* recte Schroeter aliquam hominis, illud ſatis recte dictum minus intelligentis, emendationem putat. *Cenſetur* probant etiam Geſner. in theſ. p. 837. et Garaton. *creſcit* dedit Orell.

oratio et facultas i. e. orationis facultas, ut infra c. XII. *iudicium et poſteritatem*. orat. 55, 183 *natura atque ſenſu*, i. e. ſenſu naturali; quam formam miror Schroetero apud optimorum auctorum neminem occurriſſe. Cf. ad Sull. §. 2. 66.

quantacumque i. e. quantulacumque. Cic. de orat. I, 30, 135. *de hac mea, quantulacumque eſt, facultate quaeritis*. ibid. II, 28, 122. *ego is, qui ſum, quantuscumque ſum*.

quae ſumma ſunt, recte vivendi praecepta, quae philoſophia continentur.

§. 14. *litteris*, libris poëtarum, hiſtoricorum, philoſophorum, oratorum. de fin. I, 4, 12. *omnem quaeſtionem de finibus bonorum et malorum fere a nobis explicatam eſſe his litteris arbitramur*. Cf. Brut. 56, 205. orat. 43, 148. *Litterae* autem opponuntur *praeceptis*, quia haec auditione percipiuntur, illae lectione continentur. Praeceptis paulo poſt reſpondent *ſapientium voces*.

niſi laudem, recte agendi rationem, ea ex quibus vera gloria naſci poſſet, ut loquitur epp. fam. XV, 4 (61, 24.) Contra Graeci nomina virtutum et vitiorum ipſa ponunt pro laude vel infamia, quae iis paritur, ut ἀρετὴν κτήσασθαι, *laudem virtutis comparare*.

pleni omnes ſunt libri, praeceptorum ſap., quae modo commemorata ſunt. *Exemplorum* non eorum, quae ad illuſtrandas res valent, ſed quae vita et factis, tanquam effigie aliqua, exprimimus. Vid. Erneſt. cl. Cic. Ruhnken. ad Rutil. L. II, 7. p. 108 ſq.

na exemplorum vetuſtas; quae iacerent in tenebris omnia, niſi litterarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortiſſimorum virorum expreſſas ſcriptores et Graeci et Latini reliquerunt? quas ego mihi ſemper in adminiſtranda republica proponens, animum et mentem ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam.

Quaeret quispiam: quid? illi ipſi ſummi viri, quo- VII
rum virtutes litteris proditae ſunt, iſtane doctrina, quam 15
tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare; ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, et ſine doctrina, naturae ipſius habitu prope divino, per ſeipſos et moderatos et graves exſtitiſſe fateor. Etiam illud adiungo, ſaepius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum ac

---

expreſſas. Vid. ad Sull. §. 52.

c. VII. §. 15. *Ego multos homines*. Simile argumentum tractat Iſocrat. *π. ἀντιδόσ.* §. 203 ſq. ed. Bekk.

Atque idem ego. *Idem* non tantum eſt pro *etiam*, ſed etiam opponendis iis inſervit, quae contraria inter ſe eſſe videntur. ad Att. I, 11 (epp. 2, 4.) *Ac, ne illud mirere, cur, quum ego antea ſignificarim tibi per litteras, me ſperare illum in noſtra poteſtate fore, nunc* idem *videar diſſidere*. de offic. I, 24, 84. *Inventi multi ſunt, qui non modo pecuniam, ſed vitam etiam profundere pro patria parati eſſent, iidem gloriae iacturam ne minimum quidem facere vellent*. Phil. II, 10, 24 quum ſuaſiſſe ſe Pompeio dixiſſet Cic., ne quinquennii imperium Caeſari prorogaretur, et ne pateretur fieri, ut abſentis eius ratio haberetur, illa ſubiicit: *Atque idem ego — pacis auctor eſſe non deſtiti*. Cf. de nat. d. I, 43, 121. Cat. m. 2, 4. Non neceſſaria igitur coniectura Ilgenii *Atqui* ſcribi iubentis.

Conformatio doctrinae, conformatio naturae ſ. ingenii, quae doctrina efficitur. Sic *ſermonis delectatio* Cat. m. 14. in. *voluptates epularum* ibid. §. 50.

16 ſingulare ſolere exiſtere. Ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, divinum hominem Africanum; ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatiſſimos homines et continentiſſimos; ex hoc fortiſſimum virum et illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem illum ſenem; qui profecto ſi nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuvarentur, numquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. Quod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, et ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animadverſionem humaniſſimam ac liberaliſſimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum ſunt neque aetatum omnium neque locorum: haec ſtudia adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, dele-

---

quas ſermo vel epulae afferunt. Cf. ad Manil. §. 43. Catil. 1. §. 4. Sull. §. 63. Sext. §. 6. 10. Monuerunt iam Ern. et Garat. ad Verr. I. c. 18. Cum ſeqq. Heumann. comparat ſententiam Zenonis Stoici apud Diogen. L. VII, 8. *φύσις εὐγενὴς μετρίαν ἄσκησιν προσλαβοῦσα, ἔτι τε τὸν ἀφθόνως διδάξοντα, ῥᾳδίως ἔρχεται πρὸς τὴν τελείαν ἀνάληψιν τῆς ἀρετῆς.*

§. 16. *ſi nihil — adiuvarentur.* Nos diceremus: *ſi nihil adiuti eſſent.* ſed vid. ad Sull. §. 54. Sext, c. IX.

et ſi ex his ſtud. pro ſed ſi. Vid. ad §. 2. Sequens *tamen* indicat cogitari etiam Etſi non hic tantus fr,

hanc animadverſionem nove dictum pro ſtudio, imo ne ſatis accommodate quidem: nam *animadvertere* ſ. *animum advertere al.* multo minus eſt, quam ſtudere rei, operam in ea collocare. Nec quidquam proficimus lectione pauciorum librorum *animi adverſionem.*

iudicaretis i. e. iudicare deberetis. Vid. Duker. ad Liv. XLV, 37, 4. et noſtra ad Sext. §. 43. 45. 54. Quod cur Wolf. ad or. pro dom. §. 132. per ſe non ſatis latine dictum eſſe iudicet, equidem non aſſequor.

agunt, ſubigunt, acuunt. Ne hoc quidem verbum alibi apud Ciceronem, nec apud ullum alium bonum Latinitatis auctorem hac ſignificatione legitur, ideoque certatim correxerunt. VV. DD. *alunt.* At quis credat, vocem tam pervulgatam, in qua ne noſtrorum quidem tironum quisquam haereat, cuiusque vix operae pretium erat alia exempla e Cicerone excitare, a librario mutatam eſſe in difficillimam, cuiusque nullum alibi exemplum exſtet, *agunt?* Utrumvis eligas, neque *alere adoleſcentiam* pro animos adoleſcentium, neque *agere* eamdem recte dici poſſe videtur. *Agitari animos atque acui ingenia* dixit Quintil. I, 10, 34. *memoriam agitare* i. e. exercere ib. 8, 14.

ctant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.

Quod ſi ipſi haec neque attingere neque ſenſu noſtro VIII
guſtare poſſemus, tamen ea mirari deberemus, etiam 17
quum in aliis videremus. Quis noſtrum tam animo agreſti ac duro fuit, ut Roſcii morte nuper non commoveretur? qui quum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venuſtatem videbatur omnino mori non debuiſſe. Ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus, nos animorum incredibiles motus ce-

---

non impediunt foris. Frigida laus pro adiuvant. Quanto gravius Cic. or. 43 extr. *quae quidém me antea in iudicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi.* Nec ſequentia, *pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur* magnam aliquam laudem continent; nam haec aliis etiam ſtudiis, et facinoroſis adeo ac flagitioſis machinationibus communia ſunt. De reliquis Heumann. citat epp. famil. V, 13. *Iis ſecundae res ornantur, adverſae adiuvantur.* Quintil. V. prooem. 14. *credendum eſt doctiſſimis hominibus, qui unicum adverſorum ſolatium litteras putaverunt.* Plin. epiſt. VIII, 19. *Et gaudium mihi et ſolatium in litteris, nihilque tam laetum, quod his laetius, nihil tam triſte, quod non per has ſit minus triſte.* Netſcherus apud Wyttenbach. Philomath. 1 p. 199 ſq. comparat dictum Ariſtotelis apud Diog. L. V, 19. *τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν.*

c. VIII. §. 17. *attingere*, diſcere, *ſenſu noſtro* guſtare, ſentire praeſtantiam eorum.

Roſcii laudem petere licet ex oratione ipſi (Q. Roſcio comoedo) dicta, ſed maxime ex orat. pro Quintio c. 25. Adde de orat. I, 28. de nat. d. I, 28. *Weisk.*

Ergo ille. Argumentatio a minore ad maius, aliter conformata, quam plerumque fit, pro *An ille.* Sic de off. I, 31, 114. *Ergo hiſtrio hoc videbit in ſcena, non videbit vir ſapiens in vita?* orat. 51, 171. *Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere Verſibu' — — mihi de antiquis eodem modo non licebit?* Cf. c. IX. in. X. in.

a nobis omnibus, etiam iis, qui nulla doctrina exculti eſſent, neque has artes attigiſſent, *nos*, homines humanitate politi. Sed melius eſſet *ab omnibus.*

animorum incredibiles motus. de orat. I, 25, 113. *animi atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent.* de nat. d. III, 27, 69. *motum iſtum celerem cogitationis.* Cf. ad Sext. §. 143.

18 leritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar enim veſtra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, quum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum de his ipſis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque ſententiis? Quae vero accurate cogitateque ſcripſiſſet, ea ſic vidi probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem pervenirent. Hunc non ego diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui ſic a ſummis hominibus eruditiſſimisque accepimus, ceterarum rerum ſtudia et doctrina et praeceptis et arte conſtare, poëtam natura ipſa valere et mentis viribus excitari et quaſi divino quodam ſpiritu inflari. Quare ſuo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poëtas, quod quaſi deorum aliquo dono atque munere commendati no-
19 bis eſſe videantur. Sit igitur; iudices, ſanctum apud vos, humaniſſimos homines, hoc poëtae nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa et ſolitudines

---

§. 18. *ſuo iure* facere aliquid dicuntur, qui libere, pro arbitrio, nemine impediente, impune faciunt. Erneſt. in clav. Nos dicimus *mit vollem Rechte*.

dono atque munere. *Donum* a voluntate potius, quam ab officio, proficiſci, *munus* cum aliquo officio coniunctum eſſe videtur, ut omitti *donum* ſine ulla reprehenſione poſſit, *munus* omnino non poſſit. *Manut.* Munera natalitia, nuptalitia commemorat Ulpian. de verb. ſign. l. 194.

§. 19. *Saxa et ſolitudines*. Quinquies hoc loco utitur Quintil. V, 11, 25. VIII, 3, 75. IX, 4, 44. ibid. 1, 34. et 3, 84 ut mirifice ei haec comparatio placuiſſe videatur. Non iniuria tamen Schroetero haec minus probanda videntur. Quid enim? inquit, poetaene voci ſoli reſpondetur, ac non cuilibet? Quid ſi cum poëta Archia aut cum declamatore iſto inter ſaxa et ſolitudines conſtitutus forte aſinus fuiſſet, putamusne illa ſaxa et ſolitudines ad vocem ſolum poetae aut declamatoris, non ad aſini vocem item reſponſuras fuiſſe? etc. Comparat deinde *veri* Ciceronis locum Verr. V, 67. in. *Si haec non ad cives Romanos, non ad aliquos amicos noſtrae civitatis, non ad eos, qui populi Romani nomen audiſſent, denique, ſi non ad homines, verum ad beſtias, aut etiam, ut longius progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa et*

voci reſpondent; beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt; nos inſtituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero ſuum eſſe confirmant; itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt; permulti alii praeterea pugnant inter ſe atque contendunt.

Ergo illi alienum, quia poëta fuit, poſt mortem IX etiam expetunt, nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noſter eſt, repudiabimus? praeſertim quum omne olim ſtudium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam. Nam et Cimbricas res adoleſcens attigit, et ipſi illi C. Mario, qui durior ad haec ſtudia videbatur, iucundus

---

ad ſcopulos haec conqueri et deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tanta et tam indigna rerum atrocitate commoverentur. Quintil. IX, 4, 45 de hoc loco, *Magis id*, inquit, *inſurgebat, ſi verteretur: nam plus eſt ſaxa, quam beſtias commoveri; vicit tamen compoſitionis decor.* Qui decor in eo poſitus eſt, quod, quum prius quaſi membratim dixiſſet, *deinde omnia, tanquam crepidine quadam, comprehenſione longiore ſuſtinentur.* ut ait Cicero orat. 67, 224. Quae ſequuntur, *beſtiae ſaepe immanes*, ad ſerpentes referri monuit Victor. V. L. XIII, 16. quos incantationibus a curſu revocari cogique manere credebant antiqui; cervos etiam equosque dici paſtoritiis fiſtulis demulceri; quam explicationem ob vocabulum *ſaepe* ita probat Muret. V. L. XII, 15. ut idem de urſis, addo de lupis, narrari dicat.

Homerum Colophonii. Recte Schroeter. inanem ſtrepitum verborum notat: *eſſe dicunt ſuum, ſuum vindicant, repetunt, ſuum eſſe confirmant.* Cf. quae ipſe de hoc loco monui *Theorie des lat. Stils* p. 31 ſq. De delubro Homeri Smyrnae dedicato Strabo XIV. p. (646) 956. B. Almel. *ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου καὶ ξόανον.*

c. IX. *praeſertim quum* — brevius dictum pro *Minime vero (repudiabimus) praeſ. quum.* — Cf. pro Sext. 21, 48. ad Milon. §. 81. *Repudiabimus* autem recte Erneſt. non *repudiamus*. ut Garat. Vid. c. X. in. *Repudiamus* quomodo *ἐμφατικώτερον* videri poſſit, non aſſequor.

qui durior ad haec ſt. videb., ea ſenſu ſuo minus guſtare poterat. Heumann. hanc in rem attulit locum e Marii oratione ap. Salluſt. Iug. 85. *Neque Graecas litteras didici. Parum placebat eas diſcere, quippe quae*

20 fuit. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, quum ex eo quaereretur, *quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret; eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio
21 putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Mithridaticum vero bellum magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum totum ab hoc expressum est; qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis quondam opibus et ipsa natura regionis vallatum; populi Romani exercitus, eodem duce

ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.

§. 20. *aversus a Musis*, uno vocabulo Graeco ἄμουσος.

eius a quo sua virtus. Idem narrat Valer. Max. VIII, 13. Victor. V. L. XIX, 3 hoc Xenophonti tribui monet a Plutarcho Tom. II, p. 786. E. ἄκουσμα μὲν γὰρ ἔστω μηδὲν ἥδιον ἐπαίνου, κατὰ τὸν Ξενοφῶντα. quo loco Pl. haud dubie respexit ad Xenoph. Hieron. I, 14. τοῦ μὲν ἡδίστου ἀκροάματος, ἐπαίνου, οὔποτε σπανίζετε. vel ad Memor. S. II, 1, 31. τοῦ δὲ πάντων ἡδίστου ἀκούσματος, ἐπαίνου σεαυτῆς, ἀνήκοος εἶ. Nihil autem impedit, quominus Themistoclem primum hoc dixisse credamus; nisi forte Cicero existimavit Romano homine dignius esse belli ducem auctorem dicti laudare, quam philosophum.

L. Plotium, de quo Sueton. de clar. rhetor. 2. Quintil. II, 5, 42. ubi vid. Spald.

§. 21. *in multa varietate* propter varios casus, praelia et nocturna et diurna, oppugnationes urbium etc.

totum ab hoc expressum est, non plane totum, sed quod a Lucullo gestum est, ut sequentibus declaratur: nam res a Luculli successore Pompeio gestas non attigit, opinor, quod ei cum amicissimo suo Lucullo parum conveniret. Pompeius autem scriptorem habuit rerum suarum Theophanem Mytilenaeum. *Manut.*

expressum est, tanquam imago cera, argilla, gypso vel *per ahenea signa*, ut ait Horat. Epist. II, 1, 248. Pertinet vero ad ἐνάργειαν descriptionis declarandam, ita descriptum, ut quasi rebus ipsi interesse nobis videamur, easque oculis videre.

aperuit Pontum. vid. pro l. Manil. 8, 21.

non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit; populi Romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum eiusdem consilio ex omni impetu regio ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam; nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis; nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur. Carus fuit Africano 22 superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipio-

non maxima manu, decem millibus gravis armaturae, ut scribit Plutarch. Luc. c. 27. *innumerabiles Arm. copias*, 200000 enumerat Plut. ib. c. 26. Sermo autem est de pugna ad Tigranocerta commissa. Ibi Tigranes, ut idem narrat c. 27 quum Romanum exercitum ad se venientem videret, εἰ μὲν ὡς πρεσβευταὶ, inquit, πολλοὶ πάρεισιν, εἰ δὲ ὡς στρατιῶται, ὀλίγοι.

urbem Cyzicenorum. vid. pro l. Manil. VIII, 20 et not. pro Mur. XV, 33.

belli ore. Victor. V. L. XXIX, 6 comparat Homericum Il. κ', 8. πτολέμοιο μέγα στόμα πενκεδανοῖο.

nostra semper feretur — depressa hostium classis. Vis est in participio, quasi dicas nostra feretur *depressio* classis. Similiter in Verr. act. I, 4, 11. *quaestura quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem* spoliatum — nudatum *et* proditum *consulem*, desertum *exercitum*? etc. Accommodatissima huius usus exempla suppeditat Broeder. gramm. l. §. 411. De hoc non cogitans Ernest. *Nostra*, inquit, maxime cum *pugna navalis*, per συζυγίαν cum *classis* iungitur; Garaton. autem punctum apponebat post *praedicabitur*, ut *nostra laus* intelligeretur, vel, servata vulgata distinctione post *classis* inferebat *est* (*quum depr. hostium classis est*) ut *nostra* cum *pugna* cohaereret; Schroetero denique imperitissime locutus auctor orationis videbatur. De navali ad Tenedum pugna vid. ad or. pro l. Manil. §. 21. pro Muren. XV, 33.

feruntur, i. e. celebrantur, in omnium ore sunt. Vid. ad Catil. I, 10. §. 26. ad Sull. §. 66. Ablativus autem *ingeniis* significat id, quo effectum est, ut ferrentur. Cf. Frotsch. ad Quint. X, 1, 24. At Goerenzio ad Cic. Leg. III, 9 extr. simplex *feruntur*, quomodocunque defenderis, marcere videtur.

§. 22. *in sepulcro Scipionum.* Vid. Liv. 38, 56. Plin. H. N. VII, 30. Valer. M. VIII, 14, 1. Ovid. A. A. III, 409.

num putatur is esse constitutus e marmore. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In coelum huius proavus Cato tollitur; magnus honos populi Romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt; nos hunc Heracleensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus?

x Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex
23 Graecis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat, propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere

At iis laudibus, non solum quibus Ennius Scipionem extulit, sed etiam quibus Archias Lucullum; quae paulo ante commemoratae sunt. Si hanc orationem paulo diligentius elaborasset Cicero, puto eum laudes, quibus Scipionem affecit Ennius, fusius commemoraturum fuisse.

ipsi, qui laudantur i. e. ii ipsi ut infra §. 23. Vid. Wopkens. lect. Tull. p. 292. Goer. ad Cic. de leg. p. 155.

In coelum — adiungitur. Omisit coniunctionem, qua indicaretur, qua ratione haec cohaererent et inter se referrentur pro Quum in coelum Cato tollitur etc. Vid. ad Sext. §. 103. Similiter *si* omittitur. vid. ad Rosc. §. 55. *huius* Catonis Uticensis, *proavus Cato*, Censorius.

non fine i. e. cum comm. omn. n. l. ita ut laus, qua illi decorantur, ad nos quoque redundet. Nescio cur Heum. vix dignam Cicerone phrasin appellet.

Rudinum hom. Ennius de se apud Cicer. de orat. III, 42 extr. *Nos sumus Romani, qui fuimus ante Rudini*, e quo loco, sicut e nostro, colligere licet, Rudias non fuisse inter foederatas civitates.

de civitate eiiciemus pro *e civ.* Sed voluit vitare, ne intelligeretur in exsilium mittemus, inquit Goerenz. ad Leg. III, 19. p. 279. Sic *exire de vita* Lael. 4. 15. ubi tamen Beier. delevit v. *e vita. de manibus extorsimus* Catil. II, 1, 2. *ex urbe depulsus* ib. ubi alii Codd. *e. m. exp.* Omnino tam saepe *de* et *e* inter se permutantur, ut incertum sit, an verba e praepositione iuncta unquam cum *de* consociaverit Cicero. Hic certe *e civ.* melius videtur, quia A. iam est *in* civitate. Vid. ad Sext. §. 44.

c. X. §. 23. *Nam si quis* etc. *Nam* non simpliciter inservit transitioni, sed ita, ut causam reddat eorum, quae praecesserunt — *eiiciemus?* minime vero: *nam*, quod contra dicere aliquis possit, Graecis carminibus Ar-

gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare si res hae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare, quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum iis certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum. Quam multos scriptores rerum suarum 24
Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen, quum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, *O fortunate*, inquit, *adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris.* Et vere: nam, nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytile-

chiae pop. Rom. gloriam minus celebrari, s. *si quis minorem — errat.*

Latina suis finibus. At Plinii tempore alia ratio: nam III, c. 5. *Italia*, inquit, *tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraxit, colloquia et humanitatem homini dedit, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria facta est. Hottom.* At Plinius loquitur de *feris* gentibus, Gallis, Britannis, Hispanis, Afris, apud quos Latina lingua invaluit ita, ut hi populi patrium sermonem dediscerent; Asiam autem et Aegyptum iam inde ab Alexandro M. Graeca lingua pervaserat.

res hae, quas paulo ante commemoravi, non pro *res eae.* Cum sqq. comp. Catilin. IV, 10, 21.

gloriam famamque, non tam eorum, quae ibidem gesta sunt, quam quae ubique, ut ii, qui in extrema Asia habitant, ea etiam percipiant, quae Romae, in Hispania, Africa facta sunt. Nimis tamen breviter ideoque obscure haec dicta sunt, ut non plane inanis videatur Schroeteri criminatio.

periculorum incitamentum et laborum, i. e. incit. *ad pericula subeunda, ad labores suscipiendos.* Sic *opes, irritamenta malorum* Ovid. Metam. I, 140. *invitamentum sceleris* Vell. Pat. II, 67. Similiter Sext. 51. in. *comitia magistratuum et legum* pro ad magistratus creandos legesque ferendas. Cat. mai. 23, 84. *commorandi deversorium.*

§. 24. *Quam multos scriptores.* quos enumerant Sainte-Croix in *Examen crit. des historiens d'Alexandre*, Fabric. Bibl. gr. T. III p. 32 sqq. ed. Harles. Cf. Mannert *Gesch. d. Nachfolger Alexand.* p. 352 sqq.

Theophanem. Vid. Ernest. clav.

naeum, ſcriptorem rerum ſuarum, in concione militum civitate donavit? et noſtri illi, fortes viri, ſed ruſtici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quaſi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbave-
25 runt? Itaque, credo, ſi civis Romanus Archias legibus non eſſet, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sulla, quum Hiſpanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiaſſet; quem nos in concione vidimus, quum ei libellum malus poëta de populo ſubieciſſet, quod epigramma in eum feciſſet tantummodo alternis verſibus longiusculis, ſtatim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei praemium tribui ſub ea conditione, *nequid poſtea ſcriberet.* Qui ſedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium et virtutem in ſcribendo et copiam non

---

ſed ruſtici ac milites. Cat. m. 20, 75 *non ſolum indocti, ſed etiam ruſtici.*

§. 25. *ſi — non eſſet.* At erat civis R. *non potuit.* Quod Erneſt. ſcribendum cenſet *potuiſſet*, e Germanica conſuetudine dictum eſſet. pro Planc. 25, 60. *quid* potuit *amplius, ſi L. Brutus* eſſet. vid. ad Catil. III §. 22.

Hiſpanos et Gallos. Maſſilienſem Ariſtonem et novem Gaditanos commemorat pro Balb. 22, 50.

libellum. Ita quodvis ſcriptum breve vocatur. Ovid. Triſt. III, 14, 51 carmen quoddam ſuum appellat *libellum.* Cf. Plin. epp. X, 97. 98. dial. de cauſ. corr. eloqu. 9, 6. *Heum.*

poeta de populo, εἷς τῶν πολλῶν, vulgaris. divin. in Caec. 16, 40. *de populo ſubſcriptor addatur.* Itaque *malus* fortaſſe e ſqq. huc translatum eſt.

ſubieciſſet in manus dediſſet, in quo legendo verſaretur. Nam *ſubiicere* dicimur etiam ea, quae tractari volumus. Cluent. 2, 6. *peto ne, quae contraria ſunt, taciti cogitationi veſtrae ſubiiciatis,* in iis cogitatione verſemini. Hinc res *oculis ſubiici* dicuntur.

alternis verſibus longiusculis. Elegiacum carmen ſignificat contemtim, ut ſe carminum diverſa genera noſſe diſſimulet. E coniunct. *feciſſet* colligo, poetam illum haec ipſa verba addidiſſe dicentem ſe epigramma in eum feciſſe, quibus Cic. de ſuo deſcriptionem adiecerit.

Qui — duxerit i. e. quum ille duxerit, ut mox *qui cuperet.* Vid. ad Roſc. §. 4. *tamen,* quamquam malus erat poëta. Vid. ad Catil. III, c. 4 §. 10.

virtutem in ſcribendo. Sic *oratoriae virtutes* Brut. 17, 65. *oratoris vis illa divina virtusque* Or. II, 27, 120. Sic *comica virtus* in epigr. Iul. Caeſ. apud Sueton. vit. Ter. p. 46. ed.

expetiſſet? Quid? a Q. Metello Pio, familiariſſimo ſuo, 26
qui civitate multos donavit, neque per ſe neque per Lucullos impetraviſſet? qui praeſertim usque eo de ſuis rebus ſcribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poëtis pingue quiddam ſonantibus atque peregrinum, tamen aures ſuas dederet. Neque enim eſt hoc diſſimulandum, quod XI
obſcurari non poteſt, ſed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis ſtudio, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipſi illi philoſophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, ut in eo ipſo, in quo praedicationem nobilitatemque deſpiciunt, praedicari de ſe ac nominari velint. De- 27
cimus quidem Brutus, ſummus ille vir et imperator,

Wolf., ut ibi diſtinguendum eſſe iam ante Wolf. Bentleium docuiſſe memini. *In ſcribendo* autem dixit pro *ſcribendi*, ad *expetiſſet* illud referens. Vellicavit hoc quoque Schroeterus, praeterea haec absque iudicio omni (ſic) componi dicens.

§. 26, *pingue*, non limatum et elegans, nimio ornatu luxurians, *ſchwülſtig.* Similiter Cicero orat. 8, 25. *Itaque Caria et Phrygia et Myſia, quod minime politae minimeque elegantes ſunt, aſciverunt aptum ſuis auribus opimum quoddam et tanquam adipale orationis genus.* — *Sonantibus,* ut Brut. 74, 259. *Cotta ſonabat contrarium Catulo, ſubagroſte quiddam planeque ſubruſticum.* de orat. III, 12. in. *nihil ſonare aut olere peregrinum.* Hunc autem locum citat Seneca Suaſ. p. 44. ed. Bip.

aures ſuas dederet, libenter eos audiret. Sic *aures ſuas dare alicui* ad Att. I, 5.

c. XI. *ipſi illi phil.* Tuſc. I, 15, 34. *Quid noſtri philoſophi? nonne in his ipſis libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? Inſcribere* ſemper cum *in* iungit Cicero, ut *ineſſe in re* dicit; non *ineſſe rei.* Nam diverſum eſt *inſcribere librum homini*, pro quo nos dicimus dedicare. Sed *illis* e praeced. *Ipſi illi* (i. e. tantopere celebrati: Vid. Manut. ad epp. fam. XV, 6. ad Sext. 67.) repetitum videtur, et ſcribendum *in iis l.*

ut — velint. Sic locum ſcribit Ammian. Marcell. XXII, 7, idque recepit Weiske pro — *inſcribunt: in eo ipſo — volunt.*

nominari volunt per ſe non offenderet, ſed propter id quod adiunctum eſt *praedicari de ſe*, quaſi dictum eſſet *ac de ſe nom. v.* At vid. ad c. VI. §. 12.

§. 27. *Decimus quidem Brutus*, qui *ante tempus exciſae Numantiae, penetratis omnibus Hiſpaniae gentibus, ingenti vi hominum urbiumque potitus numero, aditis, quae vix audita*

Attii, amiciſſimi ſui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit ſuorum. Iam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Muſis conſecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poëtarum nomen et Muſarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Muſarum honore et a poëtarum ſalute abhorrere.

28 Atque, ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortaſſe, verumtamen honeſto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in conſulatu noſtro vobiscum ſimul pro ſalute huius urbis atque imperii et pro vita civium proque univerſa republica geſſimus, attigit hic verſibus atque inchoavit; quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda viſa eſt, hunc ad perficiendum hortatus ſum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, praeter hanc laudis et gloriae, qua quidem

---

erant, Gallaeci cognomen meruit, ut ait Vellei. Paterc. II, 5. Valer. Max. VIII, 14, 2. *Similiter honoratus animus erga poëtam Accium D. Bruti, ſuis temporibus clari ducis, exſtitit; cuius familiari cultu et promta laudatione delectatus eius verſibus templorum aditus, quae ex manubiis conſecraverat, adornavit.* Cf. Brut. 28. in. Conſul is fuit cum Scipione a. u. 616. — *quidem* poſt nomina propria poni obſervavit Heindorf. ad Cic. de nat. d. II, 6, 16. qua vi, non addidit. Eſt pro ſaltem, et ponitur, ubi e pluribus, quae vel commemorata ſunt vel cogitata, unum aliquod ſeligimus, ut idem fere ſit quod, ut hoc exemplo utar.

Attii poetae tragici. Vide quos de eo citavi in *Grundriſs d. Geſch. d. gr. u. röm. Litter.* p. 136.

templorum ac monumentorum. Monum. genus, *templa* ſpecies.

M. Fulvius Nobilior, is qui Aetolos debellavit. Cic. Tuſc. I, 2, 3. Cato *obiecit, ut probrum, M. Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxiſſet; duxerat autem conſul* (a. u. 601.) *ille in Aetoliam, ut ſcimus, Ennium.* Is Muſas, a Zeuxide pictas, ex Ambracia Romam deportavit, ibique iis et Herculi (hinc Herc. *Muſagetes.* vid. Heynii opuſc. II. pag. 305.) templum exſtruxit. Plin. h. nat. XXXV, 10. ubi vid. Harduin. Eumen. or. de reſtaur. ſcholis c. 7.

imperatores prope armati, quia modo e bello redierant, necdum artes bellicas depoſuerant. Schroetero hoc antitheto *imp. prope arm.* — *togati iudices* nihil inſulſius eſſe videtur.

§. 28. *praeter hanc*, quam commemoravi. Eamdem ſen-

detracta, iudices, quid eſt, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Certe, ſi nihil animus praeſentiret in poſterum, 29
et ſi, quibus regionibus vitae ſpatium circumſcriptum eſt, eisdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret. Nunc inſidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae ſtimulis concitat atque admonet, non cum vitae tempore eſſe dimittendam commemorationem nomi-

---

tentiam expreſſit Horatius Epiſtola I, 17, 42. Cic. Philipp. V, 13, 35. *neque enim ullam mercedem tanta virtus praeter hanc laudis gloriaeque deſiderat; qua etiamſi careat, tamen ſit ſe ipſa contenta*, fortius et ſeverius quam hoc loco. Sed hic de eo loquitur, quod vulgo fit, ut de offic. I, 19, 66. *vix invenitur, qui, laboribus ſusceptis periculisque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam.*

tantis nos in laboribus exerceamus. Sic Tuſc. V, 1, 3. *caſus, in quibus me fortuna vehementer exercuit.*

§. 29. *ſi nihil animus praeſentiret in poſt.* pro C. Rabir. perd. r. 10, 29. *Itane vero? tantis in laboribus C. Marius periculisque vixiſſet, ſi nihil longius, quam vitae termini poſtulabant, ſpe atque animo de ſe et gloria ſua cogitaſſet? — — Non eſt ita, Quirites; neque quisquam noſtrum in reipublicae periculis cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis fructuque ducatur. Itaque quum multis aliis de cauſis virorum bonorum mentes divinae mihi atque aeternae videntur eſſe, tum maxime, quod optimi et ſapientiſſimi cuiusque animus ita praeſentit in poſterum, ut nihil, niſi ſempiternum ſpectare videatur.* Cf. Cat. m. 23. At Schroetero *aliquid praeſentire in poſterum* obſcure et imperite dictum videbatur. Veriorem reprehenſionis anſam dat quod ſequitur *neque animus toties de vita ipſa dimicaret.* Sed, *animo* nominato, deinde de *homine* cogitavit. Quod vero hoc l. eſt *quibus regionibus vitae ſpat. circumſcr. eſt, eisdem omnes cogitationes term. ſuas*, id his verbis declaratur Cat. m. l. c. *ſi iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, eſſem terminaturus.*

Nunc inſidet. Nunc in oppoſitione ponitur, quum negatur conditio, quae antea commemorata fuit (ut h. l. *ſi nihil an. praeſ. in poſt.*) quo fit, ut res ipſa etiam negetur, ut Graecorum *νῦν*. Cf. Heind. ad Cic. de nat. d. II, 36. p. 204.

dimittendam, ita ut cum vitae tempore finiatur. Lambinus

XII nis noſtri, ſed cum omni poſteritate adaequandam. An
30 vero tam parvi animi videamur eſſe omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque verſamur, ut, quum usque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiscum ſimul moritura omnia arbitremur? An ſtatuas et imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerunt, conſiliorum relinquere ac virtutum noſtrarum effigiem nonne multo malle debemus, ſummis ingeniis expreſſam et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo ſpargere me ac diffeminare arbitrabar in orbis terrae memoriam ſempiternam. Haec vero ſive a meo ſenſu poſt mortem afutura eſt, ſive, ut ſapientiſſimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam ſpeque delector.

31 Quare conſervate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tum dignitate tum etiam

---

legendum coni. *dimetiendam*. At quis unquam dixit dimetiri al. cum al. re? Schütz. *commetiendam*, ut de inv. I, 26. *commetiri cum tempore negotium*.

c. XII. §. 30. *An ſtatuas* etc. Haec legitima eſt huiusmodi argumentationis conformatio, vid. ad Catil. I. §. 3. quam explicaturus aliquis adſcripſit, *An quum* etc. Sed *reliquerunt* Codd. omnes habent, *quum* nonnulli omittunt, ut Erfurt. Quos locos Goerenz. ad Acad. I, 3, 10. cum noſtro comparat, alieniſſimi ſunt. Nam Tuſc. III, 1, 1. 2, 5. ex iis, quae dicta ſunt, quaedam repetere oportet. *An hoc cauſae eſt, quod, Utrum nulla eſt adhibenda curatio, quod* etc. quod ipſe monuit; noſtro loco nulla eſt ellipſis, ſed cohaerent inter ſe *An — non multo malle debemus*. Ad ſententiam cf. Horat. carm. IV, 8, 13. Epiſt. II, 1, 248. Iſorc. Evag. p. 204. A. (§. 91. Bekk.) Xenoph. Ageſil. 11, 7.

ſive a meo ſenſu — afutura eſt, ſi gloriam poſt mortem non ſentiam, quia ſenſus cum corpore interibit. *ad aliquam animi mei partem*, ad ſenſum, ut aliquo modo eam ſentiam. Dicere potuerat *ad al. mei partem*. Sed addidit *animi*, ut ſignificaret, quod ex illo ſequitur, animum poſt mortem ſuperſtitem fore.

§. 31. *pudore eo*, ea modeſtia, quae modum tenet in dictis factisque, *σωφροσύνη*. Sic epp. fam. V, 1. (4, 2.) *quem ſi parum pudor ipſius defendebat — —* quem locum adſcripſit Moebius, et V, 16. (117, 5.) Poſt *homo cauſa eiusmodi* per ſe vix quisquam dicat; ſed mollitur adiectis aliis ablativis.

vetuſtate, ingenio autem tanto, quantum id convenit exiſtimari, quod ſummorum hominum ingeniis expetitum eſſe videatis, cauſa vero eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae quum ita ſint, petimus a vobis, iudices, ſiqua non modo humana, verum etiam divina in tantis ingeniis commendatio debet eſſe, ut eum, qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi Romani res geſtas ſemper ornavit, qui etiam his recentibus noſtris veſtrisque domeſticis periculis aeternum ſe teſtimonium laudum daturum eſſe profitetur, isque eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti itaque dicti, ſic in veſtram accipiatis fidem, ut humanitate veſtra levatus potius, quam acerbitate violatus eſſe videatur. Quae de 32
cauſa pro mea conſuetudine breviter ſimpliciterque dixi, iudices, ea confido probata eſſe omnibus; quae non fori neque iudiciali conſuetudine et de hominis ingenio et communiter de ipſius ſtudio locutus ſum, ea, iudices, a vobis ſpero eſſe in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certo ſcio.

---

vetuſtate, vetere notitia. Vid. ad epiſt. 139, 3.

expetitum eſſe videatis pro expetitum ſit, vel expetitum eſſe videtis. Vid. Zumpt. gramm. lat. §. 551. Ramshorn. gr. l. p. 624. 6. (p. 802, 5. ed. 2.)

divina, propter ea, quae dixit §. 18.

isque. Sic plerique Codd. iique optimi. Nam, ut Graeci (vid. Gramm. gr. §. 472. 3.) ſic Latini, ubi plura membra e pron. relativo nexa eſſe oportebat, pro ultimo demonſtrativum ponunt, nec ſolum, quum caſus mutatur vel negatio accedit, ut monſtrant illi loci: Tuſc. V, 3, 8. *quem* (Pythagoram) *Phliuntem dicunt veniſſe, eumque cum Leonte — diſſeruiſſe*. Phil. I, 10, 24. *eas leges — tulit, quibus latis gloriabatur, iisque legibus remp. contineri putabat*. Nec negatio addita eſt de Fin. V, 1, 3. *Sophocles, quem ſcis quam admirer, quamque eo delecter*. Cf. pro Deiot. 13, 37.

eo numero, qui ſunt habiti. Sic agrar. II, 14, 37. *quum ex eo numero, qui per eos annos conſules fuerunt, multi mortui ſint*. Vid. ad Catil. II, 10, 21.

§. 32. *communiter*, quod nunc fere dicunt *generaliter*.

certo ſcio. Vid. Kritz. ad Sall. Catil. p. 245 ſq.

ORATIO PRO Q. LIGARIO.

SUMMARIUM SCHUETZII.

A. U. C. 703. C. Confidius Longus ex lege Pompeia et SCto Africam provinciam pro praetore obtinuit, ex qua quum decederet, Q. Ligarium legatum ſuum ei praefecit. Anno ſequente quum ſubito bellum civile inter Caeſarem et Pompeium exarſiſſet, Ligarius domum ſpectans et ad ſuos redire cupiens, etſi eum cives et reliqui provinciales, qui Pompeii partibus favebant, ducem habere volebant, nullo ſe negotio implicari paſſus eſt. Interim Atius Varus, qui praetor A. U. 702 Africam obtinuerat, Uticam venit; is delatum ad ſe imperium cupide arripuit. Quae quum geruntur, L. Aelius Tubero ex SC in provinciam venit, a Varo iam occupatam (Caeſ. de b. c. I, 30.) Excluſus igitur una cum filio Q. ſe in Macedoniam ad Pompeium contulit. Ligarius in Africa permanſit; Pompeianis autem in Africa devictis, quum Caeſar iratior iis, qui bellum illud pertinacius continuaſſent, vitam tamen, Adrumeto capto, Ligario conceſſiſſet (de b. Afric. c. 89.) exſul ibi vixit, nec auſus eſt in Italiam redire. Attamen pro eius ſalute fratres et propinqui Caeſari ſupplicare non deſiſtebant. Exeunte autem anno 707 Q. Aelius Tubero, Caeſaris clementia una cum

patre reſtitutus, Ligarium abſentem apud Caeſarem accuſavit, quod in Africa fuiſſet. Eum hac oratione in foro habita Cicero defendit.

In exordio fatetur Ligarium belli illius tempore in Africa fuiſſe, ſed ſi hoc delictum ſit, id eſſe ei cum Tuberone eiusque patre commune. Duo autem tempora carere crimine, unum quum ſit legatus in Africam profectus, alterum quum efflagitatus a provincia praepoſitus ſit Africae; tertium autem, quo poſt adventum Vari in Africa reſtiterit, neceſſitatis crimen eſſe, non voluntatis c. 1 — 3. In quo Cicero ſuam ipſius et Tuberonis rationem cum Ligarii conditione comparat; quibus quum Caeſar multo maiores cauſas iraſcendi habuerit, et tamen ignoverit, mirum eſſe eum a Tuberone accuſari, qui multo meliorem cauſam, quam accuſator, habeat c. 4. Praeterea quum Ligarius iam in exſilio ſit, hanc accuſationem eam vim habere videri, non ut Q. Ligarius condemnetur, ſed ut necetur. Quam crudelitatem graviter reprehendit, ac ſi hanc Tubero a ſe alienam dicat, ſatis durum eſſe, ſi poſtulet ne Ligario ignoſcatur. c. 5. Et quod Tubero dixerat, ſe velle de Q. Ligarii ſcelere dicere, negat Cicero cauſam eorum, qui cum Pompeio contra Caeſarem ſteterint, ſcelus appellandam eſſe c. 6. Deinde Ligarii cauſam cum Tuberonis comparat, et hanc illa multo graviorem fuiſſe oſtendit c. 7 — 9. Poſtremo ſe in hac cauſa apud Caeſarem non ut ad iudicem agere, ſed ut ad parentem loqui, ad clementiam eius confugere et, ut Ligario ignoſcat, orare c. 10. In quo ſimul illud confirmat, Caeſarem in Q. Ligario conſervando omnibus Sabinis, T. Broccho Ligarii avunculo eiusque filio, imprimis autem duobus Ligarii fratribus, denique multis equitibus Romanis gratiſſimum eſſe facturum c. 11. Poſtremo rogat, ut in Ligario reſtituendo eadem bonitate et miſericordia utatur, quam nuper

in Marcello ſenatus precibus concedendo oſtenderit. Nihil enim nec fortunam eius habere maius, quam ut poſſit, nec naturam melius, quam ut velit quam plurimos conſervare. c. 12.

Hac oratione Caeſar victus Q. Ligario ignovit, qui tamen huius beneficii immemor poſtea cum ceteris in eum coniuravit (Appian. de b. civ. II, c. 113), deinde vero (ibid. IV, 22.) proſcriptus una cum altero fratre periit.

Ceterum Tuberonis in Ligarium oratio Quintiliani aetate exſtitit, qui eam cum Ciceronis oratione utiliter comparari cenſet X, 1, 23. Eamdem ab ipſo lectam eſſe hic locus confirmat XI, 1, 80. ubi, *Tubero*, inquit, *iuvenem ſe patri haeſiſſe, illum a ſenatu miſſum, non ad bellum, ſed ad frumentum coemendum, ait, ut primum licuerit, a partibus receſſiſſe; Ligarium et perſeveraſſe, et non pro Cn. Pompeio, inter quem et Caesarem dignitatis fuerit contentio, quum ſalvam uterque rempublicam vellet, ſed pro Iuba atque Afris inimiciſſimis populo Romano ſtetiſſe.*

[Hanc orationem pulcherrimam, ut a Pomponio ICto nominatur in L. 2. D. de origine iuris, Cicero bello Hiſpanienſi ſcriptam edidit; quae quantopere Attico, Balbo, Oppio aliisque placuerit, cognoſces epiſt. XII et XVIII libri XIII ad Att. *Fr. Fabrit.*]

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRO Q. LIGARIO AD CAESAREM.

Novum crimen, C. Caeſar, et ante hunc diem inaudi- 1
tum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Li- 2
garium in Africa fuiſſe, idque C. Panſa, praeſtanti vir

C. I. §. 1. *Novum crimen.* Ironiam in toto prooemio regnare, monet Quint. IV, 1, 38 ſq. *Imminuenda quaedam et elevanda et quaſi contemnenda eſſe conſentio ad remittendam intentionem iudicis, quam adverſario praeſtat, ut fecit pro Ligario Cicero. Quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Caeſar minus ſe in rem, tanquam non novam, intenderet?* ubi vid. Spald. Cf. ibid. §. 70. IX, 2, 50. XI, 1, 78.

propinquus meus, affinis. L. Aelium Tuberonem, Quinti patrem, coniugem e gente Tullia duxiſſe, ut Q. Tubero conſanguineus fuerit Ciceronis, Abram. ad c. VII. colligit ex ep. ad Att. XIII, 20. Propinquitatem autem appellat, ut ait Manut., ne cum inimico homine disputare videatur, et ut eo maior orationi fides accedat, quod Ligarii innocentiam et cauſae bonitatem propinquitati Tuberonis anteponendam cenſuerit.

in Africa fuiſſe. Eſt initium ſenarii, quod in clauſulis locum habere hoc exemplo monet Quintil. IX, 4, 73. *Ern.* Ibid. 75. *quo me vertam, neſcio* qui eſt trimetri finis. Sed Cic. orat. 56, 189. *ſenarios vero — effugere vix poſſumus: magnam enim partem ex iambis noſtra conſtat oratio.*

C. Vibius *Panſa* idem qui coſ. cum Hirtio a. u. 710. ad Mutinam in proelio occiſus eſt. Quam familiaris is fuerit Caeſari, liquet ex epp. fam. VI, 12. (124, 3. 5.) Confeſſus autem

ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quae eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Itaque, quo me vertam, neſcio: paratus enim veneram, quum tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes, ut ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer; ſed quoniam diligentia inimici inveſtigatum eſt id, quod latebat, confitendum eſt, opinor, praeſertim quum meus neceſſarius, C. Panſa, fecerit, ut id iam integrum non eſſet, omiſſaque controverſia, omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda
2 eſt, qua plurimi ſunt conſervati, quum a te non liberationem culpae, ſed errati veniam impetraviſſent. Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum, ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

---

erat, ſe quoque cum Ligario in Africa fuiſſe.

impetraviſſent. Mira eſt annotatio Moebii, docentis, ſi hoc ad v. *conſervati ſunt*, relatum voluiſſet Cic. dicendum fuiſſe *impetraverint.* Imo ſoloecum hoc eſſet: nam actio praeterita, relata ad aliam item praeteritam, ſemper plusquamperf. coni. exprimitur, ad praeſentem perf. coni. Vid. ad Mil. §. 40.

§. 2. *Habes igitur.* Acriorem fieri atque vehementiorem ad perſonam directum alterius ſermonem hoc quoque exemplo docet Quint. IV, 2, 67. *nam oratio erat multo futura languidior, ſi eſſet aliter figurata; quod facilius cognoſcet, ſi quis illam totam partem vehementiſſimam, cuius haec forma eſt*, Habes igitur — optandum *et cetera, convertat ad iudicem; tum enim vero averſa videatur oratio, et langueſcat vis omnis, dicentibus nobis, Habet igitur T. quod eſt accuſ. max. opt. Illo enim modo preſſit atque inſtitit, hoc tantum indicaſſet.* Non procul abeſſe a ſimulatione, εἰρωνείᾳ, hanc *confeſſionem nihil nocituram* idem monet IX, 2, 51.

ita confitentem, ſe fuiſſe, pro *ita confitentem, ut ſe fuiſſe dicat.* Ex eodem genere eſt, quod legitur de nat. d. II, 31, 82. *Epicurus ita dividit, omnium, quae ſint, naturam eſſe corpora et inane*, pro ita dividit ut dicat, etiam Leg. II, 3, 6. *ut iam videar adduci, hanc quoque quae te procreavit, eſſe patriam tuam.* Vid. pro Sull. 15, 40.

qua te pro in qua te — ut Phil. II, 15, 37. *me tanta in moeſtitia fuiſſe, quanta ceteri optimi cives — fuiſſent.* Vid. ad Roſc. §. 127.

Q. igitur Ligarius quum eſſet nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam cum C. Conſidio profectus eſt; qua in legatione et civibus et ſociis ita ſe probavit, ut decedens Conſidius provincia ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quemquam alium provinciae praefeciſſet. Itaque Q. Ligarius, quum diu recuſans nihil profeciſſet, provinciam accepit invitus; cui ſic praefuit in pace, ut et civibus et ſociis gratiſſima eſſet eius integritas et fides. Bellum 3
ſubito exarſit, quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. Quo audito, partim cupiditate inconſiderata, partim caeco quodam timore, primo ſalutis, poſt etiam ſtudii ſui quaerebant aliquem ducem, quum Ligarius domum ſpectans et ad ſuos redire cupiens nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. Interim P. Atius Varus,

---

Q. igitur Lig. Igitur ſolenne, quum propoſito eo, de quo agendum ſit, ad ipſam rem transitur. Vid. Brut. 32, 122. 43 in. 47 in. 48 in. Fin. IV, 2 in. Cf. Spald. ad Quint. VIII, 1. in.

quum eſſet adhuc nulla b. l. ſ. adhuc recte delevit Ern. cum Graevio, omiſſum in optimis Codd. Nam *adhuc* ſemper fere ad id tempus refertur, quo quis loquitur, ut ſignificet ad hoc ſeu praeſens tempus, ut c. II. in. *Adhuc Ligar. omni culpa vacat.* i. e. ex iis, quae *ad hoc usque tempus* demonſtravi, et §. 3. epp. fam. IX, 17. *illud tamen adſcribam — me adhuc* (usque ad hoc tempus, quo ſcribo) *de iſto periculo nihil audiſſe.* Unum adhuc locum apud Ciceronem inveni, qui huic regulae repugnaret, de Fin. V, 6, 16. Antiochus *vidit, non modo quot fuiſſent adhuc* (ad illud Antiochi tempus) *philoſophorum de ſummo bono ſententiae — —.* De ſcriptoribus aliis non loquor.

provinciae praefec. Proconſules enim aut etiam praetores, ſi ante ſucceſſoris adventum e provincia decederent, quaeſtorem aut unum e legatis cum imperio relinquebant, ita tamen ut contumeliae loco duceretur, ſi legatum quaeſtori praeponerent. Vid. epiſt. fam. II, 18. (ep. 66.) ibid. 15. ad Att. VI, 6. *Abram.*

quum Lig. domum ſp. Gratiam Caeſaris aucupatur, ut annotat Manut., quia Caeſar eos, qui domi remanſerant, amicorum numero ducebat. *quum Lig. — paſſus eſt.* Haec legitima eſt conſtructio, ubi poſt memoratum amplioris ambitus tempus ſ. ſtatum rerum, ex eo id excerpitur, quod praecipue ſpectatur. Vid. Sext. 37, 79. Verr. IV, 40, 86. V, 7, 16. 34, 88. 62, 161. Cf. Zumpt gramm. lat. §. 581.

P. Atius Varus cum S. Pom-

qui praetor Africam obtinuerat, Uticam venit; ad eum ſtatim concurſum eſt. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae, nullo publi-
4 co conſilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu Vari con-
II quievit. Adhuc, C. Caeſar, Q. Ligarius omni culpa vacat; domo eſt egreſſus non modo nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpicionem belli; legatus in pace profectus in provincia pacatiſſima ita ſe geſſit, ut ei pacem eſſe expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere; num igitur remanſio? multo minus: nam profectio voluntatem habuit non turpem, remanſio neceſſitatem etiam honeſtam. Ergo haec duo tempora carent crimine, unum quum eſt legatus profectus, alterum quum efflagitatus a provincia praepoſitus Africae eſt.
5 Tertium eſt tempus, quo poſt adventum Vari in Africa reſtitit; quod ſi eſt criminoſum, neceſſitatis crimen eſt, non voluntatis. An ille, ſi potuiſſet illinc ullo modo evadere, Uticae potius, quam Romae, cum P. Atio, quam cum concordiſſimis fratribus, cum alienis eſſe, quam cum ſuis maluiſſet? Quum ipſa legatio plena deſiderii ac ſollicitudinis fuiſſet propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic aequo animo eſſe potuit belli diſcidio diſtractus a fratribus?

---

peio et Labieno ex Africana pugna, devictis Scipione, Pompeii ſocero, et Iuba, Mauritaniae rege, in Hiſpaniam profugit, ubi renovato ſimul cum Pompeii liberis bello Mundenſi proelio a Caeſare victus interiit. *Manut.* Vid. Caeſ. de b. civ. I, 31.

§. 3. *cupiditate*, partium ſtudio, quod Pompeio favebant. Pro eo mox eſt *ſtudium*.

c. II. §. 4. *Adhuc, Caeſar.* Quint. IV, 2, 51. de narratione loquens, *Si in longum exierit ordo rerum*, inquit, *erit non inutilis in extrema parte commonitio; quod Cicero etiam in brevi narratione facit: Adhuc, Caeſar* etc. et ibid. 108. *Argumentabimur in narratione nunquam; argumentum ponemus aliquando, quod facit pro Ligario Cicero, quum dicit, ſic eum provinciae praefuiſſe, ut illi pacem eſſe expediret.*

§. 5. *neceſſitatis crimen*, (a neceſſitate profectum) quia ſic bello deprehenſus eſt, ut non potuerit a partibus discedere. *Abram.*

Uticae potius. Potius abeſſe poterat, quia ſequitur *maluiſſet*.

Nullum igitur habes, Caeſar, adhuc in Q. Ligario 6
ſignum alienae a te voluntatis, cuius ego cauſam, animadverte, quaeſo, qua fide defendam, quum prodo meam. O clementiam admirabilem atque omni laude, praedicatione, litteris monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe, nec tuas tacitas cogitationes extimeſcit, nec, quid tibi de alio audienti de ſe ipſo occurrat, reformidat. Vide, quam non reformidem; vide, III
quanta lux liberalitatis et ſapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. Suſcepto bello, Cae- 7
ſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quae erant ſumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe

---

Sed ſic eſt etiam pro Balb. 7 extr. *illud peto, ut hominis ipſius ornamenta adiumento cauſae potius, quam impedimento eſſe malitis*, ubi vid. Garaton. epp. fam. XV, 5 (68, 3.) Cf. Zumpt. Gramm. lat. §. 747. Sed ubique *potius* a verbo divellitur, poniturque ante *quam* et perſpicuitatis et gravitatis cauſa.

§. 6. *quum prodo meam.* Prodere dicuntur aliquid, qui quod defendere debebant, non tantum propter perfidiam, ſed aliis etiam de cauſis defendere omittunt.

defendit alium fuiſſe, i. e. in defendendo dicit. Verr. III, 90 extr. *qui id aliorum exemplo ſe feciſſe defendat.* Fin. III, 21, 71. *veriſſime defenditur, numquam aequitatem ab utilitate poſſe ſeiungi.*

c. III. §. 7. *Suſcepto b.* Quint. IX, 2, 28. *Cicero quum dicit pro Ligario, Suſcepto — contra te ſumpta, non ſolum ad utilitatem Ligarii reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiam non poteſt.* Ad Pompeium autem profectus eſt Cicero, quum ille iam ex Italia pulſus eſſet, Caeſar autem in Hiſpaniam profectus. Vid. ad Att. X, 8. eique annexas Antonii et Caeſaris epiſtolas (epiſt. XCIV).

iudicio. Ita recte pro *iudicio meo* ſcripſit Gruter. Rurſus Cic. de off. I, 15. *beneficia, quae iudicio (mit Bedacht) conſiderate conſtanterque delata ſunt.* Corn. N. Att. 15. *non inertia, ſed iudicio, fugit reip. procurationem. — voluntate*, libere ac libenter. Iterum noſter offic. I, 9. *eos ad remp. ne acceſſuros quidem putant, niſi coactos; aequius autem erat id voluntate fieri, (gern und willig).* Livio perfrequentem eſſe hanc dictionem Gronov. obſervat ad V, 17. *Heum.*

nempe apud eum. Nempe in reſponſione ponitur de re indu-

apud eum, qui quum hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, reipublicae reddidit, qui ad me ex Aegypto litteras miſit, ut eſſem idem, qui fuiſſem, qui quum ipſe imperator in toto imperio populi Romani unus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt, a quo, hoc ipſo C. Panſa mihi nuntium perferente, conceſſos faſces laureatos tenui, quoad tenendos putavi, qui mihi tum denique ſe ſalutem putavit dare, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis dediſſet. 8 Vide, quaeſo, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Atque haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero, quum de ſe eadem dicerem, ignoſceret. Cuius ego induſtriae gloriaeque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quod eius ingenio ſtudiisque delector, vel quod laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiam ad meum 9 aliquem fructum redundare. Sed hoc quaero, quis putet eſſe crimen, fuiſſe in Africa Ligarium? nempe is, qui et ipſe in eadem Africa eſſe voluit, et prohibitum ſe a Ligario queritur, et certe contra ipſum Caeſarem eſt

---

bitata, de qua ne quaeri quidem opus fuerit, ut lenis aliqua irriſio inſit. Vid. Mil. 6, 15. infr. §. 9. c. 8, 25. Verr. V, 69, 177. Phil. I, 7, 18. IV, 4, 8. X, 3, 6. XI, 14, 36. — Quint. IX, 2, 14 *et interrogandi ſe ipſum et reſpondendi ſibi ſolent eſſe non ingratae vices, ut Cic. pro Lig. Apud quem* etc.

antequam vidit, poſt Pharſalicam pugnam. *Manut.*

ex Aegypto litteras miſit, fortaſſe per Philotimum libertum. Vid. epiſt. fam. XIV, 23. 24. ad Att. XI, 23.

ut eſſem idem, eodem ordine et loco. *Fabrit.*

eſſe me alterum paſſus eſt, conceſſis faſcibus laureatis, de quibus, tanquam de onere (epp. fam. II, 16 = 92, 4. 5.) nimium ſaepe in epiſtolis conqueritur: triumphum enim non deſtiterat ſperare. Tenuiſſe faſces et lictores Cicero videbatur Fabritio usque ad menſem Octobrem anni u. 707. ita ut per quatuor annos cum imperio fuerit.

non audeam confiteri. Ineſt lenis quaedam irriſio, quod Tubero non crediderat, Ciceronem hoc auſurum eſſe.

§. 8. *quum de ſe eadem dicerem* pro quum de ſe eadem me dicentem audiret. *Ern.*

§. 9. *Sed hoc quaero.* Quint. V, 13, 30. ſq. *Artificis eſt invenire in actione adverſarii, quae inter ſemet ipſa pugnent, aut pugnare videantur, quae aliquando ex rebus ipſis manifeſta ſunt, ut — — Tubero Ligarium accuſat, quod is in Africa fuerit, et queritur, quod ab eo in Africam non ſit admiſſus.* Cf. XI, 1, 78 ſq.

congreſſus armatus. Quid enim, Tubero, deſtrictus ille tuus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo; commoveri videtur adoleſcens; ad me revertar. Iisdem in armis fui. Quid IV autem aliud egimus, Tubero, niſi ut, quod hic poteſt, 10 nos poſſemus? Quorum igitur impunitas, Caeſar, tuae clementiae laus eſt, eorum ipſorum ad crudelitatem ſe acuet oratio? Atque in hac cauſa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, ſed multo magis patris tui prudentiam deſidero, quod homo cum ingenio tum etiam doctrina excellens, genus hoc cauſae quod eſſet, non viderit: nam, ſi vidiſſet, quovis profecto, quam iſto, modo a te agi maluiſſet.

Arguis fatentem; non eſt ſatis; accuſas eum, qui cauſam habet, aut, ut ego dico, meliorem quam tu, aut, ut tu vis, parem. Haec admirabilia; ſed prodigii ſimile 11 eſt, quod dicam. Non habet eam vim iſta accuſatio, ut Q. Ligarius condemnetur, ſed ut necetur. Hoc egit civis Romanus ante te nemo; externi iſti ſunt mores; usque ad ſanguinem incitari ſolet odium aut levium Graecorum aut immanium barbarorum. Nam quid aliud agis? ut Romae ne ſit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho, avunculo ſuo, ne

---

Quid enim, Tubero. Quint. IX, 2, 38. *Averſus quoque a iudice ſermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire movet, ſive adverſarios invadimus, Quid enim* etc. ib. §. 7. interrogationem *non ſciſcitandi gratia aſſumi* monet, *ſed inſtandi.* Sequentia ad congeriem verborum ac ſententiarum idem ſignificantium, ſimilem *συναθροισμῷ*, refert idem VIII, 4, 26 ſq. Cf. ibid. 6, 11 ſq. *Quid agebat*, i. e. quid ſpectabat, propoſitum habebat, ut in illo *id agere ut*, Plutarch. Cicer. c. 39. *ἐπεὶ ἀρξάμενος λέγειν ὁ Κικέρων ὑπερφυῶς ἐκίνει, καὶ προὔβαινεν αὐτῷ πάθει τε ποικίλος καὶ χάριτι θαυμαστὸς ὁ λόγος, πολλὰς μὲν (λέγεται) εἶναι χρόας ἐπὶ τοῦ προσώπου τὸν Καίσαρα, πάσας δὲ τῆς ψυχῆς τρεπόμενος τροπὰς κατάδηλον εἶναι. τέλος δὲ τῶν κατὰ Φάρσαλον ἅψαμένου τοῦ ῥήτορος ἀγώνων, ἐκπαθῆ γενόμενον τιναχθῆναι τῷ σώματι καὶ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν ἔνια τῶν γραμματίων, τὸν γοῦν ἄνθρωπον ἀπέλυσε τῆς αἰτίας βεβιασμένος.*

c. IV. §. 10. *Quid aliud egimus* fortiſſime defendentis eſt, iudice Quintil. V, 13, 5.

laus eſt. Cf. ad Mil. §. 5.

cum eius filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? num est? num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exsulat. Non tu
12 ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita vis. At istud ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. Ipse iubebat occidi, nullo postulante; praemiis etiam invitabat. Quae tamen crudelitas ab eodem aliquot annis post, quem
v tu nunc crudelem esse vis, vindicata est. Ego vero istud non postulo, inquies. Ita mehercle existimo, Tubero: novi enim te, novi patrem, novi domum nomenque vestrum; studia denique generis ac familiae vestrae, virtutis, humanitatis, doctrinae, plurimarum artium atque opti-
13 marum, nota sunt mihi omnia. Itaque certo scio, vos non petere sanguinem; sed parum attenditis: res enim

---

§. 11. *sed vita vis.* Mira vis in numero: solet enim Cicero, quae sunt acerbiora, breviter concludere, ut illud quoque proximum, *Italia prohibetur, exsulat. Manut.*

§. 12. *praemiis invitabat.* Vellei. Paterc. II, 28. de Sullana proscriptione tradit, *iugulati civis constitutum auctoramentum, plurimumque habuisse qui plurimos interemisset, neque occisi hostis, quam civis, uberius fuisse praemium. Cellar.*

vindicata est, quia Sullanos multos Caesar occidit, in iis Faustum, L. Sullae filium, et quia proscriptorum a Sulla filiis contra legem ab eo latam facultatem restituit petendorum magistratuum, quo in numero fuit A. Hirtius, auctore Dione. *Idem.* Sed magis huc pertinet locus Suetonii, quem Cellar. attulit Iul. Caes. 11. *in exercenda de sicariis quaestione* (anno post aedilitatem 691) *eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium Rom. capita pecunias ex aerario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus.*

c. V. *generis*, Aeliorum; e qua gente fuit Sext. ille Aelius, qui *catus* cognominatus est. vid. Cic. de orat. I, 45, 198. *iuris quidem civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus*, ut ait idem Brut. 20. in. tum L. Aelius Stilo, quem Cicero Brut. 56, 205 dicit *eruditissimum et graecis litteris et latinis, antiquitatisque scriptorumque veterum litterate peritum, eundemque Stoicum esse voluisse, oratorem autem nec studuisse unquam, nec fuisse.* Ex eadem gente fuit etiam L. Aelius Lamia, de quo est pro Sext. 12, 29. in Pis. 27. — *familiae vestrae*, Tuberonum, inter quos est Q. Tubero Stoicus, commemoratus in or. pro

eo spectat, ut ea poena, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. Quae est igitur alia, praeter mortem? Si enim in exsilio est, sicuti est, quid amplius postulatis? an, ne ignoscatur? hoc vero multo acerbius multoque est durius. Quod nos domi petimus precibus et lacrymis prostrati ad pedes, non tam nostrae causae fidentes, quam huius humanitati, id ne impetremus, pugnabis? et in nostrum fletum irrumpes? et nos iacentes ad pedes supplicum voce prohibebis? Si, quum 14
hoc domi faceremus, quod et fecimus et, ut spero, non frustra fecimus, tu derepente irrupisses et clamare coepisses, Caesar, cave ignoscas, cave te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereatur, nonne omnem humanitatem exuisses? Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id a te in foro oppugnari, et in tali miseria multorum perfugium misericordiae tollere? Dicam plane, 15

Muren. 36, 75. De duobus genitivis, uni nomini iunctis (*studia generis*, i. e. in quibus gens vestra et familia versatur, *studia virtutis* etc. quibus virtuti etc. studetis) vid. ad Catil. I. §. 12. Muren. §. 8.

§. 13. *eo spectat*, eam vim habet.

sicuti est verum esse significat, quod antea positum tantum erat tanquam quod fieri posset, ut post *quamvis*. vid. ad Rosc. §. 22. Sic de nat. d. II, 31, 78. *necesse est, quum sint dii, si modo sunt, ut profecto sunt, animantes esse.*

Quod nos domi petimus. De genere loquitur seu in universum, nondum de eo, quod revera factum est; hoc enim sequitur §. 14.

§. 14. *quod et fecimus.* Vid. epp. fam. VI, 14. (116, 4.)

id a te — oppugnari et — tollere pro tolli, vel id te oppugnare et tollere. Similiter Tusc. disp. II, 16, 37. arma membra militis esse dicunt; *quae quidem ita* geruntur *apte, ut — pugnare* possint. pro gerunt — possint, vel gerantur, ut pugnari possit. Vid. Wopkens. lect. Tull. p. 61. Bremi et Goerenz. ad Fin. II, 15, 48.

perfugium misericordiae, i. e. perfugium, quod in misericordia potentioris positum est, s. quod praebet misericordia, ut recte Lambin. Vid. ad Catil. II, §. 24. ad Muren. §. 23. ad Sull. §. 77. Diversum est *perfugium avaritiae* Manil. §. 39. De iis, quae sequuntur Quintil. VIII, 3, 83 sqq. *Vicina praedictae (βραχυλογίᾳ) sed amplior virtus est ἐμφάσις. — — Eius duae sunt species, altera, quae plus significat, quam dicit, altera, quae*

C. Caeſar, quod ſentio: ſi in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantam tu per te, per te, inquam, obtines (intelligo, quid loquar) acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria. Quam multi enim eſſent de victoribus, qui te crudelem eſſe vellent, quum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui, quum a te nemini ignoſci vellent, impedirent clementiam tuam, quum etiam ii, quibus ipſe ignoviſti, nolint te in alios eſſe miſericordem? 16 Quod ſi probare Caeſari poſſemus, in Africa Ligarium omnino non fuiſſe, ſi honeſto et miſericordi mendacio ſaluti calamitoſo civi eſſe vellemus, tamen hominis non eſſet, in tanto diſcrimine et periculo civis refellere et coarguere noſtrum mendacium, et, ſi eſſet alicuius, eius certe non eſſet, qui in eadem cauſa et fortuna fuiſſet. Sed tamen aliud eſt errare Caeſarem nolle, aliud nolle miſereri. Tu diceres, cave, Caeſar, credas; fuit in Africa Ligarius; tulit arma contra te. Nunc quid dicis? cave ignoſcas. Haec nec hominis, nec ad hominem vox eſt; qua qui apud te, C. Caeſar, utetur, ſuam citius abiiciet humanitatem, quam extorquebit tuam.

---

etiam id, quod non dicit. Tum de hac altera §. 85. *Sequens poſita eſt in voce aut omnino ſuppreſſa, aut etiam abſciſſa. Supprimitur vox, ut fecit pro Ligario Cicero*, Quod ſi — intelligo, quid loquar: *tacuit enim illud, quod nihilo minus accipimus, non deeſſe homines, qui ad crudelitatem eum impellerent.*

§. 16. *ſaluti calam. civi eſſe vell. Saluti eſſe* orator dicitur iis, quos defendit etiam orat. II, 49, 200. *qui ſaepe — meis civibus ſaluti exiſtimarer fuiſſe.* Quem locum Wernsdorf. debeo; quod qui, ſicut Fabritius, rectius de Caeſare quam de patrono dici poſſe putabat, ſcripſit *ſaluti civis calamitoſi conſultum eſſe vellemus*, ut vulgo editur. Quod vero Ern. dicit, in hac phraſi ſe *eſſe* additum nusquam reperiſſe, fallitur. Sic enim Phil. VIII, 4, 14. bis. 5, 15. pro Coel. 3, 8.

citius, potius, ut offic. I, 18, 59. *vicinum citius adiuveris in fructibus percipiendis, quam fratrem.* et Phil. 2, 11, 25. *citius dixerim iactaſſe ſe aliquos. Manut.* Cf. Brut. 67. extr.

extorquebit, ut inſitam et naturalem: utimur enim hoc verbo de rebus, quae non facile moventur, ut extorquere clavam de manu Herculis; cuius generis apud Ciceronem plurima. *Id.*

Ac primus aditus et poſtulatio Tuberonis haec, ut vi opinor, fuit, velle ſe de Q. Ligarii ſcelere dicere. Non 17 dubito, quin admiratus ſis, vel quod de nullo alio quisquam, vel quod is, qui in eadem cauſa fuiſſet, vel quidnam novi ſceleris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſa caruit. Alii errorem appellant, alii timorem, qui durius, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam, qui graviſſime, temeritatem; ſcelus praeter te adhuc nemo. Ac mihi quidem, ſi proprium et verum nomen noſtri mali quaeratur, fatalis quaedam calamitas incidiſſe videtur et improvidas hominum mentes occupaviſſe, ut nemo mirari debeat, humana conſilia divina neceſſitate eſſe ſuperata. Liceat 18 eſſe miſeros, quamquam hoc victore eſſe non poſſumus. Sed non loquor de nobis; de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces; ſceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc quisquam ex te, Caeſar, audivit, aut tua quid aliud arma voluerunt, niſi a te contumeliam propulſare? quid

---

c. VI. §. 17. *poſtulatio* eſt accuſatoris petentis a praetore, ut ſibi nomen deferre liceat. epp. fam. VIII, 6. *inter poſtulationem et nominis delationem uxor a Dolabella diſceſſit.* divin. in Caecil. 20. *nuper quum in Gabinium — — Piſo delationem nominis poſtularet.*

§. 18. *Liceat eſſe miſeros.* Vid. Krüger. *Unterſuch.* III. p. 367.

Fuerint cupidi eſt concedentis; facile patimur eos cupidos vocari etc. Male Moebius pro *ſi* vel *quamvis fuerint cupidi* dictum accipit; de quo vid. ad Roſc. §. 55.

parricidii. Significatur crimen laeſae maieſtatis reip. Clarius parricidium patriae dixit de offic. III, 21. Phil. II, 7. Catil. I, 7. *Heum.*

contumeliam, quae in eo poſita erat, quod Caeſares abſentis rationem in comitiis haberi non patiebantur eius inimici. Caeſ. b. civ. I, 9. *doluiſſe ſe*, inquit Caeſar, *quod pop. R. beneficium ſibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, ereptoque ſemeſtri imperio* (quo quinquennium expleretur, in quod Caeſari Galliae lege Pompeii et Craſſi conceſſae erant. vid. Caeſ. b. Gall. VIII, 53.) *in urbem retraheretur, cuius abſentis rationem haberi proximis comitiis pop. iuſſiſſet.* Cf. Cic. ad Att. IX, 11. (epp. 89, 2.) Referendo ante tempus de Caeſaris provinciis Marcellus Cos. *dignitatem Caeſaris impugnavit* Caeſ. b. Gall. VIII, 53. *Ius ſuum* tuentur milites malo in poſterum exemplo, quatenus cives

egit tuus ille invictus exercitus, nisi ut suum ius tueretur et dignitatem tuam? Quid? tu, quum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis
19 civibus conveniret? Mihi vero, Caesar, tua in me maxima merita tanta certe non viderentur, si me ut sceleratum a te conservatum putarem. Quomodo autem tu de republica bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? Secessionem tu illam existimavisti, Caesar, initio, non bellum; non hostile odium, sed civile dissidium, utrisque cupientibus rempublicam salvam, sed partim consiliis, partim studiis a communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat paene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur; causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset, nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiam dii adiuverunt. Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi
VII armatus? Sed, ut omittam communem causam, venia-
20 mus ad nostram. Utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligario ex Africa exire, an vobis in Africam

---

Romani sunt, qui et illam Pompeii et Crassi legem suis suffragiis adiuverant et tribunorum plebis iniurias ulcisci parati erant. Caes. l. c.

quum pacem esse cupiebas. Vid. Caes. b. civ. I, 9.

§. 19. *Secessionem*, dissensionem civilem, quum in diversas partes homines discedunt, et ab adversariis secedunt. Ad veteres secessiones alludere Cic., quibus olim plebs patriciis infensa secesserit ab urbe in sacrum montem, vel in Ianiculum, monuit Cell.

Principum dignitas. Quint. IX, 3, 36. *ἐπάνοδος dicitur graece, nostri regressionem vocant. Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diverso eadem verba contra sumuntur, Princ. dign.*

non par fort. Hic certe Pompeianos Caesarianis dignitate praefert: consularis enim cum Caesare, ut arbitror, nemo fuit, cum Pompeio multi praeter ipsos consules et magistratus. *Manut.*

quam etiam dii adiuverunt. Hinc fortasse ductum illud Lucani Phars. I, 128. *Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.* Quint. V, 11, 42. *Ponitur a quibusdam, et quidem in parte prima, Deorum auctoritas, quae est ex responsis, ut Socratem esse sapientissimum. Id rarum est; tamen utitur eo Cicero in libro de aruspicum responsis et in concione contra Catilinam* (III, 8, 9.) *et pro Ligario, quum causam C. Caesaris meliorem, quia hoc dii iudicaverint, confitetur.*

c. VII. §. 20. *Ligario.* vid. not. crit.

non venire? Poteramusne, inquis, quum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo; sed tamen Ligarium senatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, quum parere senatui necesse erat; vos tum paruistis, quum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minime vero, neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae. Sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in
aliis reprehendatis. Tuberonis sors coniecta est ex sena- 21
tusconsulto, quum ipse non adesset, morbo etiam impediretur; statuerat excusare. Haec ego novi propter omnes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone; domi una eruditi, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares. Magnum etiam vinculum, quod iisdem studiis semper usi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse; sed ita quidam agebat, ita rei-

---

consulis ductum a Iuris peritis, qui proprie consuli dicuntur, ut etiam iudices Verr. act. I, 11, 32.

senatus idem, qui Tuberonem in Africam miserat. Caes. b. civ. I, 30. *Africam sorte Tubero obtinere debebat.*

nemo, qui noluit. Cur Ernestio sincera Latinitas postulare videatur *qui nollet*, non assequor. Poterat coniunctivo uti, ut significaret, hanc causam fuisse, cur paruerit; poterat dicere, *qui nolebat*, quia hic est habitus animi continuus, cuius partem tantum explet illud *parere;* sed non necesse erat. Itaque idem tempus bis posuit, ut utramque rem iisdem temporis terminis circumscriptum esse declararet. Vid. Exc. ad orat. VII. p. 241.

§. 21. *statuerat excusare* sc. morbum, ut loquitur c. IX, i. e. morbum pro causa afferre, cur nollet. Sic *propinquitatem excusare* Phil. VIII, 1 in. *Se* cogitandum esse, qui censet Moebius, non debebat ad ea provocare, quae ego de omissis *te, se* etc. monui ad Rosc. §. 61. Ibi enim de omissione *subiecti* agitur, hic de *obiecti.*

omnes necessitudines, omnis generis necessitudines. Cf. pro Sext. §. 39. *Necessitudo* autem ea est coniunctio, quae mutua officia imponit.

militiae, bello Marsico seu sociali, quo Cicero in exercitu Cn. Pompeii Strabonis tiro fuit, ut ipse Phil. XII, 11. refert.

affines. vid. ad §. 1.

quidam. Cn. Pompeium intelligit Manut. recte ob *vir amplissimus*, quod sequitur. Catonem Gruter. „Utriusque linguae scriptores *quidam* vel de nobilissimis hominibus dicunt, si aut sibi aut quibus scribunt, minus

publicae ſanctiſſimum nomen opponebat, ut, etiam ſi aliter ſentiret, verborum tamen ipſorum pondus ſuſtinere
22 non poſſet. Ceſſit auctoritati ampliſſimi viri, vel potius paruit. Una eſt profectus cum iis, quorum erat una cauſa; tardius iter fecit. Itaque in Africam venit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius: nam, ſi crimen eſt ullum voluiſſe, non minus magnum eſt, vos Africam, omnium provinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere voluiſſe, quam aliquem ſe maluiſſe. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperium ſe habere di-
23 cebat; faſces certe habebat. Sed quoquo modo ſeſe illud habet, haec querela veſtra, Tubero, quid valet? Recepti in provinciam non ſumus. Quid ſi effetis? Caeſarine eam traditurі fuiſſetis, an contra Caeſarem retenturi?
VIII Vide, quid licentiae, Caeſar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae. Si reſponderit Tubero, Africam,

---

noti ſint; quod multis exemplis demonſtravit I. Perizonius Syllog. epiſt. T. IV. pag. 778." *Ruhnk.* ad Vellei. Pat. II, 64. Hic potius is deſignatur, quem certis de cauſis nominare non vult Cic., ut recte Moeb. *Agere cum aliquo* eſt omni contentione alicui perſuadere velle aliquid. *Opponebat*, tanquam quo Tuberonis repugnantia vinceretur. Graecum *ἀντεισάγειν* comparat Fabritius.

§. 22. *Ceſſit vel potius paruit.* Nam *cedere* voluntatis eſt, *parere* obſervantiae. *Manut.*

in Afr. iam. occup. Caeſ. b. civ. I, 31. *Tubero quum in Africam veniſſet, invenit in provincia cum imperio Attium Varum. — Hic venientem Uticam cum navibus Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valitudine filium exponere in terra patitur, ſed ſublatis ancoris excedere ex eo loco cogit.*

ullum voluiſſe, Africam obtinere.

natam ad bellum, quia natura hunc ſitum habebat, ut facile bellum contra Romanos ſuſcipere et gerere poſſet. *Ern.* Rectius Manutius hoc propter Punica bella dici monet.

aliquem ſe maluiſſe. Miror Erneſtium ſic exclamantem: quid eſt, aut quae latinitas, *aliquis ſe mavult obtinere!* vid. ad or. pro Archia p. §. 10.

quoquo modo ſe res habet. Quod Graevius edidit *habeat*, barbariſmum eſſe ſeu Germanismum, recte ad h. l. monuit Heum., quem impugnatum iam eſſe a Cellario Antibarb. p. 217. et in *curis poſterioribus* p. 418 ſq. Cf. Heuſing. ad offic. Praef. p. LV.

quo ſenatus eum ſorsque miſerat, tibi patrem ſuum traditurum fuiſſe, non dubitabo apud ipſum te, cuius id eum facere interfuit, graviſſimis verbis eius conſilium reprehendere: non enim ſi tibi ea res grata fuiſſet, eſſet etiam probata. Sed iam hoc totum omitto, non tam ut 24
ne offendam tuas patientiſſimas aures, quam ne Tubero, quod numquam cogitavit, facturus fuiſſe videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infeſtam, in qua erat rex potentiſſimus, inimicus huic cauſae, aliena voluntas, conventus firmi atque magni. Quaero, quid facturi fuiſtis? quamquam quid facturi fueritis, dubitem, quum videam, quid feceritis? Prohibiti eſtis in provincia veſtra pedem ponere, et prohibiti, ut perhibetis, ſumma cum iniuria. Quomodo id tuliſtis? acceptae iniuriae querelam ad quem 25
detuliſtis? nempe ad eum, cuius auctoritatem ſecuti in ſocietatem belli veneratis. Quod ſi Caeſaris cauſa in provinciam veniebatis, ad eum profecto excluſi provincia veniſſetis; veniſtis ad Pompeium. Quae eſt ergo haec apud Caeſarem querela, quum eum accuſatis, a quo queramini vos prohibitos contra Caeſarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum mendacio, ſi vultis, gloriemini per me licet, vos provinciam fuiſſe Caeſari tradituros, etiam ſi a Varo et quibusdam aliis prohibiti effetis. Ego autem confitebor culpam eſſe Ligarii, qui vos tantae laudis occaſione privaverit. Sed vide, quaeſo, C. IX
Caeſar, conſtantiam ornatiſſimi viri, L. Tuberonis; quam 26

---

c. VIII. §. 23. *eſſet etiam probata*, quia non honeſtum fuiſſet, iniuſſu ſenatus eam Caeſari tradere. Vel ſecundum proverbium, ad quod provocat Heum.: *Proditionem amo, proditorem odi.*

§. 24. *huic victoriae*, Pharſalicae. *rex potent.* Iuba, qui per Numidiam ad Mauritaniam usque late regnabat, cui *paternum hoſpitium erat cum Pompeio* Caeſ. b. civ. II, 25. De potentia illius Sueton. Iul. 66. ſcripſit. *Cellar.*

aliena voluntas, int. provinciae vel provincialium. *Conventus* qui ſint vid. in Clave [ad Sext. §. 9.] intelligendi autem ſunt h. l. cives Romani in conventibus, qui ipsi conventus nomine ſaepe appellantur. *Ern. Conventus* non eſſe urbes ipſas, ut ait Erneſt. in clav., ſed civium Romanorum in urbe provinciae habitantium univerſitatem recte ad h. l. docuit Wernsdorfius.

§. 25. *a quo queramini*: Vid. ad Sext. §. 99.

ego, quamvis ipſe probarim, ut probo, tamen non commemorarem, niſi a te cognoviſſem in primis eam virtutem ſolere laudari. Quae fuit igitur umquam in ullo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio, an melius patientiam poſſem dicere. Quotus enim iſtud quisque feciſſet, ut, a quibus in diſſenſione civili non eſſet receptus, eſſetque etiam cum crudelitate reiectus, ad eos ipſos rediret? Magni cuiusdam animi atque eius viri eſt, quem de ſuſcepta cauſa propoſitaque ſententia nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum poſſit de-
27 pellere. Ut enim cetera paria Tuberoni cum Varo fuiſſent, honos, nobilitas, ſplendor, ingenium, quae nequaquam fuerunt, hoc certe praecipuum Tuberonis fuit, quod iuſto cum imperio ex ſenatus conſulto in provinciam ſquam venerat. Hinc prohibitus non ad Caeſarem, ne iratus, non domum, ne iners, non aliquam in regionem, ne condemnare cauſam illam, quam ſecutus eſſet, videretur; in Macedoniam ad Cn. Pompeii caſtra venit, in eam ipſam cauſam, a qua erat reiectus cum iniuria.
28 Quid? quum iſta res nihil commoviſſet eius animum, ad quem veneratis, languidiore, credo, ſtudio in cauſa fuiſtis? tantummodo in praeſidiis eratis, animi vero a cauſa abhorrebant? an, ut ſit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis, omnes vincendi ſtudio tenebamur? Pacis equidem ſemper auctor fui; ſed tum ſero:

---

quamvis ipſe probarim, ut probo. Vid. ad Roſc. §. 22.

§. 26. *conſtantiam dico?* Huius dicta ſua corrigendi formulae haec exempla affert Abram. pro Sext. 24, 53. pro Rabir. Poſt. 5, 10. *Num quis teſtis Poſtumum appellavit? teſtis autem? num accuſator?* Phil. II, 19, 48. *ſuam enim quisque domum tum obtinebat, neque erat usquam tua? Domum dico? Quid erat in terris* etc. Manut. praeterea illa: Verr. I, 17, 45. pro Planc. 21, 52. ad famil. I, 9. (epp. 41, 24.) Ceterum haec omnia cum irriſione dicta eſſe quivis facile videbit.

§. 27. *ad Cn. Pompeii caſtra* adventum tantum indicat, ita ut non ſignificetur, utrum in iis militaverit, an non; quod e ſqq. demum coniicitur.

§. 28. *in praeſidiis*, vid. ad or. pro Arch. p. §. 11.

credo — abhorrebant? Vid. ad Sext. §. 84.

Pacis equidem ſ. a. ſ. epp. fam. VI, 6 (115, 9.) *Quid ego praetermiſi aut monitorum aut querelarum, quum vel iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bello anteferrem?* Phil. II, 10, 24. *pacis,*

erat enim amentis, quum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus, tu certe praecipue, qui in eum locum veniſſes, ubi tibi eſſet pereundum, niſi viciſſes; quamquam, ut nunc ſe res habet, non dubito, quin hanc ſalutem anteponas illi victoriae. Haec ego x
non dicerem, Tubero, ſi aut vos conſtantiae veſtrae, aut 29
Caeſarem beneficii ſui poeniteret. Nunc quaero, utrum veſtras iniurias, an reipublicae perſequamini. Si reipublicae, quid de veſtra in ea cauſa perſeverantia reſpondebitis? ſi veſtras, videte, ne erretis, qui Caeſarem veſtris inimicis iratum fore putetis, quum ignoverit ſuis.

Itaque num tibi videor, Caeſar, in cauſa Ligarii occupatus eſſe? num de eius facto dicere? quidquid dixi, ad unam ſummam referri volo vel humanitatis, vel clementiae, vel miſericordiae tuae. Cauſas, Caeſar, egi 30
multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum; certe numquam hoc modo, *Ignoſcite, iudices; erravit, lapſus eſt, non putavit; ſi umquam poſthac.* Ad parentem ſic agi ſolet; ad iudices, *Non fecit,*

---

concordiae, compoſitionis auctor eſſe non deſtiti.

pacem cogitare differre videtur a locutione *de pace cogitare.* Accuſativus enim rem ſignificat, quam quis efficere cupit, praepoſitio cum ablativo nihil, niſi quod in verbo ineſt. Fallitur enim Daviſ. ad Cic. de nat. d. I, 27. *cogitare deum* pro *de deo* rectam eſſe dicens loquendi rationem. Pronominum tamen et adiectivorum neutrorum accuſativi etiam ponuntur, ubi ſubſtantivum cum *de* adiungendum eſſet, ut *cogitare nihil niſi de reip. pernicie* Phil. IV, 2, 4. X, 4, 8.

Omnes, inquam. Alias repetitur vocabulum ante *inquam*, *Omnes, omnes, inquam*, ut de Goerenzii coniectura ed. Orell. Sed reſpicit ad ſuperiora *omnes vincendi ſtudio tenebamur.* Sic etiam Sext. XI. §. 26. pro Deiot. 12, 34.

qui in eum locum veniſſes, i. e. quum. Vid. ad Roſc. §. 4. *ubi tibi eſſet per.* ubi tibi pereundum eſſe videbas.

§. 29. *ad unam ſummam* i. e. ita ut vel humanitas tua vel cl., vel miſericord. ſummam eorum, quae dixi, ſeu id, quo omnia illa redeunt, contineat.

c. X. §. 30. *Ignoſcite, iudices.* Haec eſſet deprecatio; quam locum habere in ſenatu et apud populum et apud Principem et ubicunque iuris clementia eſt, disputat Quintil. VII, 4, 18.

erravit, iudicio; *lapſus eſt* facto.

ſi umquam poſthac ſc. tale quid commiſero vel admiſero, quod

non cogitavit, falſi teſtes, fictum crimen. Dic, te, Caeſar, de facto Ligarii iudicem eſſe; quibus in praeſidiis fuerit, quaere. Taceo; ne haec quidem colligo, quae fortaſſe valerent etiam apud iudicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo ipſo non acerbus, totus animo et ſtudio tuus. Ad iudicem ſic agi ſolet. Sed ego ad parentem loquor: Erravi, temere feci, poenitet; ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoſcas, oro. Si nemo impetravit, arroganter, 31 ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti. An ſperandi Ligario cauſa non ſit, quum mihi apud te ſit locus etiam pro altero deprecandi? Quamquam neque in hac oratione ſpes eſt poſita cauſae, nec in eorum ſtu- XI diis, qui a te pro Ligario petunt, tui neceſſarii. Vidi enim et cognovi, quid maxime ſpectares, quum pro alicujus ſalute multi laborarent; cauſas apud te rogantium gratioſiores eſſe, quam vultus, neque te ſpectare, quam tuus eſſet neceſſarius is, qui te oraret, ſed quae illius cauſa, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores illi eſſe videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipſe, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen, apud te cauſas, ut

addunt Plaut. Caſin. V, 4. Terent. Eun. V, 2. Vid. quos citat Moeb. Beier. ad Cic. Off. I, 11, 33. Heind. ad Hor. Sat. IX, 23.

§. 31. *in hac oratione*, qua utor in deprecando pro Ligario. *Graev.* In ea ſpem poſitam habet cauſa Ligarii, per proſopopoeiam pro in ea ſpes non eſt, fore ut cauſam obtineamus.

tui neceſſarii ad *qui* relatum pro *eorum ſtudiis — — tuorum neceſſariorum.* Eiusdem generis ſunt, quae collegi ad Manil. §. 11. Brut. 59, 214. *id quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his inſtructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium.* Cf. Phil. IV, 4, 9. Offic. I, 23, 80. Sic de nat. d. II, 55. extr. recte ante Erneſt. legebatur: *Huc adde nervos, qui, ſicut venae et arteriae, a corde tractae et profectae, in corpus omne ducuntur.*

c. XI. §. 31. *gratioſiores eſſe*, gratia plus valere, ut epp. famil. II, 6 (45, 7.) Milo habet *noſtram ſuffragationem, ſi minus potentem, at probatam tamen et iuſtam et debitam et propterea fortaſſe etiam gratioſiorem. vultus* dixit pro *preces* quia, qui precantur, ſollicitudinem, demiſſionem animi, moerorem vultu prae ſe ferre ſolent. Reſpondent verba, *quorum iuſtiſſimum dolorem videas in petendo.*

dixi, rogantium valere plus, quam preces, ab iisque te moveri maxime, quorum iuſtiſſimum dolorem videas in petendo.

In Q. Ligario conſervando multis tu quidem gratum 32
facies neceſſariis tuis, ſed hoc, quaeſo, conſidera, quod ſoles. Poſſum fortiſſimos viros Sabinos, tibi probatiſſimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiae ac robur reipublicae proponere. Noſti optime homines. Animadverte horum omnium maeſtitiam et dolorem; huius T. Brocchi, de quo non dubito quid exiſtimes, lacrymas ſqualoremque ipſius et filii vides. Quid de fratribus di- 33
cam? noli, Caeſar, putare de unius capite nos agere; aut tres tibi Ligarii retinendi in civitate ſunt, aut tres ex civitate exterminandi; quodvis exſilium his eſt optatius, quam patria, quam domus, quam dii penates, uno illo exſulante. Si fraterne, ſi pie, ſi cum dolore faciunt, moveant te horum lacrymae, moveat pietas, moveat germanitas; valeat tua vox illa, quae vicit: te enim dicere audiebamus, nos omnes adverſarios putare, niſi qui nobiscum eſſent, te omnes, qui contra te non eſſent, tuos. Videsne igitur hunc ſplendorem, omnem hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Caeſetium, L. Corfidium, hosce omnes equites Romanos, qui adſunt veſte

§. 32. *in Ligario conſervando*, ſi Lig. conſervaveris.

T. Brocchi, qui avunculus erat Ligarii.

nos omnes adverſ. putare. Cic. ad Att. XI, 6. *omnes qui in Italia manſerant, hoſtium numero habebantur.* Caeſ. b. civ. I, 33. *Pompeius discedens ab urbe in ſenatu dixerat, eodem ſe habiturum loco, qui Romae remanſiſſent et qui in caſtris Caeſaris fuiſſent, te omnes — tuos.* Sueton. Iul. 75. *Denuntiante Pompeio, pro hoſtibus ſe habiturum, qui reip. defuiſſent, ipſe medios et neutrius partis ſuorum ſibi numero futuros pronuntiavit.*

§. 33. *hunc ſplendorem*, hanc multitudinem ampliſſimorum hominum. Sic Roſc. com. 5. *ſplendor advocationis.* v. Clav. *Ern.* In clav. Ern. ſplendor hominis, inquit, exiſtit ex gratia, amicorum potentium, clientium, deductorum, ſalutatorum copia.

L. Corfidium. ad Att. XIII, 44. *Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appelletur L. Corfidius in oratione Ligariana, erratum eſſe meum, ſed, ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Corfidium perneceſſarium Ligariorum; ſed eum video ante eſſe mortuum. Da igitur, quaeſo, negotium Pharnaci, Antaeo,*

mutata, non ſolum notos tibi, verum etiam probatos viros, qui tecum fuerunt? Atque his iraſcebamur, hos requirebamus, his nonnulli etiam minabantur. Conſerva igitur tuis ſuos, ut, quemadmodum cetera, quae dicta
XII ſunt a te, ſic hoc veriſſimum reperiatur. Quod ſi peni-
34 tus perſpicere poſſes concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum iudicares fuiſſe. An poteſt quisquam dubitare, quin, ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis eſt, qui horum conſenſum conſpirantem et paene conflatum in hac prope aequalitate fraterna non noverit? qui hoc non ſentiat, quidvis prius futurum fuiſſe, quam ut hi fratres diverſas ſententias fortunasque ſequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt; tempeſtate abreptus eſt unus, qui, ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis,
35 quos tu tamen ſalvos eſſe voluiſti. Sed ierit ad bellum; diſceſſerit non a te ſolum, verum etiam a fratribus. Hi te orant tui. Equidem quum tuis omnibus negotiis intereſſem, memoria teneo, qualis T. Ligarius quaeſtor urbanus fuerit erga te et dignitatem tuam; ſed parum eſt me hoc meminiſſe; ſpero etiam te, qui obliviſci nihil

---

Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur. Sed videntur, inquit Ern. ad h. l. iam nimis multa exempla clariſſimae orationis facta fuiſſe, ut id fieri non poſſet.

requirebamus, non ut eos occideremus, ſed abſentes accuſabamus, quomodo dicitur *prudentiam tuam requiro*, quia ſcilicet eam non video. *Manut.*

c. XII. §. 34. *quin, ſi — potuiſſet, — futurus fuerit* dictum ut *ſi P. Sextius occiſus eſſet, fuiſtisne ad arma ituri* pro Sext. 38, 81. ubi vid. not. Sic Livius 35, 1. *neque dubium eſt, quin — fuerit, niſi feciſſes.* Cf. 38, 31. 44, 2. 20.

quos tu tamen ſalvos eſſe voluiſti, quamquam a tuis partibus diſceſſerant.

§. 35. *qualis T. Ligarius qu. urb. fuerit*, ſoluto tibi ſtipendio, quod tibi decretum erat Lentulo et Philippo Coſſ. v. ad Div. VII, 1. *Ern.*

qui obliv. nihil ſoles, niſi ini. tanquam honorifici exemplum poſuit Marſus, teſte Quintil. VI, 3, 108. ubi Geſner comparat, quod Cornel. N. narrat de Attico in vit. 25, 11, 5. *Si quam iniuriam acceperat, non malebat ulciſci quam obliviſci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia; quae autem ipſe tribuerat, tam diu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat.*

ſoles, niſi iniurias, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de huius illo quaeſtorio officio cogitantem etiam de aliis quibusdam quaeſtoribus reminiſcentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui 36
tum nihil egit aliud (neque enim haec divinabat) niſi ut tu eum tui ſtudioſum et bonum virum iudicares, nunc a te ſupplex fratris ſalutem petit. Quam huius admonitus officio quum utrisque his dederis, tres fratres optimos et integerrimos non ſolum ſibi ipſos, neque his tot ac talibus viris, neque nobis neceſſariis ſuis, ſed etiam reipublicae condonaveris. Fac igitur, quod de homine 37
nobiliſſimo et clariſſimo, M. Marcello, feciſti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis et huic omni frequentiae probatiſſimis fratribus. Ut conceſſiſti illum ſenatui, ſic da hunc populo, cuius voluntatem cariſſimam ſemper habuiſti, et ſi ille dies tibi glorioſiſſimus, populo

---

de aliis quibusdam, qui tibi adverſati ſunt initio belli civilis. *Manut.*

reminiſcentem recordari. Meminiſſe eſt memoria tenere; *reminiſci*, in memoriam revocare, quod exciderat; *recordari*, revocata conſiderare ſ. contemplari. Vid. Doederlein lat. Synon. I. p. 166 ſq.

tui ſtudioſum. Qui *tui* deletum volunt, ſcire velim, qua auctoritate *ſtudioſum* per ſe apud Ciceronem unquam poni dicant pro Graeco σπουδαῖος. Nam apud illum *ſtudioſus* per ſe ubique eſt litterarum ſtudioſus, quod tota ſeries orationis ſatis indicat, ut de opt. gen. or. 5, 13. epp. fam. XIII, 61. Acad. IV, 31, 98. Tuſc. I, 3. *Studioſiſſimi defenſores* autem Verr. II, 4, 12. ſunt, qui ſummo ſtudio defendunt. Poſt Ciceronis demum aetatem *ſtudioſus, ſtudentes, ſtudere* abſolute, etiam nihil ſignificante ſerie orationis, dici coepta ſunt de litterarum ſtudioſis, ut apud Quintil. Plin. alios. Studioſum Caeſaris fuiſſe T. Ligarium, perſpicitur e §. 35. *Tui* autem, quod Graev. e Colon. recepit, in Erfurt. etiam legi, e Wunderi ſilentio colligo.

§. 36. *condonaveris*, ignoveris et ipſorum cauſa, et ut ab his viris, et neceſſariis tuis etc. gratiam ineas. Idem valent *concedere al. ſenatui*, dare populo, quae mox ſequuntur. De duplici futuro exacto vid. Exc. ad orat. VII. p. 239.

§. 37. *M. Marcello*, qui conſul imprimis id pugnaverat, ne Caeſaris abſentis ratio haberetur. Cic. epp. famil. IV, 4. (CXIV, 7.) *Caeſar, accuſata acerbitate Marcelli — — repente praeter ſpem dixit, ſe ſenatui roganti de Marcello ne hominis quidem cauſa negaturum.*

Romano gratiſſimus fuit, noli, obſecro, dubitare, C. Caeſar, ſimilem illi gloriae laudem quam ſaepiſſime quaerere. Nihil eſt enim tam populare, quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior nec gratior
38 miſericordia eſt. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando; nihil habet nec fortuna tua maius, quam ut poſſis, nec natura tua melius, quem ut velis ſervare quam plurimos. Longiorem orationem cauſa forſitan poſtulat, tua certe natura breviorem. Quare, quum utilius eſſe arbitrer, te ipſum, quam aut me, aut quemquam, loqui tecum, finem iam faciam: tantum te ipſum admonebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis, praeſentibus his omnibus te daturum.

---

§. 38. *Homines enim ad deos.* Gnomen hanc etiam Graecis reperiri in ſcriptoribus, obſervavit Victorius Var. lect. l. XXXV, c. 11. *Heum.*

quam ut poſſis — quam ut velis. Poterat etiam dicere *quam quod potes, quam quod vis.* Sed ſignificare maluit, ut poſſet et vellet, fortuna Caeſaris et natura effectum eſſe. Quintil. VIII, 5, 6 ſq. *Enthymemata maiorem vim accipiunt translatione a communi ad proprium. Nam, quum ſit rectum Nocere facile eſt, prodeſſe difficile, vehementius apud Ovidium Medea dicit: Servare potui; perdere an poſſim, rogas? Vertit ad perſonam Cicero. Nihil habet, Caeſar — quam plurimos. Ita, quae erant rerum, propria fecit hominis.*

Servare et *conſervare* ita inter ſe differre videntur, ut illud ſimpliciter ſit ſalutem alicui dare, hoc proprie facere, ne quis alicui eripiatur, ut c. XI, 32. 33.

te ipſum loqui tecum, te conſilium capere a te ipſo. Sic ad Curionem epp. fam. II, 7. (57, 4.) *tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera; alteri qui melius dare conſilium poſſit, quam tu, non facile inveniri poteſt, tibi vero ipſi certe nemo melius dabit. Manut.*

ORATIO PRO REGE DEIOTARO.

SUMMARIUM SCHUETZII.

Deiotarus nobilis Galatiae ſeu Gallograeciae tetrarches in bellis, quae Romani in Aſia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria gerebant, fideliſſimus imperatorum Romanorum ſocius fuit, eosque opibus et copiis adiuvit. Itaque de eo Sulla, Murena, Servilius, Lucullus, ſaepe honorifice in Senatu praedicaverunt, Pompeius autem eum populi Romani amicum et ſocium fideliſſimum ac benivolentiſſimum iudicavit. Quapropter a Pompeio regno Armeniae minoris donatus et a Senatu Rex eſt appellatus. Exorto inter Caeſarem et Pompeium bello civili Pompeio auxilia miſit, (Caeſ. de B. C. III, 4) ipſe etiam praelio Pharſalico interfuit. Devicto Pompeio ſe in regnum ſuum recepit. Interea Pharnaces Mithridatis filius, qui partem tantum regni paterni, Bosporum Cimmerium a Pompeio acceperat, cupiens recuperare ceteras illius regni partes, Deiotarum abſentem, item Ariobarzanem, aggreſſus eſt, ut illi Armeniam minorem, huic Cappadociam eriperet. Itaque Deiotarus (de bello Alexandr. c. 33) dum Caeſar in Aegypto res gerebat, ad Domitium Calvinum, cui Caeſar Aſiam finitimasque provincias ad-

miniſtrandas tradiderat, venit oratum, ne Armeniam minorem regnum ſuum, neve Cappadociam regnum Ariobarzanis poſſideri vaſtarique pateretur a Pharnace; quo malo niſi liberaretur, imperata ſe facere pecuniamque promiſſam Caeſari non poſſe perſolvere. Itaque Domitius nuntios confeſtim ad Pharnacem miſit, Armenia Cappadociaque decederet; legati reſponſum referunt a Pharnace, Cappadocia ſe deceſſiſſe, Armeniam minorem recepiſſe, quam paterno nomine iure obtinere deberet. Poſtquam aliquantum tempus de pace actum eſt, Domitius adhibitis etiam Deiotari legionibus cum Pharnace conflixit, ſed parum feliciter rem geſſit, et Pontica legione paene tota amiſſa, magna parte Deiotari militum interfecta, reliquiis exercitus diſſipati collectis per Cappadociam ſe in Aſiam recepit. Caeſar poſt bellum Alexandrinum in Syriam ex Aegypto venit. Inde quum propius Pontum ad fines Gallograeciae acceſſiſſet, rex Deiotarus (de bello Alexandrino c. 67.) depoſitis regiis inſignibus, neque tantum privato veſtitu, ſed etiam reorum habitu, ſupplex ad Caeſarem venit oratum, ut ſibi ignoſceret, quod in ea parte poſitus terrarum, quae nulla praeſidia Caeſaris habuiſſet, excitus imperiis in Pompeii caſtris fuiſſet; neque enim ſe iudicem debuiſſe eſſe controverſiarum populi Romani, ſed parere praeſentibus imperiis. Contra quem Caeſar quum plurima ſua commemoraſſet officia, quae conſul ei decretis publicis tribuiſſet, quumque defenſionem eius nullam poſſe excuſationem eius imprudentiae recipere coarguiſſet, quod homo tantae prudentiae ac diligentiae ſcire potuiſſet, quis urbem Italiamque teneret, ubi ſenatus populusque Rom., ubi res publica eſſet, quis deinde poſt L. Lentulum, C. Marcellum conſul eſſet, tamen ſe concedere id factum ſuperioribus beneficiis, veteri hoſpitio atque amicitiae, dignitati aetatique hominis, precibus eorum qui frequentes concurriſſent hoſpites atque amici ad deprecandum; de controverſiis tetrarcharum poſtea ſe cogniturum eſſe dixit; regium veſtitum ei reſtituit. Legionem autem eam, quam ex genere civium ſuorum Deiotarus armatura diſciplinaque Romana conſtitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere iuſſit. Poſtea vero bello Pontico confecto, Caeſar Armeniam maiorem et partem Gallograeciae a Deiotaro occupatam ei ademit, et hanc quidem Mithridati Pergameno, quem regem Bospori conſtituerat, attribuit; reliquam Gallograeciae partem, quam Deiotarus iure paterno poſſederat, nomenque regium ei conceſſit.

A. U. C. 708. poſtquam Caeſar ex Hiſpania Romam redierat, Caſtor Deiotari ex filia, quae Saocondario nupſerat, nepos, Deiotarum apud Caeſarem accuſavit, eum, quum Caeſarem hoſpitio accepiſſet, ei inſidias feciſſe, eumque domi ſuae interficere voluiſſe. Huic accuſationi ut ſocius accederet, Caſtor Phidippum avi Deiotari ſervum medicum praemiis corruptum impulit. Legati Deiotari cauſam ad Ciceronem detulerunt; qui regem antiquum hoſpitem et amicum inter parietes domeſticos coram Caeſare hac oratione defendit.

In exordio Cic. ait ſe in hac cauſa compluribus de cauſis initio dicendi vehementer conturbari. Primum quod ſibi pro capite fortunisque regis, et eius quidem regis dicendum ſit, quem antea ſolitus ſit cuncto cum ſenatu ornare. Deinde accuſatorum alterius (Caſtoris) crudelitate, alterius (Phidippi) indignitate perturbari, quod de facinore contra vitam Caeſaris apud eum ipſum iudicem dicendum ſit, in

quo tamen Caesaris humanitate se levari metumque minui ostendit. Denique se loci ipsius insolentia moveri, quod non in foro, sed intra domesticos parietes dicturus sit. c. 1. 2.

Iam antequam de accusatione ipsa dicat, pauca se de spe accusatorum dicturum denuntiat. Nimirum eos quum Deiotaro Caesarem olim iratum fuisse, illumque ab eo quibusdam incommodis ac detrimentis affectum esse meminissent, fore speraisse ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Itaque Cicero Caesarem orat et obsecrat, ut eos qui Deiotaro bene cupiant metu liberet, ne residere in se ullam partem iracundiae suspicentur. Simul Deiotarum, quod a Pompeii partibus steterit, excusat, eumque post praelium Pharsalicum omnibus Caesaris utilitatibus paruisse ostendit. c. 3 — 5.

Quod igitur Deiotarus domi suae Caesarem interficere voluisse arguatur, Cic. ostendit tam atrox facinus nullo modo in Deiotari prudentiam et probitatem cadere, totumque crimen ab accusatoribus non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem confingi. c. 6. 7. Deinde Cic. refutat id quod accusatores dixerant, Deiotarum exercitum contra Caesarem comparasse, c. 8. et alieno ab eo animo semper in speculis fuisse c. 9. in quo simul graviter in Castoris inhumanitem atque immanitatem in hac avi accusatione proditam invehitur. c. 10. 11. Postremo hoc maledictum diluit, quod accusator obiecerat Blesamium ad Deiotarum scribere solitum, Caesarem in invidia esse, tyrannum existimari, statua eius inter reges posita animos hominum vehementer offensos esse, plaudi ei non solere; ostenditque ea omnia ex urbanis malivolorum sermunculis esse collecta. c. 12.

In peroratione id agit, ut plane Deiotarum Caesari reconciliet, virtutes regis collaudando, negandoque eum Caesari succensere, denique huius clementiam et mansuetudinem implorando. c. 13 — 15.

Habita est oratio mense circiter Octobri vel Novembri A. U. C. 708. eamque Cicero conscriptam mense Decembri misit ad Dolabellam (Epp. ad Fam. IX. 12.) quem rogat, ut eam sic legat, ut causam tenuem et inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed hospiti veteri et amico Deiotaro munusculum mittere voluisse levidense, crasso filo, cuiusmodi ipsius soleant esse munera.

Ceterum iam antea M. Brutus Nicaeae Deiotarum coram Caesare defenderat, et valde vehementer ac libere dixerat. (Epp. ad Att. XIV. 1.) —

M. TULLII CICERONIS

ORATIO PRO REGE DEIOTARO.

1 Quum in omnibus cauſis gravioribus, C. Caeſar, initio
1 dicendi commoveri ſoleam vehementius, quam videtur vel uſus vel aetas mea poſtulare, tum in hac cauſa ita me multa perturbant, ut, quantum mea fides ſtudii mihi afferat ad ſalutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite fortunisque regis, quod ipſum etſi non iniquum eſt in tuo duntaxat periculo, tamen eſt ita inuſitatum, regem capitis
2 reum eſſe, ut ante hoc tempus non ſit auditum. Deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum ſenatu ſolebam, pro perpetuis eius in noſtram rempublicam meritis

C. I. §. 1. *Quum ſoleam — tum.* Vid. ad Roſc. §. 16. De timore vid. Cicer. divin. in Caecil. c. 13 in. pro Cluent. 18, 51. Cauſam timoris ipſe reddit ex perſona L. Craſſi de orat. I, 26.

in tuo duntaxat periculo, quia in Caeſaris periculo tota resp. periclitabatur. *duntaxat*, ſaltem. Vid. ad Mil. c. II. §. 5.

§. 2. *pro perpetuis eius meritis.* de haruſp. reſp. 13, 29. *Deiotarus — quem unum habemus in orbe terrarum fideliſſimum huic imperio atque amantiſſimum noſtri nominis.* et paulo poſt: *Dei. ſaepe a ſenatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum imperatorum teſtimoniis ornatum — —* Phil. XI, 33. *Quid de patre Deiotaro dicam? cuius benevolentia in pop. R. eſt ipſius aequalis aetati, qui non ſolum ſocius imperatorum noſtrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum ſuarum.* Cf. ib. §. 34. 12, 31.

nunc contra atrociſſimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accuſatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber. Crudelem Caſtorem, ne dicam ſceleratum et impium, qui nepos avum in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiaeque ſuae terrorem intulerit ei, cuius ſenectutem tueri et tegere debebat, commendationemque ineuntis aetatis ab impietate et ſcelere duxerit, avi ſervum corruptum praemiis ad accuſandum dominum impulerit et a legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi 3
autem dominum accuſantis, et dominum abſentem, et dominum amiciſſimum noſtrae reipublicae, quum os videbam, quum verba audiebam, non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimeſcebam. Nam, quum more maiorum de ſervo in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat, in qua quaeſtione dolor veram vocem elicere poſſit, etiam ab invito, exortus eſt ſervus, qui, quem in eculeo appellare non poſſet, eum accuſet ſolutus. Perturbat me, C. Caeſar, II etiam illud interdum, quod tamen, quum te penitus 4

Accedit, ut. vid. ad Roſc. §. 86. Recte Zumpt. gramm. lat. §. 622. comparat locutiones *ſequitur ut, efficitur ut.*

alterius crudel. Caſtoris. *alter. indign.* Phidippi, ſervi medici.

adoleſcentiae ſuae terrorem, terrorem a ſua adoleſcentia ſ. a ſe adoleſcente, profectum Similiter pro Sextio §. 23. *omnibus modis animi et corporis devorabat.*

legatorum, quibuscum ad dominum defendendum venerat. Servi autem dicuntur eſſe *ad* ſ. *circum pedes* domini, i. e. pediſſequi. ad Att. VIII, 5. *Pollicem, ſervum a pedibus meis, Romam miſi.* (At vid. Handii Turſellin. I. p. 59.) Verr. I, 36, 92. *habebat circum pedes homines formoſos et litteratos.*

§. 3. *os*, quo impudentiam prae ſe ferebat. Cf. ad Roſc. §. 87.

de ſervo in dom. Vid. ad Milon. §. 59.

accuſet. Vid. ad Catil. IV. §. 17. Incepit ſententiam, tanquam de univerſo genere locuturus eſſet, in quo dicendum erat *accuſaret*, ut antea *poſſet*, ſed ſubito rem univerſam, ad certam perſonam, Phidippi, et tempus praeſens revocat. Ita *exortus eſt* reſpondet Graecorum perfecto, *ἀναπέφανται*, non aoriſto.

c. II. §. 4. *Perturbat me etiam illud interdum.* debebat ſequi: quod dicere apud eum de facinore — grave eſt. Sed pro hoc ſententiam cauſalem poſuit: *Nam dicere apud eum de f.* Vide ad Manil. §. 19. ad Roſc. §. 15.

recognovi, timere defino: re enim iniquum eſt, ſed tua ſapientia fit aequiſſimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam conſilium facinoris iniſſe arguare, ſi per ſeipſum conſideres, grave eſt: nemo enim fere eſt, qui ſui periculi iudex non ſibi ſe aequiorem, quam reo, praebeat. Sed tua, C. Caeſar, praeſtans ſingularisque natura hunc mihi metum minuit: non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quam intelligo, 5 quid de te ceteros velis iudicare. Moveor etiam loci ipſius inſolentia, quod tantam cauſam, quanta nulla umquam in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conventum et eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent; in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquieſco; te unum intueor; ad te unum omnis mea ſpectat oratio; quae mihi ad ſpem obtinendae veritatis graviſſima ſunt, ad motum animi et ad omnem 6 impetum dicendi contentionemque leviora. Hanc enim, C. Caeſar, cauſam ſi in foro dicerem, eodem audiente et diſceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concurſus afferret? Quis enim civis ei regi non faveret, cuius omnem aetatem in populi Romani bellis conſumptam eſſe meminiſſet? Spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique teſtarer ipſum. Sic, quum et deorum immortalium et populi Romani et ſenatus beneficia in regem Deiotarum recordarer, nullo modo mihi deeſſe 7 poſſet oratio. Quae quoniam anguſtiora parietes faciunt, actioque cauſae maxime debilitatur loco, tuum eſt, Cae-

---

§. 5. *in qua or. ſt. niti ſ.* Uſitatius abeſſet *in*; ſed ſunt tamen alia exempla, ut Mil. 7. *Ern.*

in tuis oculis — acquieſco, non tam eſt gaudeo, delector, quam tuos oculos, indices benevolentiae tuae, quum intueor timere deſino. Cf. ad Milon. §. 102.

ad ſpem obt. verit. grav. ſunt, i. e. maxime efficiunt ut ſperem fore ut verit. obtineam. *Veritatem obtinere* autem eſt defendendo efficere ut veritas in luce ponatur et omnibus appareat.

ad motum animi — leviora, quatenus ad magnum animi modum excitandum non valent, ad quem graviſſima eſt corona populi.

§. 6. *beneficia — recordarer* i. e. oratione commemorarem; antecedens eſt pro conſequente. *Ern.*

§. 7. *actioque cauſae — loco.* Similiter Quintilian. loquitur in dial. de cauſis corr. eloqu. c. 39, 5 et 7. *Heum.* Cuius dialogi auctorem qui Tacitum eſſe pugnant, ſimilitudine dicti alicuius confiſi, videant, ne eidem ſcriptori duas, easque diverſiſſimas perſonas imponant, cuius ancipitis ingenii nullum aliud exemplum exſtet: nihil enim Taciti dictioni diſſimilius eſſe poteſt ea, quae in dialogo regnat.

ſar, qui pro multis ſaepe dixiſti, quid nunc mihi animi ſit, ad te ipſum referre, quo facilius tum aequitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

Sed antequam de accuſatione ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam; qui quum videantur neque ingenio, neque uſu atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc cauſam non ſine aliqua ſpe et cogitatione venerunt. Iratum te regi Deiotaro fuiſſe non erant neſcii, affectum III illum quibusdam incommodis et detrimentis propter of- 8 fenſionem animi tui meminerant, teque quum huic iratum, tum ſibi amicum cognoverant; quumque apud ipſum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen inſideret. Quamobrem hoc nos primum metu, C. Caeſar, per fidem et conſtantiam et clementiam tuam libera, ne reſidere in te ullam partem iracundiae ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti, iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis et in proeliis, quam in promiſſis et fide, firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hoſpitium renovare voluiſti; te eius dii penates acceperunt; te amicum et placatum Deiotari regis

---

ad te ipſum referre nihil eſt, niſi tecum cogitare ac reputare, quid tibi animi foret, ſi ſic tibi dicendum eſſet. *Ern.*

c. III. §. 8. *quibusdam incommodis.* de divin. II, 37, 79. Deiotarus *Caeſarem eodem tempore hoſtem et hoſpitem vidit. — Is quum ei Trocmorum tetrarchiam eripuiſſet — eidemque detraxiſſet Armeniam a ſenatu datam, — ſpoliatum reliquit et hoſpitem et regem.* Cf. I, 15, 27. Phil. II, 37, 94. Hirt. de b. Alex. c. 78.

non tam in bellis etc. Conſtructio e duabus mixta, altera, *non tam in bellis, quam in promiſſis, firmam*, altera, *non in bellis, quam in prom. firmiorem.* Similes ſunt conſtructiones graecae, quas commemoravi Gramm. gr. §. 455. b. c. d. Simile etiam illud Ciceronis de orat. III, 15, 56. *non tam fortaſſe docti, ſed impetu mentis ſimili et voluntate.* quaſi non praeceſſiſſet *tam.* Cf. Fin. I, 1. Leg. I, 14, 40. Manus autem *firma in proeliis* eſt valida ad proſternendos hoſtes, *in promiſſis*, qua confidere licet.

9 arae focique viderunt. Quum facile exorari, Caesar, tum semel exorari soles; nemo umquam te placavit inimicus, qui ullas resediſſe in te simultatis reliquias senserit. Quamquam cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae tuae? numquam tu illum accusaviſti, ut hostem, sed ut amicum officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeii amicitiam fuiſſet, quam in tuam. Cui tamen ipsi rei veniam te daturum fuiſſe dicebas, si tantum auxilia Pompeio vel etiam filium miſiſſet, ipse excusatione aetatis usus esset. Ita quum maximis eum rebus liberares, per-
10 parvam amicitiae culpam relinquebas. Itaque non solum in eum non animadverſti, sed omni metu liberaviſti, hospitem agnoviſti, regem reliquiſti: neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is rex, quem senatus hoc nomine saepe honorificentiſſimis

§. 9. *semel exorari*, ita ut non, ab eo exoratus, sententiam mutes. Nostri dicunt, *semel pro semper*. Quint. I, 2, 24. *Nec de hoc semel decretum erat; triceſimus dies reddebat victo certaminis potestatem*. Cf. infra §. 39. qua vi positam vocem cum Heum. ad c. 14 puto etiam de offic. III, 15, 62. Alia exempla suppeditat Abram. ad c. XIV.

placavit, qui — senserit. Vid. ad Manil. §. 51.

cum Deiotaro quer. tuae. Latini dicunt *queri cum aliquo*, hoc est exprobrare alicui acceptam iniuriam. epp. fam. VII, 27. *Quod si humaniter mecum questus esses, libenter tibi me et facile purgaſſem*. Heum. Cf. ibid. IV, 5. Att. VI, 7. X, 8. Acad. IV, 25, 81. Hos locos suppeditavit Gesneri Thes., qui explicat expostulare cum aliquo. Caesaris autem cum Deiotaro querelae fusius expositae sunt ab auctore b. Alex. c. 67. sq.

maximis rebus, hostili odio. *Manut.*

amicitiae neglectae vel violatae *culpam*. Nam accusabat eum *ut amicum officio parum functum*. Sic *M. Attilius de maiestate damnatus est* Verr. act. I, 13, 39. nimirum de mai. imminuta, quomodo intelligenda est etiam *culpa maiestatis* Verr. V, 17, 42. *ea fuit merces imperii* non exercitii, *auxilii* non praestiti, *iuris* non observati, *consuetudinis* violatae, *foederis* neglecti ibid. 23, 59. Vid. ad Rosc. §. 111.

§. 10. *progressus* ad aliquid moliendum, additum est concinnitatis causa, ne, quum in sqq. *errore communi* additum haberet *lapsus*, *odio tui* suo participio fraudaretur.

quem sen. — appellaviſſet, i. e. quem sen. — appellaverat et quum — appellaviſſet. Haec enim causa est, cur Dei. senatui parendum existimarit.

decretis appellaviſſet, quique illum ordinem ab adolescentia graviſſimum sanctiſſimumque duxiſſet, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus et alienigena, quibus nos in media republica nati semperque versati. IV
Quum audiret senatus consentientis auctoritate arma sum- 11
pta, consulibus, praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus rempublicam defendendam datam, movebatur animo, et vir huic imperio amiciſſimus de salute populi Romani extimescebat, in qua etiam suam inclusam esse videbat; in summo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. Maxime vero perturbatus est, ut audivit, consules ex Italia profugiſſe, omnesque consulares, (sic enim nuntiabatur) cunctum senatum, totam Italiam esse effusam: talibus enim nuntiis et rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri subsequebantur. Nihil ille de conditionibus tuis, nihil de studio concordiae et pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. Quae quum ita essent, tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompeio ad eum legati litte- 12
raeque venerunt. Ignosce, ignosce, Caesar, si eius viri auctoritati rex Deiotarus cessit, quem nos omnes secuti sumus, in quem quum dii atque homines omnia orna-

c. IV. §. 11. *consulibus praet.* Cic. epp. fam. XVI, 11. (76, 6.) *Postea quam senatus coss. praett. tribb. pl. et nobis, qui pro coss. sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid resp. detrimenti caperet, numquam maiore in periculo civitas fuit*. Cf. Caes. b. civ. I, 5.

consules ex Italia profugiſſe, Phil. II, 22, 54. narrat *coss. ex Italia excussos cumque his Cn. Pompeium, — omnes consulares, qui per valetudinem exsequi cladem illam fugamque potuiſſent, praetores, praetorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem iuventutis, unoque verbo, remp. expulsam atque exterminatam suis sedibus.*

de conditionibus tuis. epp. fam. XVI, 12. (79, 4.) *Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pomp. eat in Hispaniam, delectus, qui sunt habiti, et praesidia nostra dimittantur, se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano traditurum; ad consulatus petitionem se venturum, neque se iam velle, absente se, rationem haberi sui; se praesentem trinum nundinum petiturum*. Cf. Caes. b. civ. I, 9.

certorum hominum, C. Marcelli, L. Lentuli, L. Domitii, P. Scipionis, Catonis. Cf. Caes. b. civ. I, 4.

se tenuit, retinuit, quo minus ad bellum proficiscereturs.

menta congeſſiſſent, tum tu ipſe plurima et maxima: neque enim ſi tuae res geſtae ceterorum laudibus obſcuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeii memoriam amiſimus. Quantum nomen eius fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi Romani, quanti ſenatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille ſuperiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praeſtitiſti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, conſulatus admirantes numerabamus, tuos enumerare non
v poſſumus. Ad eum igitur rex Deiotarus venit hoc mi-
13 ſero fatalique bello, quem antea iuſtis hoſtilibusque bellis adiuverat, quocum erat non hoſpitio ſolum, verum etiam familiaritate coniunctus; et venit vel rogatus, ut amicus, vel arceſſitus, ut ſocius, vel evocatus, ut is, qui ſenatui parere didiciſſet; poſtremo venit, ut ad fugientem, non ut ad inſequentem, id eſt, ad periculi, non ad victoriae ſocietatem. Itaque, Pharſalico proelio facto, a Pompeio diſceſſit; ſpem infinitam perſequi noluit; vel officio, ſi quid debuerat, vel errori, ſi quid neſcierat, ſatisfactum eſſe duxit; domum ſe contulit, teque Alexandrinum bel-

---

§. 12. *tanto ille — praeſtitiſti.* Plus eſt *omnibus*, qui ubique ſunt, quam *ſuperioribus* praeſtare. *Praeſtitiſti* autem virtutibus tuis, rebus geſtis; quod plus eſt quam gloria alios vincere.

c. V. §. 13. *evocatus. Evocati* dicebantur milites, qui exactis legitimis ſtipendiis, mercede vel praemio propoſito iterum ad militiam vocabantur, non cogebantur, ſed quum parebant ſenatus vel imperatoris auctoritati, obſequioſos tamen ſe praeſtabant. Agroetius apud Abram. *Advocatus daturus patrocinium; invocatus praeſtaturus auxilium; evocatus praebiturus obſequium.* Dio Caſſ. 45, 12. Lipſ. de milit. Rom. I, 8.

ut ad fugientem, ex Italia in Graeciam.

ſpem infinitam, poſitam in bello, quod quando finem habiturum eſſet, incertum erat.

ſatisfactum eſſe duxit, ut mox *hoſtem eſſe duxit ſuum.* Vid. ad Mil. §. 22. *Satisfacere* autem *errori* eſt ſatis errare, nec longius in errore progredi vel perſeverare. Alias eſt deprecari. Non eſt autem *zeugma*, qua in forma dicendi verbum commune ad proximum vocabulum ſe applicat eique convenit, non ad remotius.

utilitatibus tuis paruit, fecit quidquid utilitates tuae poſtulabant, expl. Manut.

lum gerente, utilitatibus tuis paruit. Ille exercitum Cn. 14
Domitii, ampliſſimi viri, ſuis tectis et copiis ſuſtentavit; ille Epheſum ad eum, quem tu ex tuis fideliſſimum et probatiſſimum omnibus delegiſti, pecuniam miſit; ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum utereris; ille corpus ſuum periculo obiecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hoſtem eſſe duxit ſuum. Quae quidem a te in eam partem accepta ſunt, C. Caeſar, ut eum ampliſſimo regis honore et nomine affeceris.

Is igitur non modo a te periculo liberatus, ſed etiam 15
honore ampliſſimo ornatus, arguitur domi te ſuae interficere voluiſſe. Quod tu, niſi eum furioſiſſimum iudicas, ſuſpicari profecto non potes. Ut enim omittam, cuius tanti ſceleris fuerit in conſpectu deorum penatium necare hoſpitem, cuius tantae importunitatis omnium gentium atque omnis memoriae clariſſimum lumen exſtinguere,

---

§. 14. *Cn. Domitii* Calvini, qui coſ. fuerat cum M. Meſſala a. u. 700. Eum Caeſar Aſiae praefecerat infr. §. 25.

copiis ſuſtentavit, duabus legionibus et equitibus centum, ut narrat auctor b. Alex. 54. vitae ſubſidiis, cibo potuque explicat Heumann. Sermo autem eſt de bello, quod Domitius contra Pharnacem, Ponti regem, Mithridatis filium pro Caeſare geſſit. Vid. de b. Alex. c. 35. ſqq.

ad eum, quem tu — delegiſti. Sext. Caeſarem intelligit Abram. ob locum Dionis Caſſ. 47, 26. *ἦρχε δὲ τῶν Σύρων Σέξτος· τούτῳ γὰρ καὶ ταμίᾳ καὶ συγγενεῖ αὐτοῦ ὄντι ὁ Καῖσαρ πάντα τὰ τῇδε κατὰ τὴν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἐπὶ τὸν Φαρνάκην ἔλασιν ἐπέτρεψεν.*

iterum in bello contra Pharnacem geſto, *tertio*, Africano. *Manut.*

in acie contra Pharnacem. Vid. de b. Alex. c. 68.

tuumque hoſtem eſſe duxit ſuum. Modus hic loquendi lepore non caret; cui ſimilis ille pro Mil. 32, 88. *Caeſaris potentiam ſuam eſſe dicebat.* et in eadem 36, 100. *qnid habeo, quod faciam pro tuis in me meritis, niſi ut eam fortunam, qnaecumque erit tua, ducam meam?* Nec diſſimilis ille ad Lentulum (epp. fam. I, 9 = 41, 26) *meumque inimicum unum in civitate haberet inimicum. Manut.* Cf. Pareus lex. crit. p. 389 ſq. citatus ab Heumann.

§. 15. *importunitatis*, atrocitatis omni ſenſu honeſti et decori deſtitutae, et loci, temporis, perſonarum nullam rationem habentis. *Ferocitas* eſt eius, qui nimium viribus ſuis confidit.

cuius tantae ferocitatis victorem orbis terrarum non extimescere, cuius tam inhumani et ingrati animi, a quo rex appellatus esset, in eo tyrannum inveniri; ut haec omittam, cuius tanti furoris fuit omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias, omnia denique omnium arma contra se unum excitare? Quonam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum cariſſimo filio diſtractus esset, tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato?
VI At, credo, haec homo inconsultus et temerarius non
16 videbat. Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto. Nota tibi est, C. Caesar, hominis probitas, noti mores, nota constantia. Cui porro, qui modo populi Romani nomen audivit, Deiotari integritas, gravitas, virtus, fides non audita est? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset propter metum praesentis exitii, nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro optimo et ab homine
17 minime stulto cogitatum esse confingitis. At quam non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem!

---

in eo tyr. inven. Vid. ad Sext. §. 7. Alia exempla affert Wernsd. ad h. l. p. 261.

cum regno — distractus esset, crudelissime habitus; species enim ponitur pro vocabulo generis. Dictum autem est, ut pro Sext. 26, 57. *cum purpura et sceptro vendi. Distrahi* est discerpi; discerptus autem esset omnium gentium armis, ut loquitur infra §. 18.

non modo perfecto i. e. ne dicam perf. Vid. ad Sext. §. 108.

c. VI. §. 16. *quis tectior*, i. e. cautior, ut Phil. XIII, 3, 6. *cautioribus utitur consiliis, in posterum providet, est omni ratione tectior* (al. *protectior*). Cf. ad Rosc. §. 116.

ab homine minime stulto exiguam videtur laudem significare, quum tamen summam significet: est enim *minime stulto* pro sapientissimo. Simile illud ad Cassium (epp. fam. XII, 4.) *Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non insulsis, quod tibi tam cito succederet.* Et pro Cluent. (26, 72.) *itaque minime amarus is visus est, qui aliquid ex eius sermone speculae degustarat. Manut.* Cf. Cort. ad Sall. Catil. 5, 1. Bentl. ad Horat. Sat. II, 3, 158.

§. 17. *ne suspiciose quidem*, ne ita quidem, ut suspicioni locus sit. Cf. ad Rosc. §. 76.

Quum, inquit, in castellum Luceium veniſſes, et domum regis, hospitis tui, devertiſſes, locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. Huc te e balneo, prius quam accumberes, ducere volebat: ibi enim erant armati, qui te interficerent, in eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset. Ego mehercule, C. Caesar, initio, quum est ad me ista causa delata, Phidippum medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornavit; finget videlicet aliquod crimen veneni. Etsi a veritate longe, tamen a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de 18
veneno. At id fieri potuit, primo occultius in potione, vel in cibo; deinde etiam impunius fit, quod, quum est factum, negari potest. Si palam te interemisset, omnium

---

Quum in castellum Luc. veniſſes et devertiſſes iungenda statim cum *huc te e balneo — ducere volebat*, ut verba *locus erat quidam — constituerat* tanquam in parenthesi posita sint, ut poetae et historici tum Romani tum Graeci locum et tempus ante ea, quae eo gesta sunt, memorare solent. *Cast. Luceium* Orellio corruptum esse videtur ex eo, quod apud Strab. XII. p. 567 est *Βλούκιον. Τολιστοβόγιοι δὲ ὅμοροι Βιθυνοῖς εἰσι καὶ τῇ ἐπικτήτῳ καλουμένῃ Φρυγίᾳ· φρούρια δ' αὐτῶν ἐστι τό τε Βλούκιον καὶ τὸ Πήϊον· ὧν τὸ μὲν ἦν βασίλειον Δηϊοτάρου, τὸ δὲ γαζοφυλάκιον.* Ceterum *castellum* h. l. non tantum, castellum, quod proprie dicitur, significare videtur, quam omnia aedificia eodem pertinentia: nam distinguitur *domus regis*. At §. 21. est *castellum* quod proprie vocatur.

composita, dispositа, ut or. I, 31, 142. *inventa — dispensare et componere.*

Ibi enim erant. vid. not. crit.

quum est ad me ista causa delata, et delatum *Phidippum — esse corruptum.* Vid. ad Sext. §. 53. Mil. §. 47.

sum percussus. Aliud est *percellere animum*, in stuporem rapere aut consternare, aliud *percutere animum*, quod est suspicionem in animo movere. Cic. IV ad Att. 8. *Audivi ex Gavio hoc Firmano, Romae esse hominem et fuisse assiduum; percussit animum.* Terent. Andr. I, 1, 98. *Sororem esse aiunt Chrysidis. Percussit illico animum. Graev.* Al. *perculsus.* Cf. Bentlei. ad Horat. epod. 11, 2. Ruhnken. ad Terentii locum.

in se gentium non solum odia, sed etiam arma converti-
ssent; si veneno, Iovis illius quidem hospitalis numen
numquam celare potuisset, homines fortasse celavisset.
Quod igitur et occultius conari et efficere cautius potuit,
id tibi, et medico callido et servo, ut putabat, fideli,
non credidit? de armis, de ferro, de insidiis celare te
19 noluit? At quam festive crimen contexitur? Tua te,
inquit, eadem, quae semper, fortuna servavit; negavisti
VII tum te inspicere velle. Quid postea? an Deiotarus, re
illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum?
nullus erat alius insidiandi locus? At eodem te, quum
cenavisses, rediturum dixeras; itaque fecisti. Horam
unam aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerunt,
retinere magnum fuit? Quum in convivio comiter et
iucunde fuisses, tum illuc isti, ut dixeras. Quo in loco
Deiotarum talem erga te cognovisti, qualis rex Attalus in
P. Africanum fuit; cui magnificentissima dona, ut scriptum
legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia, quae Africa-
nus, inspectante exercitu, accepit. Quod quum praesens
Deiotarus regio et animo et more feciſſet, tu in cubiculum
20 discessisti. Obsecro, Caesar, repete temporis illius memori-
am, pone illum ante oculos diem, vultus hominum te intu-
entium atque admirantium recordare. Num quae trepida-
tio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi
quiete, nisi ex hominis gravissimi et sanctissimi disciplina?
Quid igitur causae excogitari potest, cur te lautum vo-
21 luerit, cenatum noluerit occidere? In posterum, inquit,
diem distulit, ut, quum in castellum Luceium ventum
esset, ibi cogitata perficeret. Non video causam loci mu-

---

§. 18. *Quod igitur — non credidit? de armis — noluit?* Duplex interrogatio argumentationis vim habet: quum id, quod et occultius conari et efficere cautius potuit, id tibi (Phid. medicum alloquitur, ut recte iam Manut.) credere s. committere noluerit, multo minus verisimile est eum de armis, quibus manifesta vis infertur, te celare noluisse.

§. 19. *crimen contexitur.* Simile est quod Graeci dicunt, *ῥάπτειν δόλον, κακά, θάνατον.*

c. VII. *exercitum* cum irrisione vocat milites in insidiis collocatos, ut Terentianus Thraso, quum domum Thaidis servulis suis oppugnasset, infecta re discedens, Eun. IV, 7, 44. *iam dimitto exercitum*, inquit; quem locum comparavit Victor. V. L. XV, 6.

rex Attalus, imo Antiochus. vid. Liv. epit. 57.

tandi; sed tamen acta res criminose est. Quum, inquit,
vomere te post coenam velle dixisses, in balneum te du-
cere coeperunt: ibi enim erant insidiae. At te eadem
tua fortuna servavit; in cubiculum te ire malle dixisti.
Dii te perduint, fugitive! ita non modo nequam et im-
probus, sed fatuus et amens es. Quid? ille signa aenea
in insidiis posuerat, quae e balneo in cubiculum trans-
ferri non possent? Habes crimina insidiarum: nihil enim
dixit amplius; horum, inquit, eram conscius. Quid tum?
ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sce-
leris habebat, a se dimitteret? Romam etiam mitteret,
ubi et inimicissimum sciret esse nepotem suum, et C. Cae-
sarem, cui feciſſet insidias? praesertim quum is unus es-
set, qui posset de absente se indicare? Et fratres meos, 22
inquit, quod erant conscii, in vincula coniecit. Quum
igitur eos vinciret, quos secum habebat, te solutum Ro-
mam mittebat, qui eadem scires, quae illos scire dicis?

Reliqua pars accusationis duplex fuit; una, regem VIII
semper in speculis fuisse, quum a te animo esset alieno,

---

§. 21. *vomere*, quod et antiquis usitatum fuit et ipsi potissimum Caesari, ut in epist. ad Attic. Moris autem erat, ut, quum vomere cogitarent, largo coenam sumerent. *Manut.* ad Att. XIII, 52. de Caesare: *accubuit; ἐμετικὴν agebat. Itaque et edit et bibit ἁδεῶς et iucunde, opipare sane et apparate.*

signa aenea, ac non homines potius.

Habes crimina insidiarum cum aliqua ironia dictum est, inquit Manut. pro haec sunt crimina omnia insidiarum.

praesertim quum. E praecedentibus assumendum: non mitteret eum Romam, praesertim quum etc. vid. ad Mil. §. 81. or. pro Arch. IX, 19.

de absente se indicare, fere ut pro Flacc. 37, 92. *quis tibi de epistolis istis indicavit?* Cf. Sallust. Catil. 48, 4. *de absente se*, quo periculosior erat accusatio, quum non posset crimina in se congesta praesens diluere.

§. 22. *quae illos scire dicis*, non, *sciisse*: nam adhuc sciebant, et est idem quod *quae illi sciebant, ut dicis.*

c. VIII. *in speculis fuisse*, diligenter observasse, an quid adversi Caesari accideret, ut ea opportunitate usus ab eo deficeret. Cf. §. 25. Verr. Act. I, 16. *Nunc autem homines in speculis sunt; observant* etc. Imprimis accommodatus est locus Tertulliani apolog. c. 35. quem citat Abram. *Cui autem opus est perferutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus*

altera; exercitum eum contra te magnum comparaſſe. De exercitu dicam breviter, ut cetera. Numquam eas copias rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum populo Romano poſſet, ſed quibus fines ſuos ab excurſionibus hoſtium et latrociniis tueretur et imperatoribus noſtris auxilia mitteret. Atque antea quidem maiores co-
23 pias alere poterat, nunc exiguas vix tueri poteſt. At miſit ad Caeciliũm neſcio quem; ſed eos, quos miſit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit. Non quaero, quam veriſimile ſit, aut non habuiſſe regem, quos mitteret, aut eos, quos miſiſſet, non paruiſſe, aut, qui dicto audientes in tanta re non fuiſſent, eos vinctos potius, quam necatos fuiſſe. Sed tamen quum ad Caecilium mittebat, utrum cauſam illam victam eſſe neſciebat, an Caecilium iſtum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime noſtros homines novit, vel quia
24 noſſet, vel quia non noſſet, contemneret. Addidit etiam illud, equites non optimos miſiſſe. Veteres, credo, Caeſar. Nihil ad tuum equitatum. Sed miſit ex iis, quos habuit, delectos. Ait neſcio quem ex eo numero ſervum iudicatum. Non arbitror; non audivi. Sed in eo, etiam ſi accidiſſet, culpam regis nullam fuiſſe arbitrarer.

---

illam cogitatur aut optatur, aut poſt illam ſperatur et ſuſtinetur? non enim ea mente de caris conſulitur, qua de dominis.

Q. Caecilium Baſſum, Pompeianarum partium ducem, qui, rumoribus ſparſis de clade Caeſaris in Africa accepta, Syriae imperium occupavit, donec a Caſſio eiectus eſt. Cic. epp. fam. XII, 11, 12. Vid. Dio Caſſ. 47, 26. Strabo XIV. p. 752. Appian. b. civ. III, 77 ſq. IV, 58 ſq. Liv. epit. l. 114.

§. 23. *cauſam illam.* Pompeianam.

is qui optime n. h. novit, Deiotarus.

contemneret, nim. ſi in eum incideret, vel ſimile quid. *Contemneret* autem eſt tantam ei rem minime committendam duceret, ut explicat Manut., *quia noſſet*, ut hominem mediocrem vel nihili, *quia non noſſet*, qui tamen optime Romanos homines norat.

§. 24. *Addidit* accuſator, eum *equites non optimos miſiſſe* contra Pharnacem.

Veteres, credo, Caeſar. Obſerva charientiſmum et ironiam, cuius index verbum *credo*. En paraphraſin! Quum dicis, Deiotarum ad Caeſarem miſiſſe milites non optimos, videris ſignificare, veteres ab eo miſſos fuiſſe milites. At — ita pergit, calumniator — milites, quos Deiotarus miſit, *nihil erant*

Alieno autem a te animo fuit. Quomodo? Spera- IX
vit, credo, difficiles tibi Alexandriae fore exitus propter regionis naturam et fluminis. At eo ipſo tempore pecuniam dedit, exercitum aluit, ei quem Aſiae praefeceras, nulla in re defuit, tibi victori non ſolum ad hoſpitium, ſed ad periculum etiam atque ad aciem praeſto fuit. Secutum eſt bellum Africanum. Graves de te ru- 25
mores ſparſi, qui etiam furioſum illum Caecilium excitaverunt. Quo tum erga te rex animo fuit? qui auctionatus ſit ſeſeque exſpoliare maluerit, quam tibi pecuniam non ſubminiſtrare. At eo, inquit, tempore ipſo Nicaeam Epheſumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent et celeriter ad ſe referrent. Itaque quum eſſet ei nuntiatum, Domitium naufragio periiſſe, te in caſtello circumſideri, de Domitio dixit verſum Graecum eadem ſententia, qua etiam nos habemus Latinum: „*Pereant amici, dum una inimici intercidant;* quod ille, ſi eſſet tibi inimiciſſimus, numquam tamen dixiſſet: ipſe enim manſuetus, verſus immanis. Qui autem Domitio poterat eſſe amicus, qui tibi eſſet inimicus? Tibi porro inimicus cur eſſet, a quo quum vel interfici belli lege potuiſſet, regem et ſe et filium ſuum conſtitutos eſſe meminiſſet? Quid 26
deinde? furcifer quo progreditur? Ait, hac laetitia De-

---

ad equitatum tuum (quo ſenſu Terentius dixit Eunuch. II, 3, 69. *Illa nihil eſt ad noſtram hanc, jene iſt an Schönheit nichts gegen unſere Haus - Jungfer*). Huic obiectioni iam ita reſpondet Cicero: Miſit Deiotarus eos milites, quibus meliores non habebat, quippe ſuis e copiis electos. *Heumann.*

c. IX. §. 24. *propter reg. nat.* Vid. Caeſ. b. civ. III, 112. b. Alex. 25 — 32.

ei, quem Aſiae praefeceras; Cn. Domitio Calvino. Cf. §. 14. et 25.

§. 25. *graves de te rum. ſp.* Dio Caſſ. 47, 26. *Περί τε τοῦ Καίσαρος πολλὰ καὶ δεινὰ ἐκ τῆς Ἀφρικῆς ἠγγέλλετο*, unde Caecilius Baſſus *γράμματά τινα συνέπλασεν, ὡς καὶ παρὰ τοῦ Σκιπίωνός οἱ πεμφθέντα, καὶ ἐξ αὐτῶν τόν τε Καίσαρα ἐν τῇ Ἀφρικῇ ἡττῆσθαι καὶ ἀπολωλέναι διήγγελλε, καὶ ἑαυτῷ τὴν ἀρχὴν τῆς Συρίας προστετάχθαι ἔλεγε.*

qui auctionatus ſit, bona ſua haſtae praeconique ſubiecerit ad conflandam pecuniam, quae tibi mitteretur. *Abram.* Cf. §. 14.

verſum Graecum. Plutarch. de diſcr. am. et adul. p. 50. F. *Ἐῤῥέτω φίλος οὐν ἐχθρῷ*, quem in metrica proverbia retulit Schottus 1283. Monuit iam Heum.

§. 26. *hac laetitia* i. e. huius

iotarum elatum vino se obruisse in convivioque nudum saltavisse. Quae crux huic fugitivo potest satis supplicii afferre? Deiotarum saltantem quisquam aut ebrium vidit umquam? Omnes sunt in illo rege regiae virtutes, quod te, Caesar, ignorare non arbitror, sed praecipue singularis et admiranda frugalitas; etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege; fortem, iustum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hae sunt regiae laudes; illa privata est. Ut volet quisque accipiat; ego tamen frugalitatem, id est, modestiam et temperantiam virtutem esse maximam iudico. Haec in illo est ab ineunte aetate tum a cuncta Asia, tum a magistratibus legatisque nostris, tum ab equitibus Romanis, qui in Asia
27 negotiati sunt, perspecta et cognita. Multis ille quidem gradibus officiorum erga rempublicam nostram ad hoc regium nomen ascendit; sed tamen quidquid a bellis populi Romani vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res rationesque iungebat, ut non solum tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias et diligentissimus agricola et pecuarius haberetur. Qui igitur adolescens, nondum tanta gloria praeditus, nihil umquam nisi severissime et gravissime fecerit, is ea existimatione
X eaque aetate saltavit? Imitari potius, Castor, avi tui mo-
28 res disciplinamque debebas, quam optimo et clarissimo viro fugitivi ore maledicere. Quod si saltatorem avum habuisses, neque eum virum, unde pudoris pudicitiaeque

---

rei laet. ut pro Mil. §. 99. Vid. Krüger. *Untersuch.* III. p. 127.

nudum saltavisse, non omni veste exutum, sed quum superiora vestimenta sibi detraxisset, ut recte monuit Heumann. Sic *Nudus ara, sere nudus*, quod versum est ex Hesiodeo *γυμνὸν μὲν ἀρόῦν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν.*

§. 27. *res rationesque*, negotiationes, ut explicat Heum.

agricola. Quanto in honore agricultura fuerit apud reges antiquos, declarat Cicero Cat. mai. 17. Reges, qui de agricultura scripserint, Plinius, Varro, Columella commemorant Hieronem, Attalum Philometorem, Archelaum. Varro etiam de re rust. prooem. Magonis Poeni libros *utiliter ad sex libros redegit Diophanes in Bithynia, et misit Deiotaro regi.* Notum vero est regios pueros saepe apud pastores interque greges et armenta educatos fuisse.

c. X. §. 28. *pudoris pudicitiaeque.* Vid. ad Milon. §. 77.

exempla peterentur, tamen hoc maledictum minime in illam aetatem conveniret; quibus ille studiis ab ineunte aetate se imbuerat, non saltandi, sed bene ut armis, optime ut equis uteretur, ea tamen illum cuncta iam aetate exacta defecerant. Itaque Deiotarum quum plures in equum sustuliissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus. Hic vero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, quum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos una cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus facere solebat? quam se iactare? quam ostentare? quam nemini in illa causa studio et cupiditate concedere? Quum vero, 29
exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper, post Pharsalicum autem proelium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abiiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere, quod et ipse ardebat studio ipsius belli, et patri satisfaciendum esse arbitrabatur. Felix ista domus, quae non impunitatem solum adepta sit, sed etiam accusandi licentiam; calamitosus Deiotarus, qui ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. Vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti.

---

hoc maledictum, quo saltatio ei obiicitur.

Hic vero adolescens. Intelligit Castorem. *in Graecia*, nempe in exercitu Pompeii, ad quem Cicero ierat ad Dyrrhachium. *Ern.*

pater, Saocondarius, gener regis Deiotari.

§. 29. *Quum vero* etc. Cohaerent ista, *Quum vero suasor fuissem*; sed ut haec *suasor fuissem — abiiciendorum* opposita esse iis, quae interiecta sunt, *qui pacis auctor semper fui*, appareret, ad ista sola respiciens interseruit *autem*, et sententiam verborum *exercitu amisso* repetiit verbis *post Pharsalicum proelium.* Apodosis est in verbis *hunc ad meam auct.* etc.

abiiciendorum, ut rei odiosae. *Manut.*

ipsius belli i. e. belli per se, nulla ratione habita causae, pro qua gerebatur. Cf. epp. fam. V, 12 (35, 11.)

ab eo — a suis. Haec duo eumdem hominem designant, Castorem, sed diversa est ratio utriusque. Tria enim sunt, propter quae *calamitosus* vocatur Deiot., primum quod ab eo accusetur, qui non minus partes Pompeianas secutus fuerat, in quo omittitur, eundem nepotem esse Deiot., deinde quod apud Caesarem, et infensum regi et iudicem, tum quod a suis.

XI Sint ſane inimicitiae, quae eſſe non debebant: rex
30 enim Deiotarus veſtram familiam abiectam et obſcuram e tenebris in lucem evocavit. Quis tuum patrem ante, qui eſſet, quam cuius gener eſſet, audivit? Sed quamvis ingrate et impie neceſſitudinis nomen repudiaritis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine infectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere. Eſto; concedatur haec quoque acerbitatis et odii magnitudo. Adeone, ut etiam omnia vitae ſalutisque communis atque etiam humanitatis iura violentur? ſervum ſollicitare verbis, ſpe promiſſisque corrumpere, abducere domo, contra dominum armare, hoc eſt non uni propinquo, ſed omnibus familiis bellum nefarium indicere: nam iſta corruptela ſervi, ſi non modo impunita fuerit, ſed etiam a tanta auctoritate approbata, nulli parietes noſtram ſalutem, nullae leges, nulla iura cuſtodient. Ubi enim id, quod intus eſt atque noſtrum, impune evolare poteſt contraque nos pugnare, fit in dominatu ſer-
31 vitus, in ſervitute dominatus. O tempora, o mores! Cn. Domitius ille, quem nos pueri conſulem, cenſorem, pontificem maximum vidimus, quum tribunus plebis M. Scaurum, principem civitatis, in iudicium populi vocaſſet, Scaurique ſervus ad eum clam domum veniſſet et crimina in dominum delaturum ſe eſſe dixiſſet, prehendi hominem iuſſit ad Scaurumque deduci. Vide, quid interſit; etſi inique Caſtorem cum Domitio comparo; ſed tamen ille inimico ſervum remiſit, tu ab avo abduxiſti; ille incorruptum audire noluit, tu corrupiſti; ille adiu-

---

c. XI. §. 30. *a tanta auctor.* ab homine tantae auctoritatis.

evolare, in vulgus proferri, ſed cum animi levitate.

§. 31. *Cn. Domitius ille.* Eamdem rem narrat Valer. Max. VI, 5. Aſcon. in orat. pro Scauro: *Cn. Domitius, qui conſul fuit cum Caſſio* (a. u. 657.) *quum eſſet trib. pl. iratus Scauro, quod eum in augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit ad populum et mulctam irrogavit, quod eius opera ſacra multa populi Rom. deminuta eſſe diceret. Crimini dabat ſacra publica pop. R. penatium, quae Lavinii fierent, opera eius minus recte caſteque fieri. Quo crimine abſolutus eſt Scaurus quidem, ſed ita ut a tribus tribubus damnaretur, a* XXXII *abſolveretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et abſolutionem intereſſent.*

in iudicium populi. Vid. Erneſt. clav. v. *Quaeſtio.*

ſed tamen ille. Vid. ad Milon. §. 76.

torem ſervum contra dominum repudiavit, tu etiam accuſatorem adhibuiſti. At ſemel iſte eſt corruptus a 32
vobis? nonne, quum eſſet productus, et quum tecum fuiſſet, refugit ad legatos? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? nonne audiente hoc Ser. Sulpicio, clariſſimo viro, qui tum caſu apud Domitium cenabat, et hoc T. Torquato, optimo adoleſcente, ſe a te corruptum, tuis promiſſis in fraudem impulſum eſſe confeſſus eſt? Quae eſt iſta tam impudens, tam crudelis, tam immode- XII
rata inhumanitas? idcirco in hanc urbem veniſti, ut huius urbis iura et exempla corrumperes domeſticaque immanitate inquinares?

At quam acute collecta crimina? Bleſamius, inquit, 33
(eius enim nomine, optimi hominis nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad regem ſcribere ſolebat, te in invidia eſſe, tyrannum exiſtimari, ſtatua inter reges poſita animos hominum vehementer offenſos, plaudi tibi non ſolere. Nonne intelligis, Caeſar, ex urbanis malevolorum ſermunculis haec ab iſtis eſſe collecta? Bleſamius tyrannum Caeſarem ſcriberet? Multorum enim civium capita viderat, multos iuſſu Caeſaris vexatos, verberatos, necatos, multas afflictas et everſas domos, armatis militibus refertum forum. Quae ſemper in civili victoria ſenſimus, ea

---

§. 32. *ad hunc Cn. Domit.* qui aderat, ſicut etiam Sulpicium et Torquatum adfuiſſe ex adiecto *hoc* colligit Manut.

c. XII. §. 33. *Bleſamius*, unus e legatis Deiotari. Duo alii erant Hieras et Antigonus. Vid. c. XV. §. 41.

ſtatua inter reges poſ. inter regum ſtatuas, in Capitolio. Dio Caſſ. 43, 45. *καὶ ἄλλην* (εἰκόνα) *ἐς τὸ Καπιτώλιον παρὰ τοὺς βασιλεύσαντάς ποτε ἐν τῇ Ῥώμῃ ἀνέθεσαν, καί μοι θαυμάσαι τῆς συντυχίας ἐπέρχεται. ὀκτὼ γὰρ ἅμα αὐτῶν, ἑπτὰ μὲν ἐκείνοις, ὀγδόῳ δὲ τῷ γε Βρούτῳ, τῷ τοὺς Ταρκυνίους καταλύσαντι, οὐσῶν, παρὰ ταύτην τότε τὴν τοῦ Καίσαρος ἔστησαν.* Cf. Sueton. Iul. c. 76.

multorum enim civ. De *enim* ironico vid. ad or. pro Arch. p. 5, 11. De re ipſa ſic Abram. Confectis bellis civilibus, ut ſcribit Appian. l. II (b. civ. 107) *σπεῖραι δ' ὅσαι στρατηγίδες αὐτὸν ἐκ τῶν πολέμων ἔτι ἐσωματοφυλάκουν, ἀπέστησε τῆς φυλακῆς, καὶ μετὰ τῆς δημοσίας ὑπηρεσίας ἐπεφαίνετο μόνης.* Paterculus (II, 57.) de Hirtio et Panſa: *Semper praedixerant Caeſari, ut principatum armis quaeſitum armis teneret;* quibus ille reſpondit, *mori ſe quam timeri malle.* Vid. Plut. (Caeſ. 57.) et Appian. (l. c. c. 109) et Dionem l. 44. (c. 7.)

54 te victore non vidimus. Solus, inquam, es, C. Caesar, cuius in victoria ceciderit nemo, nisi armatus.— Et quem nos liberi, in summa populi Romani libertate nati, non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria ducimus, is Blesamio, qui vivit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, una praesertim, quum tam multas videat? valde enim invidendum est eius statuis, cuius tropaeis non invidimus. Nam, si locus affert invidiam, nullus locus est ad statuam quidem Rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus umquam a te est, et nonnumquam, obstupefactis hominibus, ipsa admiratione compressus est, et fortasse eo praetermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest.

XIII Nihil a me arbitror praetermissum, sed aliquid ad
35 extremam causae partem reservatum. Id autem aliquid est, te ut plane Deiotaro reconciliet oratio mea: non enim iam metuo, ne tu illi succenseas; illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. Quod abest longissime, mihi crede, Caesar: quid enim retineat per te, meminit, non quid amiserit, neque se a te mulatum arbitratur, sed, quum existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quo minus a se, qui in altera parte fuisset,

§. 34. *Solus, inquam.* Repetit sententiam eorum, quae proxime praecesserunt. Vid. ad or. pro Lig. IX. §. 28.

Nam de statua. *Nam* non simpliciter transeuntis est, ut ait Goerenz. ad Cic. Fin. II, 32, 104. sed usurpatur, quum ad leve quid transitur, quod vix operae pretium sit commemorare. Vid. de nat. d. I, 11, 27. 28. Heind. ad de nat. d. I, 12, 30.

quum tam multas videat. Dio Cass. 44, 23. *καὶ ἐν ταῖς πόλεσι τοῖς τε ναοῖς τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ πᾶσιν ἀνδριάντα τινα αὐτοῦ εἶναι ἐκέλευσαν· καὶ ἐπί γε τοῦ βήματος δύο, τὸν μέν, ὡς τοὺς πολίτας σεσωκότος, τὸν δέ, ὡς τὴν πόλιν ἐκ πολιορκίας ἐξῃρημένον, μετὰ τῶν στεφάνων τῶν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις νενομισμένων ἱδρύσαντο.* quem locum attulit Abram.

c. XIII. §. 35. *id autem aliquid est.* Terent. *id aliquid nihil est. Patric.* Cf. pro Lig. c. VII extr.

multis tibi i. e. a te. Sic de orat. I, 23, 105. *gerendus est tibi mos adolescentibus.* Cf. de l. Man. 22, 63. De re Dio Cass. 43, 47. ubi praetores quatuordecim, quadraginta autem quaestores a Caesare factos esse scribit, *πολλοῖς γὰρ δὴ πολλὰ ὑπεσχημένος οὐκ εἶχεν ὅπως σφᾶς ἄλλως ἀμείψεται.*

ea sumeres, non recusavit. Etenim si Antiochus Magnus 36
ille, rex Asiae, quum, posteaquam a Scipione devictus Tauro tenus regnare iussus esset omnemque hanc Asiam, quae est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est solitus, benigne sibi a populo Romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur, potest multo facilius se Deiotarus consolari: ille enim furoris multam sustinuerat, hic erroris. Omnia tu Deiotaro, Caesar, tribuisti, quum et ipsi et filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atque conservato, nullum beneficium populi Romani, nullum iudicium de se senatus imminutum putat; magno animo et erecto est, nec umquam succumbet inimicis, ne fortunae quidem. Multa se arbitratur et peperisse ante factis, et habere in 37
animo atque virtute, quae nullo modo possit amittere. Quae enim fortuna, aut quis casus, aut quae tanta possit iniuria omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere? Ab omnibus enim his ornatus est, postquam in castris esse potuit per aetatem, qui in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria bella gesserunt. Senatus vero iudicia de illo tam multa tamque honorifica, quae publicis populi Romani litteris monumentisque consignata sunt, quae umquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit oblivio? Quid de virtute eius dicam? quid de magnitudine animi, gravitate, constantia? quae omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt, hisque non modo ad bene, sed etiam ad beate vivendum contentam virtutem esse. Haec ille reputans et dies noctes- 38
que cogitans non modo tibi non succenset, (esset enim

§. 37. *habere in animo atque virtute.* Haec duo coniungit, ut et velle eum res magnas, et praestare posse significet. *Manut. In virtute aliquid habere,* quod alibi vix legitur, mollitur addito altero, quod usitatissimum est, *in animo habere.* Cf. pro Arch. §. 31. Intelliguntur autem *bona animi,* opposita *corporis bonis* s. externis.

omnium imperatorum. Phil. XI, 13, 33. post ea, quae ad §. 2. ascripsi: *Quae de illo viro Sulla, quae Murena, quae Sertorius, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe in senatu praedicaverunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum vereque benevolum, unum fidelem populo R. iudicavit etc.*

Summa. Summa esse bona dixerunt Peripatetici, sola Stoici. *Manut.*

non ſolum ingratus, ſed etiam amens) verum omnem tranquillitatem et quietem ſenectutis acceptam refert cle-
XIV mentiae tuae. Quo quidem animo quum antea fuit, tum non dubito, quin tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Bleſamio dediſti, ſe magis etiam erexerit ab omnique ſollicitudine abſtraxerit. Iubes enim eum bene ſperare et bono eſſe animo; quod ſcio te non fruſtra ſcribere ſolere: memini enim iisdem fere verbis ad me te ſcribere, meque tuis litteris bene
39 ſperare non fruſtra eſſe iuſſum. Laboro equidem regis Deiotari cauſa, quocum mihi amicitiam respublica conciliavit, hoſpitium voluntas utriusque coniunxit, familiaritatem conſuetudo attulit, ſummam vero neceſſitudinem magna eius officia et in me et in exercitum meum effecerunt; ſed quum de illo laboro, tum de multis ampliſſimis viris, quibus ſemel ignotum a te eſſe oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec haerere in animis hominum ſollicitudinem ſempiternam, nec accidere, ut quisquam te timere incipiat eorum, qui ſemel a te
40 ſint liberati timore. Non debeo, C. Caeſar, quod fieri ſolet in tantis periculis, tentare, quonam modo dicendo miſericordiam tuam commovere poſſim. Nihil opus eſt; occurrere ipſa ſolet ſupplicibus et calamitoſis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos reges, et id animo contemplare, quod oculis non potes. Dabis profecto miſericordiae, quod iracundiae negaviſti. Multa ſunt tuae clementiae monumenta, ſed maxime eorum incolumitates, quibus ſalutem dediſti. Quae ſi in privatis glorioſa ſunt, multo magis commemorabuntur in regibus. Semper regium nomen in hac civitate ſanctum fuit, ſocio-
XV rum vero regum et amicorum ſanctiſſimum. Quod no-
41 men hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt, retentum vero et a te confirmatum poſteris etiam ſuis tra-

c. XIV. §. 38. *memini enim.* vid. pro Ligar. III, 7. Praeſens *ſcribere* ſignificare videtur, Caeſarem non ſemel, ſed ſaepius ita ad Ciceronem ſcripſiſſe.

§. 39. *ſemel ignotum.* Vid. ad §. 9.

§. 40. *occurrere* i. e. auxilio venire, paeſto eſſe. vid. ad Muren. §. 48. Minus recte Abram. explicat praevenire ſupplicantium vota. Miſericordia enim commovetur non tam habitu eorum, quam fortuna expoſita precibusque additis.

in privatis, quum in privatos collata ſunt, ut mox *in regibus*. Vid. ad Sext. §. 7.

dituros eſſe confido. Corpora vero ſua pro ſalute regum ſuorum hi legati tibi regii tradunt, Hieras et Bleſamius et Antigonus, tibi nobisque omnibus iam diu noti, eademque fide et virtute praeditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus eſt ad te miſſus, tum regum amiciſſimi, tum tibi etiam, ut ſpero, probati. Exquire de 42
Bleſamio, num quid ad regem contra dignitatem tuam ſcripſerit. Hieras quidem cauſam omnem ſuſcipit, et criminibus illis pro rege ſe ſupponit reum, memoriam tuam implorat, qua vales plurimum, negat umquam ſe a te in Deiotari tetrarchia pedem diſceſſiſſe; in primis finibus tibi ſe praeſto fuiſſe dicit, usque ad ultimos proſecutum; quum e balneo exiſſes, tecum ſe fuiſſe, quum illa munera inſpexiſſes cenatus, quum in cubiculo recubuiſſes, eandemque aſſiduitatem tibi ſe praebuiſſe poſtridie. Quamobrem, ſi quid eorum, quae obiecta ſunt, cogitatum 43
ſit, non recuſat, quin id facinus ſuum iudices. Quocirca, C. Caeſar, velim exiſtimes, hodierno die ſententiam tuam aut cum ſummo dedecore miſerrimam peſtem importaturam eſſe regibus, aut incolumem famam cum ſalute, quorum alterum optare illorum crudelitatis eſt, alterum conſervare clementiae tuae.

c. XV. §. 41. *tum regum amic.* int. Deiotari et domus eius, ut in illo vulgato Romanorum de Bruto, qui *reges* eieciſſe Roma dicebatur. *Ern.* Miror Moebium *amiciſſimi* et *probati* pro genitivis accipientem.

§. 42. *ſupponit*, ſubſtituit, ut pro Roſc. 38, 111. De hac vi verbi Ern. in clav. citat Burmann. ad Ovid. Heroid. IX, 18.

§. 43. *cum ſummo dedecore regum*, non Caeſaris. Cf. ad Muren. §. 2.

alterum conſervare, int. facere, ut adhuc feciſti; eſt tamen dictum exquiſitius et ad laudem augendam pro praeſtare. *Ern.* Equidem non video, cur non propria vi accipiendum ſit: nam qui in ſummo periculo verſatur, ne de ſtatu ſuo funditus deiiciatur, ei qui ignoſcit, is eum proprie conſervat ſuis et civibus.

NOTAE CRITICAE.

Pro Sulla 1, 2. *deminuturum putavit.* Suſpectum eſt *putavit*, quia pro eo alii libri habent *ſperavit, putat, exiſtimat*, alii omittunt. Itaque Garaton. poſt Gruterum verbum omiſit, e ſqq. *ſenſit* intelligendum eſſe dicens. Sed ſexcentos eſſe locos, quibus verbum ſemel poſitum non modo ad praecedentia idem ſubaudiatur, verum etiam, ut hic, et mutata perſona, et in duobus membris non credo Garatonio, et aliam eſſe rationem loci Tuſc. IV, 14. *Ingenioſi, ut aes Corinthium in aeruginem, ſic illi in morbum et incidunt tardius et recreantur ocius*, (cf. orat. c. 21. extr. Phil. 3, 8, 20. 5, 7, 19.) facile quivis ſentiet.

Ibid. c. 29, 82. *ad teſtandam omn. memoriam.* Sic cod. Erfurt. pro *atteſtantem omn. mem.* teſte Wundero in Var. lect. pag. LXXVII. quam ſcripturam coniectura iam aſſecutus erat Lambin.

Ibid. c. 31, 86. *qui pop. Rom.* Sic cod. Erfurt. apud Wunderum l. c. pro *populumque Rom.*

Pro Sext. 1, 1. *ſed etiam fortiſſimis* etc. Vix mihi temperavi, quin egregiam Erneſtii coniecturam, collaudatam etiam a Garatonio, *ſed etiam ultro fort.* e vitioſa ſcriptura *ſed etiam voluntarios fort.* erutam reciperem. Neque enim ſatis eſt, deeſſe vocem *voluntarios* in compluribus codd. duobus Lambin. Palatin. aliquot Grut. Franc. 1 et Dresd., in Venet. 1. Barber. cod. Car. Steph. Explicandum etiam eſt, quomodo haec vox inferi potuerit. Hoc facile intelligitur, ſi *vel ultro* ſcriptum eſſe ſtatuamus cum Moſero in ſymbol. critic. ſpec. altero anni 1828. p. 25 ſq.

Ibid. VI, 14. *memoria digna uti eſſet, reip. capeſſ. auct. — praeſcribere.* Sic ſcripſi ex emend. Ed. Wunderi in *Jahrb. d. Philol. III.* p. 131 ſq. pro *memoria digna eſſet, uti et reip. cap. auct. — praeſcriberet.*

Ib. c. VIII, 19. *tanquam Atlante coelum.* Ed. Wunder. l. c. p. 133. e ſcripturis Codd. *ut illo ſupercilio* anmantuus *ille*, aumantius *ille*, amnancius, anancius *ille*, mantuus *ille niti tanquam videretur*, legendum coniicit, *ut illo ſupercilio* [*tanquam*] *Rhadamanthus ille niti videretur;* quod etiam amico Lambini in mentem venerat. At primum *illo — ille* parvo intervallo repetitum Ciceronis conſuetudini vix aptum videtur; tum *Rhadamanthus nititur ſupercilio eius*, metaphora eſt plane infolens, cuius ne rationem quidem reddere poſſis: in translationibus enim ea verba coniungere ſolet Cicero, quae etiam propria vi ſua copulari poſſunt. At *ſupercilio alterius nitens* quomodo cogitari poteſt? tanquam baculo? Quis umquam ſupercilium cum baculo comparavit? Nec notio baculi ineſſe videtur in verbis *vultu collegae ſui libidinem franget:* nam non baculo tantum frangitur res, ſed manu etiam, dentibus, aliis. Itaque quum neutra lectio certa Codd. auctoritate, ſed coniectura utraque nitatur, ſervavi eam, quae minus offenſionis haberet.

Ibid. XXII, 50. *ad incertiſſimam ſpem et ad reip. ſtatum* explicare aliquo modo ſtudui; ſed elegantius eſt quod Lambin. de coniectura edidit: *ad incertiſſimam ſpem reip. recuperandae.* Nam in veteribus libris ſe ſcriptum reperiſſe dicit *ad inc. ſpem rep. rata.* al. *ratam.* al. *randum.*

Ib. c. XXXVIII, 81. *atque occupatam.* Guilielm. legendum coni. *conculcatam*, recte: nam id quod gravius eſt ſequi debet, non quod levius; et Codd. Palat. non. Gembl. et S. Victor. apud Gruter. *occultam.* Omiſit hanc lectionem Orell. Simile vitium eſt orat. 34, 120. Atticus *conſervatis notatisque temporibus — annorum ſeptingentorum memoriam uno libro colligavit.* Leg. *obſervatis not.*

vivi. Sic pro *viri* recte Beier. ad Cicer. fragm. or. pag. 61.

Ibid. c. XLV, 97. *iſte optimus quisque*, quem modo nominavit verbis *ut ſua conſilia optimo cuique probarent*, inquit Gruter. Sed ex iis, quae ſtatim ſequuntur, patet, non explicare velle Ciceronem, qui ſit ille *optimus quisque*, ſed qui ſint *optimates*: dicit enim, *ſunt libertini optimates*. Itaque verba *optimus quisque* ab aliquo explicandi cauſa margini aſcripta, deinde in orationem ipſam irrepſiſſe ſuſpicor, iisque deletis legendum: *Qui ergo iſti?* (ut ed. Orell.) *De numero* etc.

Ibid. c. XLVII, 100. *aut aſperam atque arduam.* Sic Garaton. e cod. Barber. editisque ante Lambin. omnibus pro *aut arduam;* cui tamen non aſſentior ſtatim poſt *periculorum atque inſidiarum* legendum coniicienti: nam *pericula* eſſe poſſunt etiam ſine *inſidiis*, ideoque aliquantum illa nomina inter ſe discrepant.

Ibid. LXVI, 138. Orell. e cod. Car. Stephani edidit, quod commendaverat Garaton., *patiantur virorum fortium labore ſe otio ſuo perfrui.* Nam *patiantur se otio ſuo perfrui* improprie dictum non mollitur oppoſito membro, ad quod illud *patiantur* proprie pertineat. Videtur ea lectio conflata eſſe e duabus aliis, hac noſtra et alia plerorumque codd. *patiantur viros laborum patientes frui;* in qua quum verba *laborum patientes* ab aliquo interpretamenti loco adſcripta eſſent ad voc. *fortes* (nam alii libri utrumque coniungunt, *fortes laborum patientes* ſine copula) illa vocabulum *labore* expulerunt; qua ruina etiam verba *ſe otio ſuo* obruta ſunt.

IN ORATIONEM PRO MILONE.

Cap. I. §. 1. *non illa praeſidia — non afferunt tamen.* Sic Bavaric. Erfurt. et Lagomarſ. cod. 25 et 43 (vid. M. T. Cic. or. pro Scauro pro Tull. et in Clod. fr. ined. - - ed. Amedeus Peyron. Stuttg. 1824. p. 283) pro *Nam illa praeſidia* - - Garatonio legendum videbatur *nec illa praeſ.* Idem in ſeqq. eiecit verba *oratori* et *terroris*, quae pro

gloſſematis habet, ut haec *Nec non — afferunt aliquid* nihil aliud ſignificent, niſi timorem tamen aliquem efficiunt, habent in ſe, quod timorem iniiciat, etiam quum tollunt, ut verbis utar Garat., quod ſententiae accommodatiſſimum eſt, ſed uſu loquendi non munitur. Nam *afferre* non eſt medium, ut putabat Gar. ſed, quum per ſe ponitur, ſemper eſt prodeſſe, etiam in locis iis, quos Heuſinger. ad Offic. I, 3. et Garat. ad h. l. attulit, numquam timorem iniicere. Haec ſententia ut efficeretur, neceſſario addendum erat vel *horroris*, quod eſt in Vatic. duobus Palat. et Lagomarſ. 73. vel *terroris*, ut ſcriptum eſt in Erfurt. Barber. uno Brit. Memmianis apud Lamb. et Lagomarſ. 18. 24. 86. — 6. 25. a ſec. m. Hoc praetuli tum propter ea, quae praecefferunt *novi iudicii nova forma* terret *oculos*, tum propter locum Quintil. VIII, 3, 5. *nam ferrum affert oculis terroris aliquid.* Conf. infra XXVI, 71. Nec *oratori*, quod omnes Codd. habent, vitioſum puto, ut videbatur Erneſtio, Peyrono, Orellio; valet enim de univerſo genere, non tantum mihi, ſed oratori cuique, deinde ad ſe proprie convertit orationem; nec de *κακοφωνία* queretur, qui ſimilia multa meminerit allata ab Orellio ad Garat. Planc. pag. 158. et a me in libro de arte latine ſcribendi pag. 51. Numeroſius etiam eſt et aures magis implet illud *non afferunt tamen oratori terroris aliquid*, quam *non afferunt tamen aliquid.* Ita *non non afferunt terroris aliquid* mollius dictum eſt pro *et illa praeſidia afferunt terr. al.* Sin cum Garaton. *terroris* deleas, ſententia loci non conſtabit, niſi *Nam* ſcribas pro priore *non*, ut ſimplex negatio ſit, i. e. Nam praeſidia illa non adiuvant oratorem, quod exſpectare aliquis poſſit, quum contra vim collocata ſint (vid. ad Catil. 1. §. 15.) quod idem lenius dictum eſt pro *terrent oratorem.* Neque enim video, quare *nam* otioſum dixerit Garaton.: explicat enim cauſam, cur *novi* iudicii *novam* formam (quae declaratur verbis *non enim corona ſtipati ſumus*) oculos terrere dixerit. Quod autem Ern. edidit *nobis* tamen afferunt terroris aliquid, probari non poteſt, quia *no-*

bis eo loco poſitum eſt, quo vim aliquam eius eſſe ſignificaretur, (quaſi dicas *nobis, non aliis*) quae tamen nulla eſt. Equidem, ut multis aliis locis, ſic hoc loco veſtigia duplicis recenſionis animadvertere mihi videor: nam et *habitam* orationem et *ſcriptam* in hominum manibus fuiſſe conſtat; ſed utra ſcriptura in utra recenſione fuerit, difficile dictu eſt.

Ibid. §. 3. *intuentes cernitis.* Recte Erneſt. monet, Ciceronem ſolere verbum, duobus membris commune, in medio ponere; quod miror ignotum fuiſſe Garatonio, qui, Utrum eo loco (i. e. medio) inquit, ſaepius, an extremo, poſuerit, otioſis inquirendum relinquo. Indigna vero critico negligentia! Sic c. III. §. 7. *quae et in ſenatu ab inimicis ſaepe* iactata ſunt *et in concione ab improbis, et paulo ante ab accuſatoribus.* Cf. pro Sull. 3, 10. 25, 71. pro Sext. 46, 99. 55, 117. 64, 134. pro Cluent. 43, 121. 69, 196. Sed infinitum eſſet omnes locos afferre. At maior pars codd. *cernitis* omittit, et poſt *exſpectantes* ponit *videtis;* nec aliter faceret is, qui pueris conſtructionem, quam vocant, praeiret.

Ibid. II, 5. *duobus* expulit Garaton., quia deeſt vox in Bavar. Ita Ciceronem loqui vult de toto genere optimatium, quibus perpetuum erat cum ſeditioſis turbulentisque certamen. At num de toto genere dici etiam poteſt quod ſequitur, *qui metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus?*

Ibid. II, 6. *tribunatu rebusque omnibus.* Non puto *que* delendum eſſe, etſi in multis libris deeſt. Habet enim vim explicativam, *tribunatu id eſt rebus omnibus;* de qua vid. Beier. ad Cicer. offic. II, 20, 71. Kritz. ad Sall. Catil. 4, 2. Delendum fuiſſe *que* iudicat Goerenz. in *Jahrb. d. Philol.* I. p. 328. tum quia hi ablativi tempus deſignent poſiti pro *quum omnes res geſtae ſint* (quaſi vero haec ſola eſſet loci explicandi ratio) tum quia poſt *rebusque omnibus* additum requiras *in eo.* Num igitur in Piſ. 19, 44. *Ex qua provincia modo vir omni dignitate ornatiſſimus L. Torquatus, magnis rebus geſtis* etc. etiam additum requirit *in ea?*

Ibid. *vitam ab inimic. audacia.* Sic Erfurt. pro *ab inim. audacia teliſque vitam ut i. l. d.* Vid. Wunder. var. lect. p. LXXX.

Ibid. c. III. §. 17. *noſtrae quaeſt. Noſtrae* dicit, quia orator viam iudicandi monſtrat iudicibus, ut, omni errore ſublato, rem plane perſpicere poſſint, ideoque quaeſtionem ipſam multum adiuvat. Sed optimi Codd. habent *veſtrae quaeſt.* quod quominus reciperem, illud me impediit, quod non intelligebam, quomodo ei, qui legerit *veſtrae qu.* in mentem venire potuerit ſcribere *noſtrae; noſtrae* cur in *veſtrae* mutaret, eadem cauſa eſſe potuit, quae Garatonium impulit, ut *veſtrae* ſcriberet imprimis quum hoc etiam pro Cluent. 58 extr. pro Sext. 2, 5 legatur; quam legem egregii in arte critica uſus ipſe Garaton. ſupra ad §. 5. propoſuit. Adiecto *veſtrae* vel *noſtrae* pondus detrahi voci *propria* quomodo dicere potuerit Goerenz. l. c. non aſſequor.

Ibid. §. 8. *reſponderit.* Sic Bavaric. et Erfurt. apud Wunder. p. LXXX ſq. pro *reſpondit*, quod recepi, non quo subiunctivum neceſſarium ducerem (neque enim neceſſarium eſt cauſam indicare) ſed quod *reſponderit* facilius in *reſpondit* mutari, quam contra, potuit.

Ibid. §. 9. *defenderet.* Sic recte Garaton. e Saxon. et Bavar. duobus Barber. duobus Brit. et ſuo (accedunt Erfurt. Lagomarſ. plerique, Taurin. ap. Peyron. p. 293) pro *defenderit.* Primarium enim verbum eſt *voluerunt*, poſt quod ſequi debebat vel *defenderet*, ſi rem eo tempore continuatam ſignificare vellet orator, pro ſe defendentem interfici, vel plusquamperf., quod in oratione obliqua reſpondet futuro exacto orationis rectae. In lege ipſa tab. II. recte eſt futurum exactum, quum primarium ſit *ſine fraude eſto* (*Si nox*) (noctu) *furtum faxit*, *ſim* (ſi eum) *aliquis occiſit* (occiderit) *iure caeſus eſtod;* ſi ſe telo defenſint (defenderint) *ſi caeſi eſcint* (fuerint) *ſe* (ſine) *fraude eſtod.* Cf. Wernsdorf. qui accurate de uſu imperf. poſt perf. disputat. Mira doctrina eſt Goerenzii l. c. p. 329 tradita.

Ibid. VI, 15. *in qua P. Clodius occiſus fuit.* Si *eſſet* cum Orell. ſcribas pro *fuit*, haec verba in rogatione Pompeii addita fuerunt; ſin *fuit*, additur ab iis, quorum haec eſt contradictio. Illud vix probabile, Pompeium mentionem certi hominis iecisse, ut esset privilegium, praesertim quum in illa caede P. Clodium occisum esse inter omnes constaret. Amicos Clodii certum hominem vel ipsos nominare, vel a Cicerone nominantes fingi, qui eius hominis causa maxime laborabant, non mirum. *Eſſet* autem, quod legitur in Bavar. Erf. al. ex praecedenti *eſſet* repetitum videtur, et ex eo vix intelligas, cur aliquis fecerit *fuit*.

Ibid. *At patet.* Saxonic. *at paret*, cui affine eſt, quod in Bavar. et Erf. legitur *at apparet.* Illud recepit Garaton. et videri poteſt rarior et exquiſitior vox gloſſemate *patet* expulſa eſſe. At *paret* nusquam alibi a Cicerone uſurpatur, niſi ubi legis alicuius ipſa verba recitat, ut pro Roſc. com. 4, 11. etſi non raro *parere* et *patere* in codd. permutantur. Cf. Parei lex. crit. p. 883 ſq. Itaque mihi *paret* e gloſſemate *apparet* effictum eſſe videtur a litteratore aliquo ἀρχαισμῶν et verborum iuris ſolennium ſtudioſo, ut *domui* pro *domi* c. VII.

Ibid. c. VII. §. 17. *proinde quaſi.* Sic Garaton. e Bavar. (adde Erfurt. ap. Wunder.) quatuor Brit. et ſuo (accedunt ſedecim Lagomarſ. apud Peyron. p. 229) dedit pro *perinde quaſi.* Illud ut reciperem, movit me multitudo et praeſtantia Codd. tum quod *proinde* facilius in *perinde*, quam contra, mutari potuit, non quo ubique *proinde* pro *perinde* ſcribendum cenſeam. Cf. Ruhnk. ad Rutil. L. p. 31. ad Terent. Heautont. I, 1, 13. Goerenz. ad Leg. p. 179. Heind. ad Nat. d. p. 210. Kritz. ad Sall. Catil. 12 extr.

Ibid. c. VIII, 21. *Non fuit*, *profecto*, in multis Codd. deeſt; qui habent, eorum in aliis ante *cauſa* poſitum eſt, in aliis ante *iudices*, in aliis denique ante alterum *non fuit.* Itaque recte Garaton. Varietas potius ordinis, inquit, ſuſpicioni favet. Ceterum eodem loco poſita eſt partic. pro S. Roſc. 41, 121. *Non eſt ita profecto, iudices, non eſt veriſimile.*

Ibid. X. §. 28. *magno et impedito.* Sic locum e MSS. corrupit ſcilicet Garaton., ut iudicat Goerenz. l. c. p. 332. Ita vero iam Graevius edidit, qui recte etiam locum explicavit. Impedimentum qui pro impedimentis dixerit, non magis quam Garaton. inveni; *potuiſſe* Ciceronem etiam ſingulari vocis uti, ineptus ſit, qui dicat.

Ibid. XII, 32. *iis conſulibus.* Sic recte Garaton. poſt P. Manut. Car. Steph. Lambin. pro *his conſul.* Nam, etſi res nondum eſt ad liquidum perducta, hoc tamen obſervaſſe mihi videor, *hic* ſq. relativo pron. *qui* poni, ubi ſignificandum ſit id, quod quaſi digito demonſtrari poſſit, vel quod eo ipſo loco iam ſit commemoratum, *is* de remotioribus uſurpari. Cf. Orell. in Iahnii *Jahrb. d. Philol.* II. p. 241.

Ibid. XII, 33. *Et adſpexit me.* Ante haec verba Peyron. p. 225 ſq. inferenda eſſe iudicavit ea, quae et a Quintiliano proferuntur IX, 2, 54. *An huius ille legis, quam Clodius a ſe inventam gloriatur, mentionem facere auſus eſſet vivo Milone, ne dicam conſule? de noſtrum enim omnium — non audeo totum dicere*, et a ſcholiaſte Ambroſiano orat. de aere alieno Milonis p. 97. ed. Maii: *Nec vero illam nefariam libertatem ſuffragii ſcilicet libertinorum, cuius legis mentio fit in oratione habita pro Milone: Atque per ..... de noſtrorum omnium — non audeo totum dicere. Videte quid ea lex vitii habitura fuerit, cuius periculoſa etiam reprehenſio eſt.* Haec autem petita eſſe ex illa Tullii pro Milone oratione, quam in ipſo iudicio *habuerit*, quamque lectam Fabio aliunde conſtet, ſuſpicabatur et Gesnerus ad Quintil. locum, et Garaton. p. 212 ſq. ed. Bonon. p. 300 ed. Lipſ. hic etiam ſententiae ſuae argumentum petens e verbis ſcholiaſtae *in oratione, quae* habita *eſt pro Milone.* Nam hanc quoque manere exceptam teſtatur Aſcon. argum. fin. Peyron. vero pugnat fragmentum eſſe orationis *scriptae.* In quo primum in iocularem errorem incidit vir doctiſſimus, quod cum iis congreditur p. 227 ſq, qui illud fragmentum ex oratione pro aere alieno Milonis ſumptum eſſe dicant; qui nulli unquam fuerunt, nec vero eſſe poſſunt. Veriſſimum

quidem eſt, verba *vivo Milone*, *ne dicam conſule* et *habitura fuerit* non niſi poſt Clodii mortem dici potuiſſe; at nonne *habita* etiam pro Milone oratio poſt Clodii demum mortem habita eſt? Itaque hactenus nihil obſtat, quominus locum ex *habita* pro Milone oratione ſumptum credamus, e qua petitum eſſe perſpicuis verbis dicit ſchol. Quod autem idem vir doctiſſimus p. 225. *παρατραγωδῶν* fere contendit, poſtquam orator Sextum librarium exhibere iuſſiſſet, exſpectarentque auditores, quid tandem monſtri librarium illud contineret, unam alteramve lineam praelegi debuiſſe, qua, veluti ſpecimine, auditores excitatum deſiderium explerent, ſimulque intelligerent, fuiſſe illas leges faces urbis ac peſtes reipublicae, id nullo modo neceſſarium fuit. Nam ſimulac librarium illud et leges commemoravit Cicero, fingitur Sex. Clodius oratorem minitabundo vultu aſpicere; quo commotus Cicero, oratione ad iudices ſubito converſa (vid. Quint. IX, 2, 56) indignatus ſimulque irridens, *Et adſpexit me*, inquit. Quod ut dicere poſſit, cur, quaeſo, unius alteriusve verſus recitatione opus fuit? praeſertim quum pervagato iam civitatis ſermone hae leges ſatis notae eſſent. Itaque ne deeſſe quidem aliquid huic loco demonſtratum eſt, nec demonſtrari poſſe videtur. Orellius unum novum argumentum protulit; ſed hoc miſſum faciamus: nam quod ipſi perſuaſum erat, id ut aliis etiam perſuaderet, firmioribus argumentis opus erat. Quum vero divinare debuiſſe Ciceronem dicit vir doctiſſimus fore, ut hanc orationem in deliciis haberent, discipulisque imitandam aliquando proponerent rhetores, ludere videtur. Quid quod ne veriſimile quidem eſt, verba a Quint. et ſchol. Ambroſ. allata in hac oratione locum habuiſſe: nam nec Aſconius, ad c. 32. de ea lege, qua ſervis libertas ac civitas parabatur, quidquam a Cicerone ipſo commemoratum eſſe ſignificat, nec Quintil. l. c. §. 54. eadem illa verba recitans, paulo poſt autem §. 57. noſtrum locum *Et adſpexit me*, ullo verbo utrumque locum ex eadem oratione ſumptum indicat. Haud

ſcio etiam, an minus ſibi conſtare Cicero cenſendus ſit, qui in illo fragmento, quod hic inculcare volunt, periculoſam eſſe legis reprehenſionem dicat, hoc ipſo autem loco fortiter et leges illas reprehendat, et S. Clodium irrideat. Itaque de fragmento illo recte mihi iudicaſſe videntur Geſner. et Garat. et totum ab hac oratione plane alienum eſſe.

Ibid. XIV, 37. *converſa rurſus in me nuper quidem.* Sic Erfurt. teſte Wunder. p. LXXXII.

Ibid. XVI, 42. *fabulam fictam, falſam.* Adduci non potui, ut cum Garatonio eiicerem *falſam*, tanquam gloſſema vocis *fictam:* neque enim tam ignota eſſe potuit illa vox, ut explicatione indigeret. Quod vero loci mutatione gloſſema coargui dicit Garat., quum in Erfurt. ſit *fab. falſam, fictam*, in Bavar. *fab. fictam, falſam*, non minus locum mutat *fictam*, ut illud argumentum etiam ad hanc vocem eiiciendam valere poſſit, ſitque ex iis, quae *nimium probare* dicunt Logici. Iunguntur haec verba etiam infra c. XXV. in. Nam *ficta* ſunt, quae conſulto excogitata ſunt, *falſa*, quae errore aliquo pro veris accipiuntur, *levia*, quae nullum certum auctorem habent. *Ficta* ſpeciem conſtituunt, *falſa* genus apud Salluſt. Catil. 3, 2. *quae ſibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; ſupra ea, veluti ficta, pro falſis ducit.* — Mox *Nihil eſt enim* ex Erfurt. (vid. Wunder. p. 106.) dedi pro *Nihil enim eſt.*

Ibid. XVI, 43. *quod caput eſt.* Recte *audaciae*, quae vox legebatur poſt *caput*, delevit Garaton. poſt Ferrarium, non quia *audaciae* alibi additum non legatur, ut Goerenz. accepiſſe videtur l. c. p. 334, ſed quia *caput audaciae* i. e. ſumma audacia, neque in eo poſitum eſſe poteſt, quod nemo ignorat, max. illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem, neque in eo, quod haec maxima eſt illecebra. Eſt caput probationis, qua demonſtretur, in Clodio hoc non fuiſſe dubitandum.

Ibid. XIX, 49. *dum*, particula temporis ſine eiusmodi ſignificatione h. l. poſita me quoque offendit; *quandoqui-*

dem explicat Garaton., quam vim particula in nullo obtinet locorum, quos attulit de off. II, 8. Brut. c. 81. Tacit. Annal. I, 23. nam ne ibi quidem ſignificatione temporis caret, quae ab h. l. aliena eſt, quum explicatio requiratur; cauſae vero adiunctam eſſe ſignificationem, quod Garaton. contendit, aliis locis probari velim. *Quamdiu* et *quatenus* explicat Huldricus apud Orell., ſed nec *quamdiu neque muta ſolitudo* convenit ſententiae, nec quatenus ſignificat *dum*. Pro *dum* alii codd. habent *tum*, ut Bavar., Erfurt., tres Lagomarſ. apud Peyron. p. 320. Lagom. 4. *ni*, 69. *ubi*, ſex *denique*, quod alii poſt *dum*, *tum*, *ni* addunt, unus *deinde*, ſex omittunt. Hinc ſuſpicio mihi obortа eſt, ab aliena manu additum eſſe *dum*, et denuo eiiciendum, praeſertim quum in his verbis plus inſit, quam in verbis *ſuſtinuiſſet — locus;* de *caeca* quidem *nocte* nihil eſt in prioribus verbis, neque *muta ſolitudo* neceſſario eſt loci latronum occultatoris. *Dum* ſi eiicias, haec altera cauſa eſt, cur in Milonem crimen conferri non potuerit, cum priore, quod a latronibus ibi verſantibus occiſus eſſe crederetur Clodius, connexa quidem, ſed ita connexa, ut amplius quid addat.

Ibid. XXII, 60. *Sperata lib.* Heumanni coniectura, *parata lib.*, quam egregiam vocat Garat., mihi neceſſaria videtur: nam ſervo, qui dicit quod volunt ii, qui quaerunt, non *ſperata eſt* libertas, ſed *ſperatur* vel *ſperanda eſt;* nec hoc ſatis grave, ut recte reſpondeat ei, quod praeceſſit *certa crux;* quod enim ſperatur tantummodo, id irritum etiam reddi poteſt. Locum autem Terent. Heautont. II, 3, 115. *Hic ſi quid forte adverſi acciderit, tibi erunt parata verba, huic homini verbera,* minus recte cepit Heum. Eſt enim: tibi in promptu erunt verba, quibus te excuſes, mihi verbera parata erunt.

c. XXIV, 64. *comparatorum, haec.* Diſtinctione adiuvi locum, ne *domus — referta* eſſet nominativus ſolutus.

Ibid. §. 65. Heumannum, verba *audiendus fuerit* delentem, ut verba *ſervos Milonis* etc. ad v. *nuntiavit* referren-

tur, ſatis exagitavit Garaton., neque tamen eo minus Goerenz. *Jahrb. d. Phil.* p. 335. Heumannum ſequitur, additis verbis *aud. fuerit* (quae aperte pro gloſſemate repetita ſint e praeced. ſuſpecta etiam propter magnam codd. varietatem, *audiendus ſit, aud. fuerit, fuerit aud.!* —) contortam ac difficilem (*unbeholfen*) reddi ſententiam dictitans, eiectis, quam rotunde locus concurrat (*wie rund nun die Stelle zuſammenläuft*), quemvis intellecturum.

Ibid. c. XXVI, 69. *in amicitiis*, ut Lambin. de coniectura ſcripſit, confirmat Erfurt. ap. Wunder. p. LXXXI.

Ibid. XXIX, 79. *liberae ſunt enim.* Sic Erfurt. pro *liberae enim ſunt.*

Ibid. XXXI, 84. *proinde quaſi.* Vid. ad VII. §. 17. not. crit.

Ibid. XXXV, 95. Immerito Garaton. lectione e cod. Colon. recepta a Grutero non modo elegantiam omnem loci corrumpi iudicat, ſed etiam ſenſum intimum oratoris deſeri, qui largitiones Milonis permagnas laudet, non excuſet, easque pro re publica factas, non pro Milone ipſo, videri velit. Nam qui *ſuam* fecit plebem ut eam flecteret, deleniret et placaret, non ut ipſe commodi aliquid ex eo perciperet, ſed ne remp. illa perturbaret, is reipublicae cauſa, non pro ſe laboraſſe exiſtimandus eſt, et laude ſe dignum oſtendit. Nec contumeliae cauſa Phil. II, 45, 116. Caeſar dicitur *muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam leniiſſe.* Sed codd. numerus *ſuam* abeſſe iubet.

Ibid. XXXV, 96. Vox *arma* deeſt in Bavar. aliisque. Ea deleta, Weisk. et Moeb. *haec*, referunt ad *ſuffragia*, Orell. *haec* merita in remp. intelligit, quae non proxime, ſed §. 95. commemorata ſunt. At *ſuffragia* et *merita*, fieri quidem poteſt, ut civem non adiuvent; ut *contra* eum ſint et condemnationem eius efficiant, non poteſt; niſi forte Ariſtidis exemplum huc trahere velis.

AD ORATIONEM PRO ARCHIA P.

C. I. §. 2. *huic cuncti ſtudio* omnes Codd. ſed ferri non poteſt. Nam *cunctus, cuncti* (ortum e coniuncti) uſurpatur de iis, quorum partes ſunt vel cogitari ſaltem poſſunt (vid. ad Manil. §. 12.) at unius hominis, ut h. l. Ciceronis, quomodo plures partes cogitari vel ſignificari poſſunt? niſi forte de pluribus animi facultatibus accipias, quaſi dicere voluerit, ne nos quidem cunctas animi facultates ad hoc ſtudium contulimus; vel cum Garatonio dicas, ſignificari plures operae induſtriaeque partes, et, qui uni rei deditus ſit, recte *in ea ſe totum eſſe* dicere poſſe. Quaſi vero qui cunctas vel ingenii facultates vel curae induſtriaeque partes ad aliquam rem contulerit, ipſe *cunctus* in ea re fuiſſe dici queat! Quod vero Frotſcherus (*krit. u. erklär. Bemerkungen über einige Stellen aus Cic. Rede für den Archias.* Lipſ. 1820) p. 18 ſqq. *cuncti* non ad ſolum Ciceronem, ſed ad iudices etiam, *homines litteratiſſimos* refert (*ſo muſs ich ihn zu bedenken bitten, daſs wir ja alle, wie wir hier ſind, alſo auch ich, nicht dieſer Wiſſenſchaft ausſchlieſsend ergeben waren*) primum de iudicum doctrina diſſerendi non hic erat locus, ubi Cicero nihil aliud niſi eos refellit, qui mirari poſſint, quod *orator* e *poetae* inſtitutione tantum profeciſſe ſe dicat, ſed infra, ubi hoc orationis genus huic quoque iudicio accommodatum eſſe demonſtrat; tum Germanica quidem interpretatio ſententiae ſatisfacit, Latina oratio non item: *penitus* enim numquam eſt *ausſchlieſsend*, ſ. ita ut nullus ibi alii rei locus relinquatur. *Penitus* quidem, i. e. ita ut ad interiorem artis ſcientiam penetraret, ſe eloquentiae ſtudio deditum fuiſſe, nullo modo negare poterat Cicero, ſe huic uni ſtudio penitus deditum fuiſſe, poterat. Itaque cum Erneſtio Lambini coniecturam recipere non dubitavi.

Ibid. 6, 12. *tempore aut commodo.* Verba *aut commodo* gloſſatori alicui deberi puto, qui vel explicare *tempore* vel opponere aliquid vellet.

Ibid. 12, 31. *in tantis ingeniis* ex Erfurt. ſcripſi pro *in tantis negotiis.* Nam iudicium de civitate hoc modo deſignari ridiculum iam viſum eſt Schroetero, nec minus ridiculum in tali cauſa non modo humanam, ſed etiam divinam commendationem eſſe debere.

Pro Ligar. II, 4. *neceſſitatem etiam.* Sic Goerenz. cum binis ſuis ad Fin. II, 3, 106. pro *etiam nec.*

II, 6. *quum prodo meam. Quum*, quod in multis Codd. omiſſum eſt, delevit Wernsd. eumque ſecutus Orell. Maiorem etiam quodammodo vim ipſa oratio hac omiſſione accipere videtur Wernsd. *vide, qua fide defendam — prodo meam.* Mihi haec vis declamatorem potius aliquem ſapere videretur, quam Ciceronem; nam aliena eſt a loco, quum verbis *quum prodo meam* declaretur tantummodo, quid ſit illud, quod dicit ſe ſumma fide cauſam Ligarii defendere; in quo ſuam perſonam, tanquam principis, immiſcere vix decet.

Ibid. III. §. 8. *non dubitem dicere, — non audeam confiteri. Dicere* omittere poterat Cicero, et omittunt nonnulli MSS. Sed non adeo parcus verborum eſt Cicero, ut omittat, quod non plane neceſſarium eſt; et *confiteri* aptiſſimum de Ligario, de Cicerone minus aptum, quippe non accuſato.

Ibid. VII, 20. *Ligario — an vobis.* Vix adducor, ut credam hanc nonnullorum Codd. Lamb. et Grut. ſcripturam depravatam eſſe ex altera *Ligarium — an vos.* Imo offenſioni Grammatico fuiſſe videtur dativus cum infin. iunctus, quum non niſi accuſativum iungi poſſe, quae vulgaris eſt conſtructio, crederet. Sed ſic etiam *neceſſe eſt* nonnunquam ſtruitur, ut pro Cluent. 14 extr. *ex quo ſimul utrumque, et* huic *accuſare et illum condemnari, neceſſe fuiſſe intelligetis*, ubi ad vitandam ambiguitatem non dixiſſet *huic*, ſi ita loqui non liceret, epp. fam. II, 16 (92, 6.) *in his* praediolis *mihi neceſſe eſt eſſe.* ad Att. VII, 1. p. 716. ed. Ern. *nec* mihi, *coniuncto cum Pompeio, fore neceſſe peccare in rep. aliquando: Utrum* pro adiectivo accipias, an pro particula interrogandi, nihil plane refert; ſcribi etiam poterat *Ligarione — —*

Ibid. c. IX, 26. *probarim* non refertur ad *commemora-*

rem, quocum iungens Ern. *probarem* edidit, ſed ſententiam habet per ſe abſolutam, ad id tempus, quo loquitur, relatum.

Ibid. VIII. §. 24. *Quamquam — dubitem* cum interrogatione idem eſt quod *Quamquam — non dubito*. Hinc ortum videtur illud *non*, quod ante *dubitem* inſerunt multi Codd. MSS. et editores poſt Erneſt.

Ibid. IX. §. 26. *a quibus partibus — ad eas ipſas*. Ern. cum Grutero eiecit *partibus*, quae vox non comparet in Palatt. melioribus, et paulo poſt ſcripſit *ad eos ipſos*. Recte, ut mihi quidem videtur: nam *recipi*, *reiici a partibus* pro ab earum partium hominibus, nondum inveni qui diceret. Et Erfurt. apud Wunder. p. 39. etſi habet *partibus*, tamen *ad eos ipſos* ſcriptum exhibet.

Pro r. Deiot. c. III. §. 9. *ſi tantum auxil.* Orell. ſcripturam Mureti Var. lect. II, 16. et Lambini e Codd. hauſtam revocavit, *ſi, quum — miſiſſet*. At pro primario poni oportebat, propter quod veniam Deiot. daturus erat Caeſar, *ſi tantum auxilia vel filium Pompeio*, non illud *ſi ipſe excuſatione aetatis uſus eſſet*. Nunc vero ſecundarium eſt, in quo maxima vis eſt. Accedit, quod, quomodo e *tantum* oriri potuerit *tum*, ſcripturae compendio, deinde e correctione *quum*, facile explicari poteſt, *quum* cur in *tum*, vel *tantum* mutatum ſit, vix poteſt. Ex eodem *tantum*, *tum*, ortum eſt *tamen*, quod poſt *ipſe* ponebatur. *Tantum* vero etiam in Erfurt. eſſe videtur; Wunder. certe nihil inde diverſitatis ad ed. Erneſtinam enotavit.

Ibid. VI, 17. *Ibi enim erant*. Non auſus ſum cum Graevio, Erneſtio aliis *ibi* deleto ſcribere *Erant enim*, etſi *ibi* redundat, ſequentibus verbis *in eo ipſo loco*, et in Codd. nonnullis, in his Colon. omittitur. Deletum enim eſſe *ibi* a litteratore aliquo, non magis mirum, quam quod a recentioribus editoribus expunctum eſt; addere quomodo quisquam in animum inducere potuerit, vix dicas, nec vv. *in eo ipſo loco* gloſſema requirunt. *Ibi* eſt etiam in Erfurt. De repetitione earundem vocum vid. Garat. ad Catil. III, 9. Planc. p. 154.

Ib. XIII, 38. *dies noctesque*. Sic etiam Erfurt. pro *dies et noctes*.

INDEX RERUM ET VERBORUM IN NOTIS ILLUSTRATORUM.

A, *ab* cum verbis activ. et neutris. Mil. §. 56. 96. 102.
abeſſe, non defendere. Sull. §. 8.
Ablativi duo diverſa vi. Sull. §. 1. pro *propter* Sext. §. 46. de eo, quod coniunctum eſt pro *cum*. Sext. §. 49. pro *in* o. abl. Mil. §. 64. pro *quum* et verb. fin. Sext. §. 89.
abiicere pro proiic. Mil. c. XIII. §. 33.
abripi vel *arripi in quaeſtionem*. Mil. §. 60.
ac pro ſed. Sext. §. 35.
accedit ut, Deiot. §. 2.
accidere. ſi quid ei accidat. Mil. §. 58.
Accuſativi duo, alter ſubiecti, alter obiecti. Sext. §. 144. accuſ. pronom. om. ante infinit. Sext. §. 89. acc. c. infinit. poſt *dicere*, *videre* pro coni. Sext. §. 104. 117. Arch. §. 31.
acquieſcere al. re. Mil. §. 102. Deiot. §. 5.
Activa et paſſ. coniuncta. Lig. §. 14.
ad poſt ſubſt. pro genit. Mil. §. 5. *ad ſummum*. Mil. §. 12. *ad me*, *ad ſe*. Mil. §. 51.
adeſſe ad cauſam dicendam. Sext. §. 27. *ad. animis*. Mil. §. 4.
adhuc. Lig. §. 2.
Adiectiva vi ſubſt. Sext. c. VII. §. 15.
adire peric. Sext. §. 23.
admirari pro mirari. Sull. §. 9.
adſpirare aliquo. Sull. §. 52.
adumbratus. Sull. §. 52.
aequabilis et *aequalis*. Mil. §. 76.
affligere et *evertere*. Sext. §. 5.
age cum plur. Mil. §. 55.
aliquid, aliquo modo. Sext. §. 10. *aliqui*, *aliquis*, *quis* poſt *ſi*. Sext. §. 131.
alta mens. Mil. §. 21.
ambitio pro ambitu. Sull. §. 1.
an in argum. a minori ad maius. Arch. §. 29.
andabatae. Sext. §. 126.
ante — ponere per tmeſin. Sull. §. 25.
anteſtari. Mil. §. 68.
antiquitas. Sext. §. 6.
apud exercitum eſſe. Arch. §. 11.

armatus. Mil. §. 70.
arripi, *abripi in quaestionem*. Mil. §. 60.
assiduitas. Sext. §. 6.
Attractio Mil. §. 67. 95. Arch. §. 11. Attr. impersonalium. Sull. §. 73. Attr. constructionis Sext. §. 45.
auctor, defensor. Sext. §. 139.
auctoritas opp. potestati. Sext. §. 67. *auct.* hominum potentium. Arch. §. 6.

Beneficia, *in benef. deferri*. Arch. §. 11.
brevi, breviter. Sext. §. 12.

Cani de rebus futuris. Sext. §. 46.
capere molestiam, *dolorem* etc. Sull. §. 1.
caput. Sext. §. 1.
Casus alteri verbo accommodatus omittitur. Arch. §. 12.
causa c. genit. de re futura. Sext. §. 45. *causa necessitudinis* pro necessitudine. Sull. VIII. §. 23. *cáusa* et *res*. Mil. §. 15.
cedere tempori. Mil. §. 2. *c. legibus*. Mil. §. 63. *ced.* et *parere* diff. Lig. §. 22.
censeri, aestimari. Arch. §. 13.
centuriare hom. Sext. §. 34.
cernere et *videre*. Mil. §. 79.
circumscribere, definire. Sext. §. 97. pro coërcere. Mil. §. 88.
citius, potius. Lig. §. 16.
civile odium. Mil. §. 35.
civitas et *resp.* Sext. §. 5.
cogitare rem et *de re*. Lig. §. 28.
collegia. Sext. §. 32. 34.
commendare rei. Sext. §. 21.
committere. Mil. §. 61.
communis Mars. Sext. §. 12.
componere, subornare. Sext. §. 41.
comprehendere pro deprehendere. Mil. §. 72.
concedere amicitiae. Sull. §. 46.
Coniunctivus de re, quae cogitatur. Sext. §. 48. 134. in indignatione. Sull. §. 44. pro debebam etc. Sext. §. 43. 44. 54. Mil. §. 3. ubi conditio omissa est. Mil. §. 2. causam indicans. Mil. §. 19. concessionis. Mil. §. 65.
conscribere hom. Sext. §. 34. Mil. §. 25.
consecrari. Mil. §. 90.
conservare et *servare*. Lig. §. 38.
consequi de eo, quod postea fit. Sext. §. 51.
consistere, bene rem gerere. Sext. §. 127.
constantia. Mil. §. 61.
Constructio inusitata mollitur addita usitatiore. Arch. §. 31. Dei. §. 37. e duabus mixta. Dei. §. 8.
consulere pro consultare. Sull. §. 63.
conventus. Sext. §. 9.
convictus in al. re. Sull. §. 83.
Corrigendi se formula quaedam. Lig. §. 26.
credo iron. Sull. §. 27. Sext. §. 44. in interrog. Sext. §. 84. Lig. §. 28.
cum invid. zu. Sext. §. 49. Mil. §. 41. in re futili. Sext. §. 26. *cum veste*, v. indutus. Sext. §. 82.
cursus vitae. Sext. §. 101. *cursum tenere* ibid.

Dativus duplex. Mil. §. 32. c. partic. fut. pass. Dei. §. 35.
de servis quaerere in dom. Mil. §. 59. *de nocte*. Sext. §. 7. *de populo*. §. 25. de cum vv. compositis praep. *ex*. Arch. §. 22.
debitae vocantur etiam res malae. Mil. §. 85.
decernere de uno. Mil. §. 14.
declarare sine accus. Mil. §. 12.
decuriare hom. Sext. §. 34.
deesse. Sext. §. 101.
defendere, propulsare. Sull. §. 12. *def.* et *propugnare* diff. Sext. §. 144.
defensor necis. Mil. §. 58.
deformare. Sull. §. 73.
deinde postea. Mil. §. 65.
delere de civitate. Sext. §. 44. *deleri* de senatu. ibid.
deligere et *eligere* diff. Mil. §. 23. *delecti*. Sull. §. 24.
demovere et *dimovere*. Sext. §. 101.
depellere a reip. peste. Sext. §. 43.
describi. Sull. §. 82.
desidia et *inertia* diff. Sext. §. 22.
devorare. Sext. §. 23.
dicere in pleonasmo. Sext. §. 104. 117. Arch. §. 31. Dicendi et declarandi voc. omissa. Sext. §. 53. Mil. §. 47. Lig. §. 2. 6.
diem dicere. Mil. §. 36.
dimovere et *demov.* Sext. §. 101.
dividere sententiam. Mil. §. 14.
docti. Mil. §. 8.
donum et *munus* diff. Arch. §. 18.
ducere sq. accus. c. infin. Mil. §. 22. Deiot. §. 13.
duntaxat. Mil. §. 5. Deiot. 1.
Ecce cum irrisione. Sext. §. 89.
efferre pro extollere. Sull. §. 87. *eff. fructum*. Sext. §. 102.
efficere caedes etc. Mil. §. 87.
efflare animam. Mil. §. 48.
elegans, *elegantia*. Sull. §. 79.
eligere et *deligere*. Mil. §. 23.
eludere. Sext. §. 94.
en in irrisione. Sext. §. 59.
Enallage casuum. Sull. §. 19.
enim ironicum. Arch. §. 11. Deiot. §. 33.
eo esse. Sext. §. 68.
ἐπάνοδος. Mil. §. 70.
ergo in argumentatione a minori ad maius. Arch. §. 17.
errare et *labi*. Lig. §. 30.
esse cum nomin. pro dat. Mil. §. 6. post *factum volo*. Lig. §. 16.
essedarii. Sext. §. 126.
est ut. Mil. §. 35.
et pro *et quidem*. Mil. §. 67. indignantis. Sext. §. 80. pro *etiam*. Sext. §. 126. *et — neque*. Sext. §. 96.
evertere et *affligere*. Sext. §. 5.
evocati. Dei. §. 13.
exaudire. Mil. §. 67.
excipere dictum. Sext. §. 102.
excitare de aedificiis. Sext. §. 5.
excusare morbum. Lig. §. 21.
exempla, Muster. Arch. §. 14.
exercitus et *exercitatus* diff. Mil. §. 5.
exitia. Mil. §. 5.
exprimere de scriptoribus. Arch. §. 21. *expressus* oppon. *adumbrato*. Sull. §. 52.
exsanguis. Sext. §. 24.
exsultare in re. Sext. §. 88. de quibus dicatur. Sext. § 95.
extraordinaria iudicia. Mil. §. 1.

Facere ut in periphraſi. Mil. §. 95.
facile patior. Sull. §. 1.
falces. Mil. §. 91.
fallere, niſi me fallit. Sext. §. 106.
familiaris dignitas. Sull. §. 75.
faſtidire. Mil. §. 42.
ferri, crebro commemorari, celebrari. Sull. §. 66. Arch. §. 21.
finis, non *Zweck.* Sull. §. 64.
funeſtus. Sext. §. 53.

Genitivus rei, qua aliquid efficitur. Sull. §. 63. Sext. §. 6. 10. Arch. §. 15. Lig. §. 5. 14. Deiot. §. 2. pro appoſitione. Sull. §. 77. Gen. duo. Sext. §. 15. 31. pro *de.* Sext. §. 72. pro *ad.* Arch. §. 23.
gens et *natio* diff. Sext. §. 51.
genus pro re. Sext. §. 90.
Gerundium non divellitur a caſu ſuo. Sext. §. 2. Ger. genitiv. cum genit. ſubſt. Sext. §. 75.
gratuito. Arch. §. 10.
gratulationes. Sext. §. 111.

Habere ſibi al. Sull. §. 26.
haec laetitia pro huius rei laetitia. Dei. §. 26.
Hendiadys. Sull. §. 2. 66. Arch. §. 13.
hic ſq. *qui* ubi uſurpetur. Not. crit. ad Sext. XII, 32.
Honoris Virtutis templum. Sext. §. 116.
hostis pro inimico. Sext. §. 129.
humanitatis artes. Arch. §. 2.

Iacere. Mil. §. 47.
idem in oppoſitione. Arch. §. 15.
igitur poſt parentheſin. Mil. § 79. ubi ponatur. Lig. §. 2.
ille de homine celebrato. Arch. §. 26. ubi repetatur pro nomine ipſo. Sext. §. 125.
illuc, ut illuc revertar. Sext. §. 112.
imagines. Mil. c. XIII. §. 33.
immittere. Sext. §. 78.
Imperfectum de conatu. Sull. §. 49. Mil. §. 9. ubi nos plusquamperf. Sull. §. 54. (p. 35. a.) Sext. c. IX, XXIX. §. 47. 63. Mil. §. 30. 39. Arch. §. 16. Coni. pro debere c. infin. Sext. §. 43. 45. 54. Arch. §. 16. pro perfecto. Sext. §. 64. 71.
impune pro impunitus. Mil. §. 31.
in cum ablat. de tempore. Sull. §. 78. Mil. §. 15. 42. 81. c. ablat. pro accuſ. Sext. §. 7. Deiot. §. 15. cum accuſ. pro ablat. Arch. §. 9.
Indicativ. poſt *quid eſt quod.* Sull. §. 51. poſt *quicunque.* Mil. §. 1. poſt *ſi* c. Coni. Plusquamp. Sext. §. 81.
induſtria. Sext. §. 137.
inertia et *deſidia* diff. Sext. §. 22.
infelix arbor. Mil. c. XIII. §. 33.
Infinitivus a ſubſt. pendens. Sext. §. 89.
inhaerere et *inſidere.* Mil. §. 68.
inquam non repetito vocabulo, quod praecedit. Lig. §. 29.
inſcribere in. Arch. §. 26.
inſitivus. Sext. §. 101.
intereſt ius et vis. Sext. §. 91.
interfari, interfatio. Sext. §. 78.
intermortuus. Mil. §. 12.
interponere. Sull. §. 54. 92.
Interrogandi vocabula duo iuncta. Mil. §. 38.
inurere. Mil. §. 33.

ipſe pro is ipſe. Arch. §. 22.
is pro ſui etc. Sull. §. 81. repetitum, quum nomen ipſum praeceſſit. Sext. §. 59. Mil. §. 95. pro relativo. Arch. §. 31. *is qui* c. indic. Sext. §. 96. *is — idem.* Sext. c. LXII. §. 129. *id* ad praecedentia relatum, ſed explicatum. Mil. §. 43.
ita — ut pro quidem — ſed. Sull. §. 42. 61. 73.
iter ſermonis, disciplinae. Sull. §. 89.
iudicia. Sext. §. 105. *iudicio.* Lig. §. 7.
iure meo, ſuo, tuo. Arch. §. 18.

Labi et *errare* diff. Lig. § 30.
laquei legum, iudic. Mil. §. 40.
latrocinium domeſt. Sext. §. 1.
legere, vir virum legit. Mil. §. 55.
liber. Sull. §. 86.
litterae pro libris. Arch. §. 14.
locus pro loco idoneo. Sext. §. 80. pro genere. Arch. §. 4.
longinquus. Mil. §. 76.
longus et alte repetitus. Sext. §. 31.
loqui c. accuſ. Mil. §. 63. *l. ſecum.* Lig. §. 38.

Maenia columna. Sext. §. 124.
Maieſtatis crimen. Sull. §. 5.
maiores noſtri. Mil. §. 83.
materia virtutis. Mil. §. 35.
mediocres homines. Arch. §. 10.
Membra duo eadem ſtructura continuata pro altero ſecundario. Sull. §. 21. 87. Sext. §. 44. 105. 138. Mil. c. XIII. §. 33. 84.
meminiſſe, reminiſci, recordari diff. Lig. §. 35.
minime ſtultus pro ſapientiſſimo. Deiot. §. 16.
miscere res. Mil. §. 25.
mollitia animi. Sull. §. 18.
moram afferre, in mora eſſe. Sext. §. 129.
mores pro mos. Sext. §. 88.
motus animi de cogitationibus. Sext. §. 143. Arch. §. 17.
multo ſeparatum a comparativo. Sext. §. 52.
munus et *donum* diff. Arch. §. 18.

Nam explicat. poſt *id, illud.* Deiot. §. 4. in tranſitione. Deiot. §. 34.
naſci, ita natus eſt. Mil. §. 68.
natio et *gens* diff. Sext. §. 51. c. irriſ. Sext. §. 96.
ne enclit. pro nonne. Mil. §. 38.
nec, neque poſt *non, nihil.* Sext. §. 141. *nec, neque — et.* Sull. §. 17.
neceſſe eſt et *oportet* diff. Sext. §. 86. cum dat. et infin. Not. crit. ad Ligar. VII, 20.
neceſſitas pro neceſſitudo. Sull. §. 2.
neceſſitudo. Lig. §. 21.
nefandus et *nefarius.* Mil. §. 72.
Negantia vocabula om. Deiot. §. 9.
Negatio ad duo membra pertinens. Sext. §. 146. duplex. Mil. §. 84.
negotii gerens. Sext. 97.
nempe in reſponſionibus. Lig. §. 7.
neque vero. Sext. §. 36. *neque* pro non. Arch. §. 2.
nervi de fortitudine. Sext. §. 24.

neſcio quomodo. Sext. §. 100.
nihil eſt. Sext. §. 34. *nihil* pro nullo modo. Sext. §. 75.
niſi vero. Sull. §. 28. Mil. §. 6.
Nomen cum genitivo pronom. non repetitur in comparatione. Sull. §. 72. alio caſu repetitum. Mil. §. 92. Nomina plural. Mil. §. 22. Nomm. propria plural. Sext. §. 143.
non ſimplex ubi ponatur. Mil. §. 19. *non enim.* Mil. §. 11. *non modo* pro ne dicam. Mil. §. 5. Sext. §. 108. *non modo — ſed* et *ſed etiam.* Sext. §. 38. *non modo, — ſed ne — quidem.* Sext. §. 64. *non quia non* vel *non quin.* Mil. §. 59. *non quo — ſed* om. *quod.* Sext. §. 61.
notio cenſoria. Sext. §. 55.
nugae de hominibus. Sext. §. 24. Mil. §. 55.
nunc in oppoſitione. Arch. §. 29.

Obligari et *obſtringi ſcelere.* Sull. §. 7.
occurrere. Mil. §. 48. Deiot. §. 40.
offendere in al. Mil. §. 99.
operae plur. pro ſingul. Sull. §. 26.
opes. Sext. §. 114.
oportet et *neceſſe eſt.* Sext. §. 86.
opponere. Sext. §. 42.
os de impudentia. Deiot. §. 3.

Παρονομασία. Sull. §. 47.
Particip. fut. paſſ. pro praeſ. Mil. §. 72. pro ſubſtant. Arch. §. 21. praeſ. act. c. genit. Sext. §. 97.
paſci al. re. Sext. §. 99.
Paſſiva et activa coniuncta. Lig. §. 14.
percellere et *percutere.* Deiot. §. 16.
Perfectum Coni. poſt *ut* et Perf. Mil. §. 86. Arch. §. 9. Perf. pro Imperf. Sext. §. 64. 71. pro Plusquamp. Lig. §. 34.
perfunctus paſſ. Sext. §. 10.
perimere pro peſſumdare. Sext. §. 49.
perſona, mores. Sull. §. 68. pro homine quando uſurpetur. Mil. §. 32. Arch. §. 3.
pes. ad vel circum pedes eſſe. Deiot. §. 2.
pinguis. Arch. §. 26.
Pluralis nom. pro ſingulari. Sull. §. 26. Sext. §. 1.
popularis. Sext. §. 96.
populus opp. principibus. Sext. §. 102.
portenta de hominibus. Mil. §. 63.
poſtulatio. Lig. §. 17.
potius malle. Lig. §. 5.
potuit ſq. *ſi* cum Coni. Imperf. vel Plusquamp. Arch. §. 25.
praecipuum oppon. *communi.* Mil. §. 78.
praeficere in exerc. Sext. §. 41.
Praepoſitiones variantur. Mil. §. 40. c. caſu ſuo adiunctae poſt ſubſt. Sext. §. 63. omiſſae, quum idem caſus cum praepoſ. praeceſſit. Lig. §. 2.
praeſens animus. Mil. §. 29.
Praeſens Coni. poſt *ſi* et in apodoſi. Mil. §. 79.
praeſertim. quum praeſertim relatum ad ea, quorum ſententia in ſuperioribus latet. Mil. §. 81. Deiot. §. 21. poſt interrogationem. Sext. §. 48. Mil. §. 81. Arch. §. 19.
praeſidia. in praeſ. eſſe. Lig. §. 28.

praeſtare al. Sext. §. 61.
praeter c. accuſ. pro praeterquam. Mil. §. 35.
Praeterita actio rel. ad aliam praeteritam Plusquamp. requirit. Mil. §. 40. Lig. §. 1.
primus pro prior. Sext. §. 44.
princeps ad al. Arch. §. 1.
pro, ante. Sext. §. 34. *pro ſalute negligere.* Mil. §. 3.
probari pro. Mil. §. 65.
prodere. Lig. §. 6.
produci. Sext. §. 33.
proficitur. Sext. §. 60.
profugere aliquid. Sext. §. 50.
proinde quaſi. Not. crit. ad Mil. VII, 17.
pronomen, quo ſubſt. alio caſu repetendum erat, omittitur. Arch. §. 12.
proprius. Sull. §. 9.
proprie. Sext. §. 37. 89.
propter. Mil. §. 58.
prudentia. Sext. §. 86.
pudor. Mil. §. 77.
purpura. Sext. §. 19.

Quamvis probarim, ut probo. Lig. §. 28.
qui pro qualis. Mil. IV. §. 9. c. Coni. de cauſa. Mil. §. 19. Arch. §. 25. poſtpoſitum. Mil. §. 41. poſt nomen repetitum. Mil. §. 53. ad nomen remotius relatum. Mil. §. 70. relatum ad nomen ſequens, quum ad rem antea memoratam ſpectet. Mil. §. 99. pro quamquam. Sext. §. 61. in genere ſubſt. ſeq. Sext. §. 91. inducit refutationem eorum, quae praeceſſerant. Arch. §. 9. *qui* plur. poſt *is numerus.* Arch. §. 31. Eius caſum ſequuntur nomina, quae poſtpoſita ſunt. Lig. §. 31. cum coni. Sext. §. 96. 99. in oratione bimembri ad prius verbum accommodatum. Sext. §. 125. Poſt *qui non* vel *quin* ſequitur idem tempus, quod praeceſſit. Sull. §. 46.
quicunque cum indicat. Sext. §. 138. Mil. §. 1. *quicunque* per tmeſin. Sext. §. 68.
quid interrogationi praepoſitum. Sext. §. 75.
quidam. Lig. §. 21.
quidem pro ſed. Sext. §. 15. 24. Mil. §. 17. poſt nomen proprium. Arch. §. 27.
quin poſt *non dubito* pro accuſ. c. infin. Sull. §. 4.
quis. neſcio qui et neſcio quis. Sext. §. 68.
quispiam et *quisquam.* Sull. §. 84.
quisquis cum Indicat. Sext. §. 138.
quod ad praecedd. relatum et explicatum re ipſa. Sull. §. 68. Mil. §. 15.
quum — tum. Mil. §. 3. vim temporis cum cauſa coniungit. Mil. §. 98. cauſale c. Indic. Mil. §. 99. duplex. Sext. §. 69. omiſſ. Sext. §. 103. Arch. §. 22. c. Indic. Perf. Lig. §. 3. *quum* c. Coni. ſq. *tum* Deiot. §. 1.

Recipere et *ſuſcipere.* Mil. §. 66. *nec ferrum.* Sext. §. 80.
recordari, reminiſci, meminiſſe diff. Lig. §. 35.
reddere. Sull. §. 90.
referre gratiam. Sull. §. 47.
reiectio iudicum. Sull. §. 92.
reminiſci, recordari, meminiſſe diff. Lig. §. 35.

renovare, recreare. Sext. §. 42.
repellere et *depellere*. Sext. §. 39.
repetere abſol. Arch. §. 1.
Repetitio eiusdem vocis rhetorica. Sull. §. 20. Rep. eiusdem verbi. Mil. §. 31. Arch. §. 8.
res et *cauſa*. Mil. §. 15.
reſpicere aliqu. Sext. §. 118.
respublica et *civitas*. Sext. §. 5.
rogas? Mil. §. 59.

Sagina gladiatorum. Sext. §. 78.
ſalutaris. Mil. §. 69.
ſalutem ferre. Arch. §. 1.
ſanctus. Sext. §. 6.
ſapiens. Sext. §. 6.
ſe om. ante infinit. Sull. §. 14. 65. Sext. §. 60.
ſe c. infin. *eſſe* poſt *velle*. Arch. §. 10. poſt *malle*. Lig. §. 22.
ſecus pro alio tempore. Mil. §. 29.
ſed enim. Arch. §. 5.
ſedere de magiſtratibus. Sext. §. 33.
ſedes plur. pro domo. Sull. §. 18.
ſemel. Deiot. §. 9.
ſemuſtalatus. Mil. c. XIII. §. 33.
Sententia ſecundaria praepoſita. vid. *Membra*.
ſeneſcere, *ſenium*. Mil. §. 20.
ſervare et *conſervare*. Lig. §. 38.
ſi ſaepius repetitum. Sext. §. 45. an ſit cauſale. Mil. §. 6. omiſſ. Sext. §. 92. *ſi forte*. Mil. §. 104.
ſic — ut c. Indicat. Sext. §. 6.
ſicut eſt. Lig. §. 13.
ſiquidem. Mil. §. 48.
ſiſſe, non ſiviſſe. Sext. §. 44.
ſocietas deteriore ſenſu. Sext. §. 64.
ſpectacula, loca unde ludi ſpectantur. Sext. §. 124.
ſpectare aliquid et *ad al.* Sext. §. 37.
ſpecula, *in ſpeculis eſſe*. Deiot. §. 22.
ſplendor. Lig. §. 33.
ſtare de ſpectantibus in theatro. Sext. §. 117.
ſtatus de bona conditione. Sext. §. 50.
ſtipare. Mil. §. 2.
ſtudere abſol. *ſtudentes*, *ſtudioſi*. Lig. §. 35.
ſubiicere. Arch. §. 25.
Subſtantiva repetita poſt *qui*. Sull. §. 43.
ſumma reip. Sext. §. 25.
Superlativ. c. poſitivo. Mil. §. 74.
ſupponere, ſubſtituere. Deiot. §. 42.
ſuscipere et *recipere*. Mil. §. 66.
ſuus proprius. Sext. c. VIII. §. 15. *ſuum ducere hoſtem alic.* Deiot. §. 14.

Tabulae in iudiciis. Sext. §. 103.
talis omiſſ. ante *ut*. Mil. §. 55.
tamen non pro ſaltem. Mil. §. 51. omiſſo *quamquam*. ibid. et Sull. §. 81.
tectus, cautus. Deiot. §. 16.
Tempora eadem ubi ponantur. Sext. §. 37. abſoluta pro relativis. Sext. §. 64. 71.
tenere curſum. Sext. §. 99. 101. *teneri*. Sull. §. 71.
tot tam. Mil. §. 61.
Tribus in comitiis centuriatis. Mil. §. 25.

Vacatio militiae. Sull. §. 26.
vehemens, ſeverus. Sull. §. 1.

Verbum idem bis poſitum cum negatione et ſine ea. Mil. §. 26.
vero ironic. Mil. §. 77.
veſtrum pro pronom. poſſeſſ. Sext. §. 136.
vicarius. Sull. §. 26.
videlicet iron. Mil. §. 36.
videre. *vivus* et *videns*. Sext. §. 59.
virtus oratoria in ſcribendo. Arch. §. 25.
ultimus pro primo. Arch. §. 1.
unus ſolus. Sext. §. 43. 130.
volitare. Sext. §. 1.
voluntate, ſponte. Lig. §. 7.
ut poſt *veriſimile eſt*. Sull. §. 57. Sext. §. 78. *eſt ut*. Mil. §. 35. *ut — tamen*. Mil. §. 51. *ut* poſt *quamvis*. Lig. §. 28. pro *quod*. Arch. §. 5. Lig. §. 38. poſt *accedit*. Deiot. §. 2.
uter pro utercunque. Sext. §. 92.

Zeugma. Sext. §. 10. Arch. §. 5. Deiot. §. 13.